COMMENTARIA CVM QVAESTIONIBVS:

In Logicam Aristotelis

F. MICHAELIS ZANARDI
Bergomatis ex Vrgnano, S. Theol. Lectoris,
Sacri Ordinis Prædicatorum.

HABES IN HOC OPERE.

Quæstiones præambulares ad totam Logicam.
Interpretationem Periherm. Arist. & primi tractatus Petri Hispani.
Tractatum de Syllogismo formali, &
De Fallacijs.
Expositionem prædicabilium Porphyrij.
Prædicamentorum Aristot.
Et Librorum Posteriorum.

Superiorum permissu, & Priuilegijs.



VENETIIS, M DC XVI.

Apud Ambrosium, & Bartholomęum Dei, Fratres.



D. O. M.

ILLVSTRISSIMO

ac Reuerendissimo D. D.

FRANCISCO

VENDRAMENO

S. R. E. CARDINALI

AMPLISSIMO

Venetiarum Patriarchę, Dalmatię Primati, &c.

DOMINO SVO COLENDISSIMO.

F. Michael Zanardus Bergomensis ex Vrgnano: in Conu. S. Dominici Venetiarum S. Theol. Lector primus: Ord. Præd. S. P. D.



VM tota hæc Nobilissima Venetiarum Ciuitas in gaudio magno, ac lætitia ingenti dies duceret, ob nouam Serenissimi Principis Ioannis Bembo electionem; & ob tot Illustriss. Senatorum promotionem ad Procuratoriam Sancti Marci dignitatem, gaudia gaudijs adderet: Ecce lætus nuncius adfuit, & ex alma Vrbe vox personuit. FRANCISCVM VENDRAMINVM, Venetiarum Patriarcham, ac Dalmatiæ Primatem, a Beatiss. ac SS. D. nostro PAVLO PAPA V. ad maximam dignitatem Cardinalitiam euectum fuisse, vnde maioribus exultantis animi signis omnes magis, ac magis iubilare cæperunt, ac D. O. M. innumeras gratias referre,

 qui

qui hoc nostro tempore tot fauoribus, ac gratijs, hanc Amplissimam Rempublicam Venetam exornare voluit. Non defuerunt eo tempore multi, qui hanc publicam lætitiam eruditissimis carminibus, ac ornatissimis orationibus literis dederunt, & tuas amplissimas laudes publicis monumentis tradiderunt, inter quos extitit Nobilium iuuenum Academia generosorum, ex qua hæc nostra Ciuitas eruditos, ac Religiosos viros expectat. His ego omnibus magna animi mei lætitia visis, & perceptis, cogitare cœpi, me magnam ingrati animi notam potuisse incurrere, si dum opportuna mihi se offerebat occasio, cordis mei gaudium Illustrissi. ac Reuerendiss. Dominationi tuæ, cui me multum debere confiteor, non ostendissem, ac omnibus studiosis notum fecissem. En ergo meæ Logicæ editionem, ac impressionem, vt clarissimum lætitiæ meæ signum, de Ecclesia Catholica principatu a te diuina miseratione, & grauissimo Domini nostri PAVLI V. iudicio, ac benignitate ingenti obtento, in tutelam, ac propagationem fidei Catholicæ, ac gregis tibi a Deo commissi magnam ædificationem, tibi offerro, ac consecro. Et cui aptius vltra testimonia gaudiorum animi mei dicare poteram hoc meum opus quam tibi, nobilitate Familiæ Clarissimo, titulis, ac officijs olim, & modo ornatissimo, in dicendi arte, ac facundia nulli secundo, in obeundis negotijs prudentissimo, ac in regendo sapientissimo? Ex nobilissima enim Vendramena Familia tua, Strenuus ille Venetiarum Dux Andreas Vendramenus emicuit, qui inter præclara eius opera illa sunt perpetua memoria digna, quod copiosissimas Turcarum Phalanges, Croiam olim magnam ciuitatem obsidentes, ab obsidione expulerit, fugaueritque, eosdemque Turcas in Prouinciam Foroiuliensem irrumpentes, ac omnia in combustionem, & sanguinem vertentes, in fugam conuerterit, ac intra Othomanici Imperij terminos concluserit. Hæres virtutum Patris, & si non illius Principatus, fuit Paulus Vendramenus, supradicti Andreæ filius; quapropter magno omnium applausu, vt viro præclarissimo, matrimonio ei iuncta fuit Cornelia, Catharinæ Corneliæ, Cipri Regis vxoris, charissima soror. Magna semper fuit spes quam inuictissima Respubli-

spublica Veneta de tua Vendramena Familia concepit, adeo vt in præcipuis, & periculis, & negocijs suis, salutem publicam ei commiserit, prout apparuit in bello nauali, contra potentem Turcarum classem Anno 1571. quando Hieronymo Vendrameno Commißarij munus assignauit, cuius prudentiam magnam, in causa naualis victoriæ fuisse iudicare licet. Et merito hæc Respublica ab hac tua familia victorias insignes, ac opera magnifica semper expectauit, quoniam Vendramenis connaturale fuit, vitam publicæ vtilitati Patriæ præferre, ac pro ea tuenda, & amplianda sanguinem suum libentissime fundere. Clarissima sunt huiusce rei testimonia Nicolaus Vendramenus, qui vt Maranum Castrum ab obsidione liberaret, (prout liberauit) vitam cum morte commutauit. Et nonne Paulus Vendramenus contra magnam Turcarum multitudinem Obruazzum oppugnantem se opposuit, & ne degeneris animi inditium minimum ostenderet, victus multitudine, non fortitudine superatus, fortiter pugnando occubuit? Certe Respublica Christiana multum Francisco Vendrameno debet, qui magna animi constantia, ac corde imperterito in bello nauali, ad Naupactum Achaici sinus peracto, pro religione, ac Patria arma mouendo, sanguine proprio, & inimicorum ornato, victor ad cælos (vt pium est credere) conuolauit. Non est hæc mea epistola superuacanea digressio de nobilitate, ac excellentia Familiæ tuæ, breuis est memoria quorundam tuorum antenatorum, a quibus virtutem, cum nobilitate iunctam traxisti. Qua de re prudentissima hæc nostra Respublica in te sanguinis tui eminentiam prospiciens, præclarasque virtutes tuas, a te arte, & studio auctas intuens, in florida tua ætate, ad sapientum ordinum numerum te assumpsit, ac grauiorum suorum negotiorum te participem esse voluit, & ab eo tempore non solum sapientem, sed sapientissimum agnouit, vt deinde in turbidissimis Marchionatus, Salutiarum negotijs, te Oratorem suum ad Strenuum, & Serenissimum Sabaudiæ Ducem, Carolum Emanuelem destinauerit, & inde ad potentissimum, ac Catholicum Hispaniarum Regem, Philippum secundum, in magno armorum strepitu, te transmiserit, in qua legatione


tam

tam prudenter, te habuisti, vt magnus, ac pijssimus ille Rex sponte, & propria manu te ornamentis equitum ornare voluerit. His legationibus peroptime functus, cum totam Vngariam copiosissimus Turcarum exercitus depopularetur, munitissimisque præsidijs Agria Ciuitatis expoliaretur, ad Inuictissimum Imperatorem Rudolphum secundum transmissus es, ad Christianæ Reipublicæ conseruationem. Nec multum post hæc Respublica nostra te iter arripere fecit in Gallias, ad Principem armorum Henricum quartum, Regem Christianissimum. Et vt tandem omnes tuas legationes terminaret, Legatum, ac Oratorem suum ad summum omnium Principum Principem, ac totius Christianæ Reipublicæ Patrem, Pontificem, Optimum, Maximum, in terris Dei Vicarium te delegit, primum quidem ordinarium ad Clementem Octauum, & deinde extra ordinarium ad Leonem Vndecimum, & ad PAVLVM V. In quibus legationibus tam sapienter, tam pie, tamque honorifice te gessisti, vt hæc Ciuitas, Romæ filia, pastore suo, ac Patriarcha orbata, te omnium votis, ac desiderijs in pastorem, ac Patriarcham suum conclamauerit, sub te sperans fœlicitatem Augusti videre, Traiani bonitatem sentire, ac Titi clementiam experiri. Aexistimauit Serenissima nostra hæc Respublica te in tam Sapientissimorum, ac Nobilissimorum Senatorum cætu, ad pastoralia gubernacula aptissimum, quoniam prius apud potentissimos Principes te probauerat, & de prudentia, ac Sapientia tua multis modis intra muros suos experimentum sumpserat. Nam cum magnis illis viris Leonardo Donato (qui postea Dux fuit,) & Antonio Priolo, S. Marci Procuratore, ac totius exercitus Veneti modo Generali, viro quidem integerrimo, Studij Patauini reformator fuisti, sæpius cum Principe Consiliarius Purpuratus sedisti, ac in Sapientũ a consilijs numerum ascitus, Reipublicæ negotia discussisti, vt mirum non sit, Beatissimum, ac pijssimum Dominum, ac Patrem nostrum PAVLVM PAPAM V. te in numerosa, ac Nobillissima Principum, ac magnorum virorum promotione ad Cardinalatum, & in tam Illustrissima, & meritissima Prælatorum Venetorum Corona, te vt singularem virum selegerit, & ad Apostolorum Senatum

in

in terris, ac Ecclesiæ Principatum assumpserit, & rubro bireto, ac Cardinalitia dignitate te ornauerit. Magni sunt hi honores, sed magna etiam merita, ac opera tua. Bis enim centum Familiæ tuo pane regulariter sustentantur, ac supra mille pauperes tuo cibo aluntur, quolibet anno multæ puellæ nubiles tuo ære matrimonio iunguntur, peregrinus pauper extra domum tuam non manet, & ostium palatij tui viatori indigenti patet. Dicam quod in pace factus est Principatus tuus, & sub tutela tua grex tuus in pace requiescit. His igitur de causis motus, exultantis animi mei lætitiam, hac occasione impressionis meæ Logicæ conticere non potui, vnde tibi, & orbi eam significare volui. Tu igitur qui tot titulis, ac honoribus præstas, exiguum donum obsequentissimi animi mei serena fronte suscipe, & hunc meum laborem sub protectione tua recipe, ita enim ab oblatrantium morsibus se securum reddet, nec enim mirum est, vt qui in foro ædes ædificat, omnium oculos tam beneuolos, quam maleuolos in se conuertat. Viue diu fælix Cardinalis Amplissime, teque Omnipotens diu incolumem seruet, ac honores tuos semper augeat.

Dat. Venetijs in Conu. S. Dominici die 20. Ianij. Anno 1616.



APPRO-

APPROBATIONES

NOS F. SERAPHINVS SICCVS, S. THEOLOGIÆ Magister, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Generalis, & seruus.



VM certi facti fuerimus, te R. P. F. Michaelem Zanardum de Vrgnano, Sacræ Theologiæ Lectorem, Ordinis nostri, multa Commentaria edidisse, ac Quæstiones quamplures in Philosophiam Aristot. ac in plura D. Tho. opera composuisse, quæ si typis mandentur, non parum legentibus proficient; supplicatumque nobis fuerit, vt tibi licentiam imprimendi concedere vellemus. Petitionibus tuis annuere volentes, harum serie nostri auctoritate officij, facultatem tibi Reuerendo P. F. Michaeli Zanardo de Vrgnano, Sacræ Theologiæ Lectori concedimus, vt supradicta Commentaria, & Quæstiones typis mandare valeas, seruatis tamen prius omnibus seruandis, quæ a Sacro Concilio Tridentino decernuntur, & quæ ab omnibus nostris constitutionibus, & ordinationibus Capitulorum generalium statuuntur. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Datum Venetijs die 29. Iulij 1615.

Fr. Seraphinus Siccus qui supra.

Registrat. fol. 25.

Fr. Ioannes Baptista Bossius de Capriata Magister, & Socius.

Legi

LEgi, & expendi diligenter, iussu Reuerendiss. P. F. Seraphini Sicci Papiensis totius Ordinis Prædicatorum Generalis magistri, Quæstiones præambulares in Logicam, Commentaria, & Quæstiones in Periherm. Arist. & Primum tractatum Petri Hispani, Librum de Syllogismo formali, & de Falacijs, Reuerendi P. Fr. Michaelis Zanardi eiusdem Ordinis Lectoris Theologi. Item eiusdem Commentaria cum Quæstionibus in Prædicabilia Porphyrij, & Prædicamenta Arist. Item Dilucidationis in Libros Posteriorum, & nihil reperi lima dignum, sed admiratione, vt appareat opus, logicum negotium tractantibus vtilissimum. Quapropter ad omnium vtilitatem necessarium censui, vt in lucem prodeat. Vale optime Lector.

Venetijs die 15. Iunij anno 1616.

F. Franciscus Cortiuus Venetus, Regens in Conu. SS. Io. & Pauli.

EGo F. Ioan. Petrus Astorius Venetus, conuentus SS. Ioan. & Pauli, Prior, Sacræ Theologiæ Magister, Ordinis Prædicatorum. Vidi, ac diligēter examinaui Commentaria cum Quæstionib. in Logicā Aristotelis, R. P. F. Michaelis Zanardi de Vrgnano, Lect. Theol. ex cōmissione Reuerēdiss. P. F. Seraphini Sicci Papiensis, totius Ordinis Prædicatorum Generalis Magistri, & Adm. R. P. F. Io. Dominici Vignutij, Sac. Theol. Magistri, Inqu. Generalis Venetiarum, cumq; in eis nihil fidei contrarium, aut bonis moribus dissonum repererim, digna impressione censui.

Dat. in Conu. SS. Io. & Pauli Venetiarum, die 16. mensis Iunij 1616.

F. Ioan. Petrus, qui supra.

VIsa supradicta approbatione admitto supradicta Commentaria Impressioni.

F. Io. Dominicus Vignutius, Magister, Generalis Inquisit.

b A D

Ad Lectorem.

Accipe benigne Lector hunc meum laborem, quo curaui proli xa argumenta ad formam Aristotelicam reducere, & confusas responsiones, ad veritatis, & formalitatis regulam redigere, ac arduas difficultates, quibusdam claris fundamentis aperire. Eum sincero corde intuere, & si aliqua errata in eo repereris, corrige, prout infra. Non defuit Correctoris labor, adfuit sollicitudo D. Iacobi Floreni amicissimi mei, bonarum artium publici præceptoris, ne errata acciderent, at non omnibus occurrere valemus, & de raro primæ impressiones transeunt, sine erratis, maxime si Auctorem in alijs negotijs habeant distractum.

Errata omnino corrigenda.

13. nisi pro ac si, ens pro eas. 15. in intellectu pro intellectus. 16. ad pro sed 20. caloris pro coloris 25. prout pro primo. Item ly secundo adde quia 36. vnde pro inde 38. effectum pro affectum 39. col. 1. post ly cathegoricis adde reperiũtur 51. est pro & 57. mediate p immediate 58. rationaliter pro virtualiter. 80. secũda pro tertia 87. reducitur p dicitur 97. Diffinitio p diffinito 104. prima Metaph. pro septimo 107. speciebus pro differẽtijs 111. secũda intẽtione pro prima intentione 112. sine pro suo 113. inducit pro induit 114. est pro &. Iterũ est pro & Item. quod non potest saluari, pro quod potest saluari 115. quod genus contrahatur ad plures species, ad plura indiuidua. Lege quod genus contrahatur ad plures species & plures species ad plura indiuidua 118. continentia autem veritalis pro continentia autem virtualis 120. in secundo Metaph. pro in septimo Metaph. 121. ibi Ratione ergo &c. verba illa transportata sunt 133. seu pro sed 143. aduersitatem pro diuersitatem 257. siue pro si vero 258. differentia separabilis a genere pro differentia inseparabilis a genere 163. naturam pro materiam 264. denominat pro determinat. Differentia pro definitione 274. secundum pro quintum 281. secunda pro prima 286. opugnat pro pugnat 288. Natura pro nam 299. voluit pro noluit 311. naturã v. g. pro naturã denotant v. g. 314. Dum autem Arist. negat, pro dum autem Arist. affirmat. 318. sic Deus, pro hic Deus 319. materialibus pro immaterialibus 334. sub conditione siue quanta, pro sub conditione sine qua non 348. nã numerale, pro nã numerare 390. in ad, pro est in 409. dr̃ effectus passionis, pro dr̃ effectus actionis 433. generalem omnũ, pro generalem ordinem 440. quæ dentur tam, pro quæ dentur etiam. Item vantur per varam pro datur per veram 448. circa differentiam, pro circa definitionem. 496. regale, pro regulare.

INDEX RERVM NOTABILIVM TOTIVS OPERIS.



Nume-


FINIS.

QVÆSTIONES PRAEAMBVLARES AD TOTAM LOGICAM

LECTIO PRIMA, ET SECVNDA, F. MICHAELIS ZANARDI ORD. PRAED.

Quæſtio Prima.

Vtrum Logica ſit ſimpliciter neceſſaria ad omnes alias ſcientias acquirendas.



Idetur quod non. Primo Illud eſt neceſſarium ſimpliciter, ſine quo finis haberi non poteſt. Sed ſine logica haberi poſſunt aliȩ ſcientiæ. Ergo non erit neceſſaria. Minor probatur, quia aliqui addiſcunt Mathematicam ſine Logica, Secũdo, q̃a ãte Ariſt. Plat. ac alios inuentores Logicæ, fuerũt multi periti in omnibus ſcientijs ſine Logica; vt Hippocrates in Medicina, & Euclides in Mathematica. Tertio, quia hodie multi ſciunt leges, tum ciuiles, tum pontificias ſine Logica.

Secundo Principaliter. Si eſſet neceſſaria eſſet vtique, quia docet diffinire, diuidere, & demonſtrare. At hoc verum non eſt, cum quælibet ſcientia ſine Logica habeat ſuas definitiones, diuiſiones, & demonſtrationes. Ergo non erit neceſſaria.

Tertio. Prius ſcitur res, quæ eſt fundamentum ſecundæ intentionis, quam noſcatur ſecunda intentio; quia a rebus incipit cognitio. At Logica eſt de ſecundis intentionibus, & aliȩ ſcientiæ de primis, i. de rebus realibus. Ergo prius cognoſcuntur, antequam habeatur Logica, & ſic non erit neceſſaria reſpectu earum.

Quarto. Si eſt neceſſaria reſpectu omnium ſcientiarum, Ergo erit neceſſaria, etiam reſpectu ſui ipſius. Ergo antequam habeatur Dialectica, iam eſt acquiſita, quod implicat. Antecedens probatur, quia eſt ſcientia.

Quinto. Qui loquitur fallacias odibilis eſt, (ait Eccleſiaſticus 37.) Sed Logica tradit fallacias. Ergo non erit neceſſaria, immo cauenda.

Sexto. Multi ſunt adepti ſcientias ſine Logica, vt de Salomone traditur, de Adam, & pluribus alijs. Ergo

Septimo. Nullum eſt ſcire per demonſtrationem, vel definitionem. Ergo Logica non eſt neceſſaria; Conſequentia probatur, quia Logica dicitur neceſſaria ad acquirendum ſcire], per definitionem, & demonſtrationem. Antecedens probatur. Primo de definitione, Definitio debet conſtare ex genere, & differentia in oratione, ſed nullum eſt genus, quia genus corrumpitur ad corruptioné hominis, Nam valet, ſicut ſe habet

homo,ad non hominem; ita animal ad non animal. Ergo a commutata proportione,sicut se habet homo ad animal,sic homo ad nõ animal; Sed valet cõsequentia, est homo, ergo est animal. Ergo valebit,non est homo,ergo non erit animal. Secundo probatur de demonstratione;nam si demonstratio Mathemat. est falsa, Ergo & omnes aliæ; tenet sequela, quia Mathemat.est in primo gradu certitudinis,sed Math.est falsa, qa considerat rem,aliter q̃ sit,cum abstrahat nõ abstractũ a rebus.Ergo.

Octauo.Obiectum Logicę est ens rationis. Aut ergo est;ens rationis dependens, vel independens. Non secũdum,quia esset Deus. Si primum, aut dependentia reali, aut rationis. Non primum, quia relatio realis nõ terminatur ad ens rationis. Non secundum, quia tunc adhuc quæro de ea, aut erit dependentia secundum rem, aut secundum rationem,& sic in infinitum erit procedere.

Nono.Si Logica est necessaria ad alias scientias, Ergo magis Logicus, magis sciret alias scientias per locũ Topicum 34.Hoc est falsum; Nam Auerr.3.de Anima Commento 30. laudat Auicenam in Logica, quem tamẽ in multis errasse in Phy.asserit.

Decimo.Auerr.4.Phy.t.87. vocat Logicas rationes extraneas, & Philosophiam ex illis compositam extraneam, & Alexan.12. Diuinorum Comment.primo,Logicam inquisitionem inanem appellat. Sed scientia est ex ꝓprijs, & necessarijs Ergo Logica non erit necessaria scientia.

Vndecimo.Athenienses Protagoræ libros de Logica agẽtes, publico decreto veluti noxios comburi iusse runt.Ergo nõ erit scientia necessaria.

Duodecimo. Plato in Parmenide Logicam garrulitatem q̃dam vocat.

Decimotertio. Auerr. 4. Phy.ait quod Philosophi videntes se a Principibus contemni, transeunt de virtutibus ad uitia, quod præcipue accidit Dialecticis.

Decimoquarto. D. Hieronymus psalmo 97. vocat Logicam fautricẽ hęresum, ac maximam ipsarum nutricem, & D.Amb.dicebat,a Logica Aug.libera nos Domine.

Decimoquinto. In Decretis distinctione 37. cap. Non ne. habentur hæc verba; Non ne nobis videtur in vanitate sensus, & obscuritate mentis ingredi, qui diebus,ac noctibus, in Dialectica arte torquentur? Cum ergo tot ex partib. cõtumelijs afficiatur,nõ erit dicẽda sciẽtia necessaria.

Pro dilucidatione huius quęstionis tria obseruabo; Primo ponam aliqua fundamenta facientia ad claritatem quæstionis.Secundo loco ponam duas conclusiones,quas probabo. Tertio respondebo argumentis.

Quoad primum Primo notandũ venit,quod duplex est scientia. Prima dicitur realis, quia agit de rebus realibus, existentibus in rerum natura,vel quæ existere possunt.Secunda vocatur scientia rationalis, quia versatur circa opera, & actus rationis. Prima est triplex, s.Met. quæ agit de abstractis a materia, secundum rem, & rationem, vel realiter, vt sunt Deus,& intelligentiæ,vel formaliter,ut transcendentia,quę vt sic non includunt necessario in suo conceptu materiam. Secunda vocatur Mathemat. quæ agit de abstractis a materia secundum rationem,sed nõ secundum rem,vt de figuris, numeris,lineis, &c.quæ intelliguntur sine materia, sed tamen non sunt nisi in materia. Tertia vocatur Physica,& Naturalis, quæ est de rebus non abstractis a materia, neque secundum rem, neque secundum rationem,vt sunt motus, natura,materia,forma, &c. Rationalis item triplex est. Quędam agit de sermone congruo, vel in-

Logica est sciẽtia rationalis.

incongruo,& hæc est Grammatica. Quædam de ornato, vel inornato, vt Rethorica. Quædam de vero, vel falso, vt Logica. Vnde tres hæ scientiæ vocantur sermocinales, quia agunt de sermone. Differt autem Logica a realibus in obiecto, quia illæ habent pro obiecto ens reale, & ista ens rationis. A sermocinalibus vero differt, Primo ratione finis, quia finis Logicæ est discernere verum a falso, Grammaticæ recte loqui:& Rethoricæ ornate. Secundo differunt ex modo procedendi; nam Dialectica (teste Arist. in initio Rethoricæ) est compendiosa, Rethorica vero extensa i verbis,& apparatu verborũ,&c.

Logica duplex.

Secundo notandum, quod Dialectica, seu Logica duplex est. Quędã dicitur Iudicatiua,& hæc absoluitur in libris Perihermen. Priorum, & Posteriorum, quamuis diuersimo de. In Periher. quoad terminos, & propositiones, quia ibi traduntur termini propositionum, ex quibus integratur syllogismus. In libris Priorum quoad formam syllogismi, quia ibi agitur de figuris secundum quas fiunt syllogismi. In libris vero Posteriorum agitur de materia demonstrationis,& statuitur, qđ demõstratio debet esse ex primis, veris, immediatis, notioribus, priorib. & causis conclusionis. Alia vocatur Topica, q̃ agit de locis,& sedib. argumentorũ. Demõstratio aũt differt a Topica, qa ipsa ꝓcedit ex necessarijs; Topica ex probabilib. vnde Demõstratio generat scientiam,& Topica opinionem.

Necessarium quadruplex.

Tertio notandum, quod quadruplex est necessarium. Primum dicitur ab extrinseco,& per violentiã; vt quod interfectus interfectione intereat. Secundũ vocatur simpliciter,& absolute necessarium, quod omnino aliter se habere non potest; vt quod homo non sit rationalis,& omne cõpositum ex contrarijs non sit corruptibile. Tertium dicitur necessarium ad finem, & hoc dupliciter. Primo simpliciter, verbi gratia, volenti viuere, simpliciter est necessarius cibus. Secundo ad finem, ad bene esse, quia sine tali re potest assequi, sed nõ tam bene, & commode, quo pacto dicimus esse necessarium equũ volenti conficere iter, q̃uis pedester ire possit, non tamen tam commode, sicut cum equo. Qũo autem Logica dicatur necessaria ad alias scientias habẽdas, nõ est vnus modus loquẽdi, ũde.

Opini[o]

Quarto notãdum, quod circa pręsentem difficultatem sunt tres opiniones; Prima fuit multorum Antiquorum, non solum negantium Logicã esse necessariam, verum etiam affirmantium non esse vtilem, immo omnino tollendam. Sic videtur sentire Erasistratus secundum Galenũ, Aristippus, & Epicurus. Secunda opinio est Io: Ianduni in 2. Met. q. 12. Suesani in præfatione Priorũ, & Iauelli in primo tractatu suæ Logicæ, asserentium Logicam non esse, simpliciter necessariam ad acquirendas,& possidẽdas alias scientias, sed tamen esse necessariam ad bene esse, seu vtilem, quia faciliori modo nos introducit, ad aliarum scientiarum cognitionẽ. Tertia opinio videtur S. Doctoris prima lectione primi Posteriorum, quo in loco asserit hominum genus viuere artibus, & rationibus,& ideo esse necessariam quãdam scientiam regulatricem operationum intellectus,& hanc dicit Logicam, quam opinionem & nos libentissime sequimur. Tractamus autem hanc quæstionem de necessitate ad finem, & non de necessitate ab intrinseco, quia constat hominem sine Logica esse posse, cũ q̃uo stat quod ab intrinseco ad eam habet inclinationẽ, vt ostendit Sanchez Sedegno q. 1. suæ Logicæ,& Petronius q. 1.

Quinto notandum venit, quod

Logica naturalis & artificialis. duplex est Logica. Quædam n. dicitur naturalis, quæ non est nisi naturalis discursus, ex quo naturaliter syllogizamus, & argumentamur, de vno ad aliud, sicut faciunt etiam rudes, & carentes omni arte; quidam minus bene, & quidam melius. Alia dicitur Logica artificialis, quæ ponitur regulatiua operationũ intellectus, ex qua addiscimus, diuidere, diffinire, & syllogizare. Si loquamur de Logica naturali, sic omnes fatentur esse necessariam, quia sine discursu naturali, nec scimus, nec intelligimus, vnde concertatio tantum est de secunda, idest de artificiali, quam tradit Arist. in suæ Logicæ libris. Et tamen vt clarum supponimus vt supra, quod omnes homines natura, i. naturali inclinatione, & passione desiderent scire Logicam. Vnde fundamentaliter dicitur passio veri hominis, vnde est Logicabilis, sicut & risibilis.

Est necessaria simpliciter ad finem. Sexto ergo notãdum, quod aliud est loqui de Logica, vt est tradita ab Arist. digesta in libris Logicalibus, & aliud de Logica prout est sparsa, & confusa in cæteris scientijs, inquãtum ipsæ argumentantur, diuidunt, & definiunt, prout facit, & docet Logica. Si loquamur secundo modo, sic dicitur necessaria simpliciter ad finem: nam aliæ scientiæ etiam practicæ nec essent intelligibiles, nec possent facere scire, nisi vterentur diuisione, definitione, & discursu, de quibus est Logica. Si autem loquamur primo modo, puto distinguendum esse, quod aliud est loqui de perfecta notitia aliarum scientiarum a Logica, præcipue quoad defensandas suas conclusiones contra aduersarios, & ad cauendos omnes errores, & sic dico Logicam esse simpliciter necessariam respectu perfectæ cognitionis, defensionis, & euitationis errorum in alijs scientijs. Et aliud est loqui de confusa, & imperfecta notitia earum; sic n. puto posse nos scire tradita ab alijs scientijs sine Logica. Erit igi(tur) absolute necessaria. Primo Logica naturalis. Secundo artificialis confusa in alijs scientijs. Tertio etiam distincta in libris Logicæ, quoad perfectam cognitionem aliarum scientiarum. Et quarto, ad tollendos errores, & veritatem ab eis traditam defensandam contra aduersarios, & ad regulandum intellectum in scibilibus speculatiuis, & practicis.

Conclusiones probantur. Quoad secundum pono hanc conclusionẽ contra primam opinionẽ. v. Logica non est vana, & fallax, Probatur interrogando: Aut ex quo libet antecedente licet inferre quod libet consequens, aut non. Si primũ, ex hac vestra positione, s. quod Logica est vana, & fallax, licebit mihi inferre hoc consequens, Ergo Logica est necessaria. Si secundum, id nõ scitur nisi per Logicam. Ergo.

Secunda conclusio directe respõdens, quæsito est. Logica est necessaria ad omnes alias scientias acquirẽdas, & possidendas, ita vt sine ea perfecte haberi non possunt. Probatur primo. Res non scitur, nisi cognoscatur, quod aliter se habere non potest; sed hoc sciri non potest. Sine Logica. Ergo erit necessaria. Maior est Arist. 2. cap. primi Post. Minor probatur. Primo, quia hoc scitur per demonstrationem, at de demonstratione agit Logicus. Secũdo, quia res scitur, quando recte iudicatur; de iudicio autem, & discrimine, inter scire scientifice, & opinatiue, agit Logica. Tertio, q̃a modus pquirẽdi sciẽtias est per definitionem, & demonstrationem, de quibus Logicus agit.

Secundo principaliter. Prius oportet scire quomodo domus constituatur, antequam ędificetur, & nullus dicitur ędificator, nisi prius addiscat artem ędificatiuam. Sed Logica do-

cet

cet construere syllogismos, probare cõclusiones,& reicere falsas opiniones i oib. sciẽtijs. Ergo erit ad eas necessaria,& prior oib. illis addiscẽda.

Tertio. Probatur communi fere consensu omnium illustrium scriptorum. Nam Arist. primo Post. vt refert Cic. lib. 1. Academicarũ q. Dem. Anaxag. & Empedocles multa tradũt, q̃ ab hominib. sciri nõ possunt, .s. ab his, qui sine Logica fuerunt; idcirco Plat. Arist. & Zeno stoicorum Princeps, videntes hanc necessitatẽ tradiderunt Logicam artificialem. Hinc non est mirum si Epicurus nesciendo discurrere, nec inuenire potuit summum bonum: vnde illud in voluptatibus posuerit. Hæretici quoque ex ignorantia Logicæ, falsas ex sacris literis consequentias deducunt. Et Boetius pro causa tot erratorum Antiquorum, aliam non assignauit, nisi quia Logicam non callebant. Et D. Aug. eam summopere commendat, dicendo, eam artem artium, & quod est ianua, qua aperta omnes aliæ scientiæ aperiuntur, & qua clausa, oẽs aliæ clauduntur. Et D. Th. primo Post. Lectione prima habet, quod sine ea non possumus nec recte discurrere, nec syllogizare, &c.

Argumẽta soluuntur. Ad primum, ergo dicendum, quod illi non habuerunt perfectam scientiam, quia non habuerunt perfectam Logicam. Notandum tamẽ, quod scibilia sunt in multiplici differentia. Nam quædam sunt scibilia ex auctoritate dicentis, quia audiens ea credit, vt sunt omnia illa, quæ habentur in iure pontificio, & ciuili, in quibus continentur decreta Pontificum, & Principum, & hæc possunt sciri sine Logica, quia eis sufficit, vt tantum credãtur, quamuis si ex vno decreto, aliud deducere volumus, necessaria consequentia, sicut opus est, oporteat etiam callere Logicam. Aliqua vero sunt scita per experientiam propriam, at in his, nec est necessaria Logica quoad simplicem cognitionem rei expertæ. Sed bene necessaria erit, ad deductionem vniuersalem, ex pluribus singularibus experimentis, deducendo vnam conclusionem generalem, & multo magis si scire per experimentum sit cũ cognitione causę, tunc enim per Logicam argumentationem arguimus ad generalem regulam. Alia vero scibilia sunt per doctrinam, & disciplinam, per discursum, & ratiociniũ, & in his maxime apparet necessitas Logicæ. Potuit igitur multa scire Hippocrates experimento, & cognitione patente ad sensum, sicut & Euclides quoad figuras Mathematicas, sed tamen ad deducendum vnum ex altero, indiguere Logica, saltem ad perfectam cognitionem earum.

Ad secundum dicendum, quod definitio, diuisio, &c. dupliciter considerari possunt, Primo in particulari, vt hæc sit diuisio huius rei, & hæc eiusdem definitio. Secundo in communi, & vniuersali, agendo de diuisione, vt est diuisio, &c. Primo modo in alijs scientijs possumus scire diuisiones, diffinitiones, &c. verbi gratia quod tria sunt principia rerum naturalium in Physica; at secundo modo, pertinet ad Logicam, s. scire quod diuisio debet fieri per membra opposita, diffinitio per intrinseca, & demonstratio per causas, quod in idẽ reddit, ac dicere, quod materialiter, .i. quoad res diuisas in alijs scientijs, scimus diuisiones, diffinitiones; & demonstrationes, non autem formaliter, idest quoad regulas, modos, & formam diuidendi, diffiniendi, & demonstrandi. Vel tertio dicẽdum, quod per alias scientias, non scimus perfecte, & ex proprijs naturam diuisionis, &c. Sed bene per Logicam. Ideo dato intellectu, qui lumine na-

turali,

turali, fiat habilis ad sciendas aliquas conclusiones dicendū est, quod tunc habet Logicam artificialem virtualiter, & confuse, vnde distinctè non syllogizabit in aliqua scientia sine Logica.

Ad tertium dicendum, quod res dupliciter considerari possunt. Primo materialiter secundum se, & vt existunt in rerum natura; & sic sunt priores arte, & cognoscente, vel faciente scire. Secundo, vt formaliter scitę sunt; & sic nō sciuntur, nisi post cognitionem secundarum intentionum, quibus regulantur. Animal .n. poterit esse sine intentione vniuersalitatis, non tamen scietur, vt vniuersale, nisi per vniuersalitatem, quam Logica speculatur.

Ad quartum dicendum, quod Logica artificialis iuuat naturalem, & perfecta artificialis, iuuat imperfectam artificialem, & ideo etiam respectu sui dicitur necessaria. Logica autem concurrit ad acquisitionem aliarum scientiarum in genere causæ effectiuæ, i. vt instrumentum deueniendi ad earum perfectam cognitionem. Hoc autem principaliter, & formaliter obtinet, vt vtens est, i. vt est in vsu, & exercitio diffiniendi, diuidendi, & demonstrandi, quamuis radicaliter hoc sibi vendicet vt docēs est, i. vt speculatur suum obiectum, & intuetur suas proprias regulas, quas tandem, vt diximus, vt vtens est, applicat ad hanc, vel illam scientiam; Ex quo vt docens, & vtens, est vna Logica realiter, dicta docens, in actu signato, vt docet regulas diffiniendi, &c. & vtens in actu exercito, vt hæ regulæ exercentur per alias scientias. Nec contra hoc vrgent rationes Sanchez q. 6. suæ Logicæ. Nā eiusdem habitus sunt diuersi actus distincti realiter, & ita eiusdem potentię.

Ad quintum dicendum, quod scire fallacias ad decipiendum, odibile est, sed ad cauendos errores latentes vtile, & necessarium, vnde duplex est finis in scientia. Primus dicitur scientiæ, scilicet facere scire, & hic est finis per se, vnde in Logica finis Dialecticæ scientiæ, est facere scire quomodo euitandæ sint fallaciæ. Secundus vocatur finis scientis, ordinantis bonum scire, ad malum finē, & talis est per accidens malus, & euitandus.

Ad sextum dicendum, quod scietiæ adipiscuntur dupliciter. Primo per lumen intellectus agentis, & sic ad eas hoc modo habendas, posuimus necessariam Logicam. Secundo per infusionem, & reuelationem, & sic possunt infundi scientiæ sine Logica, & etiam simul cum Logica, sicut dicitur factum fuisse cum Salomone, & Adam.

Ad septimum, negatur quod genus corrumpatur ad corruptionem hominis huius, & alterius; nam destructis singulis substantijs, adhuc saluatur animalis, & hominis ratio, per Arist. in prædicamentis. Ad id quod de Mathematicis dicitur. Respondetur quod Mathematica non considerat rem aliter quam sit intellecta, quia supponit rem habere talem rationem, verbi gratia lineam habere longitudinem; sed de his 2. Phy. Secūdo dicitur, quod eo modo, quo Mathematica rem considerat, eo etiam modo res est vera, i. secundum abstractionem.

Ad octauum dicitur, quod est ens rationis dependens, vt abstrahit a dependentia reali, & rationis, quia in reali fundatur, & in rationis habet formalitatem.

Ad nonum dicendum, quod magis sciens Logicam, magis potest scire alias scientias, si se applicet ad eas; si autem nō se applicet, minime, Vel secundo dicendum, quod in alijs scientijs

tijs duo sunt s. res, vel obiectum scibile, & medium per quod scitur, s. per definitionem, aut diuisionem, aut demonstrationem; Modo habẽs perfectiorem Logicam potest habere perfectiorem cognitionem, quoad medium sciendi, non autem quoq ad rem scitam, nisi ipsam magis speculetur, & penetret.

Ad decimum dicendum, quod Logica dupliciter procedit. Primo ex proprijs, & necessarijs, vt facit Logica Iudicatiua. Secundo ex probabilibus, & communibus, vt facit Topica, & hoc secundo modo locutus est Auerr.

Ad alia dicimus, prohibitiones, damnationes, &c processisse non ex fine scientiæ, qui bonus est, sed ex mala applicatione, & vsu scientium, qui eam male applicabant, s. ad decipiendum, & in hoc sensu reprobatur.

QVESTIO II.

Lectio iij. & IV.

Vtrum Logica sit scientia.

Videtur quod non. Primo. Modus sciendi non est scientia. Sed Logica est modus sciendi, per Arist. secundo Met. c. 5. vbi dicit. Absurdum esse simul quærere scientiam, & modum sciendi, intelligendo per modũ sciendi Logicam, secundum San. D. & alios expositores.

Secundo. Scientia est de determinato obiecto, Logica non. Ergo. Maior est nota. Minor ꝓbatur, ex Arist. primo. Elen. c. 11. in principio, & 4. Metaphisicæ c. 5.

Tertio. Scientia est de necessarijs, & permanentibus, ex Primo Post. c. 6. Logica non est talis, quia est de secundis intentionibus, quæ sunt contingentes, & variæ, prout varij sunt conceptus formati ab homine de eadem re, imo & res Logicæ transeunt simul cum disputatione. Ergo.

Quarto. Pars sophistica potius est ad errores construendos, quam ad veritatem affirmandam, quod tamẽ scientiæ est necessarium. Ergo non erit scientia.

Quinto. Scientia est de ente simpliciter in actu, quia entium est tantum scientia. At secundæ intentiones, quæ sunt ens rationis non sunt entia simpliciter, nec in actu, quod patet. Ergo.

Sexto. Scientia procedit ex necessarijs, & secundum quod ipsum, sed Logica procedit quandoque ex probabilibus, vt patet in Topica. Ergo.

Septimo. Si Logica est sciẽtia, sequeretur in scientijs processus in infinitum. Nam vel requireretur alia Logica vt modus sciendi, ad habẽdam Logicã istam, aut non? Si secundũ, ergo aliqua scientia potest haberi sine modo sciendi, & consequenter sine Logica, quæ est modus sciendi: Si primum, quæro de illa Logica, an sit scientia, an non? Si est scientia, ergo requirit aliam priorem, & sic est processus in infinitum. Si non, ergo deuenimus ad modum sciendi, qui non erit scientia, & sic Logica erit modus sciendi, & non scientia.

Octauo. Logica est ars definiendi, & ratiocinandi. Sed ars distinguitur a scientia, cum sint habitus diuersi, per Arist. 6. Eth.

Nono. Scientia est de his, quę sunt semper, vel in pluribus, ex 6. Met. r. 6. Sed entia rationis de quibus est Logica non sunt semper, nec vt in pluribus, quia per Arist. 6. Ethic. 8. in hoc differunt natura, & ars, quod de operibus naturę est scientia, quia sũt semper, uel ut plurimum uera. Sed opera artis s. intellectus, & uoluntatis nostræ, non sunt semper, nec vt plurimum uera. Ergo.

Deci-

Decimo. De ente per accidens nō est scientia; Entia rationis sunt entia per accidens. Ergo. Maior est Arist. 6. Met. & Minor est eiusdem 5. Met. t. 14. vbi tantum decem predicamenta, quæ sunt entia realia dicit esse entia per se.

Vndecimo. Si est scientia, non est realis, quia per Arist. tantum ista est vel Met. vel Mat. vel Physica. Ergo erit rationalis. Sed hæc scientia rationalis non inuenitur apud Arist. vnde de ea nullum fecit sermonem. Ergo.

Duodecimo. Scientia quærit scire propter se. Sed Logica solum quærit scire propter alias scientias, Ergo nō erit scientia. Maior, & Minor sunt Arist. primo Topicorum c. 9.

Decimotertio. Scientia multa demonstratiue concludit, ex Arist. primo post. c. 2. Sed Logica nihil potest demonstratiue concludere. Probo, quia vel demonstraret a priori, ex notioribus secundum naturam, vel a posteriori, per notiora nobis. Sed Logica non potest demonstrare primo modo, cum secundæ intentiones non possint dici notæ secundum naturā, nec nobis, cum non sint sensatæ, sicut sunt ea, quæ nobis nota sunt. Ergo non erit scientia.

Decimoquarto. Demonstratio quę facit scire procedit ex causis in essendo, & cognoscendo, Sed entia rationis non sunt causæ in essendo cum nihil sint, nec in cognoscendo cum difficillime cognoscantur, & quidem ex rebus realibus. Ergo.

Decimoquinto. Scientia supponit suum subiectum, esse ex primo Post. c. primo. Sed Logica non supponit nec syllogismum, nec ens rationis esse, quæ ponuntur a diuersis subiectū in Logica. Ergo non erit scientia. Minor patet, quia Logica, quærit quomodo fiat syllogismus, & quodnam sit ens verum i. ens rationis.

Decimosexto. Tum diuisiones Logicæ, tum demonstrationes, sunt instrumenta ad sciendam passionem inhærere subiecto. Sed instrumentū scientiæ non est scientia. Ergo

Decimoseptimo. Scientia procedit ex ꝓprijs principijs. Sed hęc procedit ex communibus, vt habetur 8. Phy. t. 18. Ergo.

Decimooctauo. Formaliter Logica est vtens, & instrumentum, quia Logica vt Logica est, hoc habet, sed Logica vtens non est scientia. Ergo Logica non erit scientia.

Decimonono. Scientia versatur circa obiectum scibile. At ens rationis, quod ponitur subiectum in Logica non est scibile. Probatur. Nam cognosceretur vel per propriam, vel per speciem entis realis. Non primū, quia solum obiectum ad extra i. ens reale emitit speciem. Non secūdum, quia species non representat ea, quę sunt diuersæ speciei, vt sunt ens reale, & ens rationis,

Vigesimo. Scientia est de rebus, & non de propositionibus. At Logica vt plurimum versatur circa naturas propositionum. Ergo.

Vigesimoprimo. Scientia demonstrat proprias passiones de suo subiecto. Hoc non facit Logica. Ergo. Maior est Arist. primo & secundo Post. Min. probatur. Quia eas non habet. Nam si eas haberet essent simul cum subiecto. At prædicabilitas, vniuersalitas, & similes, quæ ponitur passiones entis rationis ab eo possunt seorsum intelligi. Ergo.

Vigesimosecundo. Res eo modo scitur, quo modo est. Sed ens rationis, subiectum Logicæ est ens secundum quid, quia ens simpliciter est ens reale. Ergo scitur solum secundum quid. Et sic Logica erit scientia secundum quid, & non simpliciter.

Vigesimotertio. Quod non est cognoscibile, non est scibile. Sed ens rationis

tionis non est cognoscibile. Probo. Quia non continetur sub obiecto intellectus nostri, i. sub quidditate rei sensibilis, cum non sit ens reale sed ens rationis. Ergo.

Vigesimoquarto. Omnis scientia realiter refertur ad suum obiectū, cum mensuretur ab obiecto, & relatio mensurati, ad mensuram sit realis. At ens rationis non refertur realiter ad scientiam, quia relatio realis, est inter extrema realia. Ens autem rationis non est ens reale, nec existens.

Vigesimoquinto. Scientia non subalternata in se, est euidens per Arist. primo Post. Sed Logica non est euidens, cum multi negent ens rationis, & secundas intentiones, de quibus est Logica.

Vigesimosexto. Logica si esset sciētia esset de ente vero. Sed ipsa non est de ente vero, cum verum sit transcendens conuertibile cū ente, quod est ens reale. Ergo.

Ad enodandam hanc quæstionē. Primo ponam aliqua fundamenta, deinde. Secundo loco probabo cōclusionem nostram, & vltimo, soluam argumenta.

Logica nomine quid intelligendum sit. Primo ergo notandum, pro notitia terminorum, quod de scientia loquimur proprie, vt est habitus acquisitus ex demonstratione, vnde per hoc excludimus Primo, Logicā naturalem, quæ nec simpliciter est scientia, nec Logica, sed quidam habitus naturalis discurrēdi. Secundo per hoc excludimus habitum generatum ex simplici cognitione vnius rei materialiter cōsideratę, seu vnius conclusionis, quia hic loquimur de scientia inquantum per vnam rationem formalem sub qua, se extendit ad plures res scibiles, vel plures modos sciendi. Tertio, excludimus cognitionem habitam per rationes Topicas .i. probabiles, quia illæ non generant scientiam, sed opinionem, nec inducunt habitum certum scientificum, sed tantum probabilem. Quarto, ridiculam Gualteri imaginationē dicentis, quod Logica scientia sumitur pro isto conceptu Logica, quia hic conceptus tantum est nominis Logicæ, & non habitus aliquis acquisitus per Logicam. Intelligimus ergo nos per Logicam habitum definiendi, diuidendi, & argumentandi.

Opiniones. Secundo notandum, quod circa præsentem difficultatem sunt duæ opiniones. Prima est Themistij; Primo. Post. c. 24. & Aegidij Romani primo Elenc. & quorundam modernorum tenentium Logicam non esse scientiam, nec partem Philosophiæ, sed esse tantum instrumentum, seu organum, quo scientiæ acquiruntur. Alia sententia est S. D. 4. Met. Lectione 4. Scoti q. 1 in prædicabilibus. Alb. Magni c. primo, suæ Logicæ. Auicenæ in sua Logica. Toleti, & Soti. Sanchez, & Petronij hic in initio Logicæ, s. quod est scientia, & pars Philosophiæ, vnde.

Scientiæ cōditiones Tertio notandum, quod conditiones scientiæ sunt istæ. Prima, quod sit ex principijs per se notis, vel suppositis vt notis. Secunda, quod sit habitus certus, & euidēs, acquisitus per demonstrationem. Tertia, quod sit de rebus necessarijs, & sempiternis, Quarta, quod sit cognitio rei per causam, si est scientia a priori, vel per effectum, si est scientia a posteriori. Quinta, quod sit de aliquo determinato obiecto, sicut Physica est de ente mobili, & Logica de ente rationis. Et sexta, quod plura consideret sub vna ratione formali, verbi gratia, Phy. considerat omnia entia naturalia vt sunt mobilia, & Logica omnia entia, quibus potest intellectus attribuere vniuersalitatem, prædicationem, &c. vt sunt entia rationis.

Non eodē modo sciē tijs conueniunt. Quarto notandum venit, quod supradictæ conditiones non eodem modo, nec cum eadem perfectione requiruntur in omnibus scientijs, sed prout valent eas habere; nam habitus certus habet latitudinem maioris, vel minoris certitudinis, ita necessitas, ita euidentia principiorū, obiectum, &c. vnde Logicæ sufficiet cum non sit scientia realis, sed rationalis, vt habeat tantam certitudinem, talia principia, & tale obiectū, quod valet habere scientia de secundis intentionibus.

Logica docēs est sciētia. Quinto ergo notandum, quod duplex est Logica, vt supra annuimus. Prima dicitur Logica docens, quæ docet quomodo sint conficiendi syllogismi, quomodo construenda demonstratio, & ex quibus, quomodo sit definiendum, & diuidendum. Secunda dicitur Logica vtens, f. doctrina tradita a Logica de definitione danda, prout est in vsu, verbi gratia, Philosophi naturalis, vel ad diffiniendum naturam, vel aliquid naturale. Secundo modo non dicitur scientia, sed modus sciendi, quia se habet vt instrumentum aliarum scientiarum. Primo vero modo dicitur scientia, quia vere docet, & tradit, quomodo sit diffiniendum, & ex quibus in quacūque scientia accipiatur diffinitio, sed.

Non distīcta ab vtēte. Sexto considerādum venit, quod duplex sit Logica, f. docens, & vtēs, bifariam intelligi potest. Primo vt sint duo habitus, habentes diuersas rationes formales intrinsecas, & hoc est falsum, quia vna eademque Logica est illa, quæ docet diffinire, & diffinit hanc, vel illam rem. Secundo vt distinguantur sicut vniuersalis, & applicata, seu vt idem habitus realis, est in actu signato, & exercito, quia Logica docens in communi docet definire, &c. Sed vt applicat has regulas generales ad hanc, vel illam scientiam, dicitur vtens, & sic distinguuntur, sed hæc distinctio, non est intrinseca, sed extrinseca, nā & vnū, idemque bonum est honestum, & vtile ex se; sed dicitur honestum ex sui natura, vtile vero vt applicatum ad aliud.

Conclusio probatur. Quoad secundum principale pono talem conclusionem. Logica est scientia. Probatur primo. Cui cōueniunt conditiones scientiæ, illa est scientia, Sed Logicæ conueniunt cōditiones scientiæ. Ergo erit scientia. Maior est nota. Minor probatur. Logica est habitus certus & euidens per demonstrationem acquisitus, nā Logica ex necessarijs demonstratiue procedit, verbi gratia, demonstrabit necessario, syllogismum demonstratiuum generare scientiam, & Topicum opinionem. Item, quod demonstratio erit ex his, quæ sunt per se, & secundum quod ipsum, ex principijs sempiternis &c. quod 3. sint figuræ syllogismorum, quod propositionū modi sunt plures, & similia, quæ tantum probat Logicus, quantum Physicus, quod corpus mobile est cōtinuū, quod 3. sunt species motus &c.

Secundo. Sumo Logicam vt tantum docet formam & modum diffiniendi, argumentandi, & diuidendi, & non inquantum ea vtuntur aliæ scientiæ; ista .n. sunt separata, cum vnus possit intendere tantum primum, sine secundo. Tūc quæro, aut per Logicam primo modo, aliquid cognoscimus vniuersaliter, & necessario, aut non. Secundum non est dicendum, quia tradit proprias regulas & canones, si primum, si non est instrumentum ad sciendum. Ergo erit scientia.

Tertio. per Arist. 4. Met. Logica & Metaphysica æquiparantur in subiecto, quia Logica est de omni ente rationis. Metaphysica de omni ente reali, Ergo Logica erit scientia, Pro-

bo

bo sequelam. Primo quia oppositorum eadem est ratio, si .n. Metaphysica, quia agit de ente reali est scientia. Ergo & Logica, quæ agit de ente rationis. Secundo quia ens ratio nis est scibile, & non per aliã scientiã q̃ p Logicã. Ergo erit sciẽtia. Tertio, quia ens rationis vocatur ens verũ 6. Met. Ergo tanq̃ scibile vere cognoscibile. Quarto, quia habet propria pricipia, partes, & rationes. Ergo p hæc scibile. Quinto, quia inclinat vt habitus sciẽtificus ad iudicãdũ de suis cõclusionib. p suas rationes formales.

Argumẽta soluuntur.

Ad primum ergo dicẽdum, quod procedit de Logica vtente, nos loquimur de Logica docente. Secundo respondetur, quod duplex est modus sciendi, quidam qui tantum est modus sciendi, & hic non est scientia, alias est modus sciendi, qui supponit scientiam, & talis est Logica. Vnde sensus verborũ Philosophi est, quod inconueniens est quærere modum sciendi, & scientiam simul, & eodem modo formaliter, quia modus sciendi necessario debet supponere scientiam, quia modi sciẽdi, qui sunt tres s. diuisio, diffinitio, & demonstratio causantur a Logica docente, vnde non dicitur modus sciendi, nisi caualiter, & scientia formaliter.

Ad secundum dicendum. Primo, quod Logica vt docens, est de determinato ente, i. de ente rationis, non vero, vt Logica vtens, quia omnibus scientijs inseruit. Secundo dicitur, quod esse de determinato obiecto stat dupliciter. Primo materialiter, i. verbi gratia de ente mobili, vel de quanto, &c. & sic non est de determinato ente Logica, nec Met. quia sunt scientiæ vniuersalissimæ, vna realis, & alia rationis. Secundo, vt non sit de determinato ente formaliter. i. quoad rationem formalem, sub qua omnia considerat, de quibus agit in scientia, & sic est, de determinato ente, quia omnia, quæ considerat sub hac formali ratione considerat, s. vt sunt entia rationis.

Ad tertium dicendum, quod syllogismi, & secundæ intentiones dupliciter considerari possunt. Primo in particulari, pro hoc, vel illo syllogismo, & sic dicuntur contingentes. Secundo in vniuersali, inquantum Logica tradit vniuersaliter, quod syllogismus debet constare ex duabus propositionibus, s. ex maiori, & minori, & ex tribus terminis, & quod intentiones secundæ fundantur in rebus realibus, necessarijs per se, & vniuersaliter, & sic dicitur necessaria.

Ad quartum dicendum, vt supra, quod ars sophistica, vt docet vitare errores, dicitur scientia, non prout aliquis ea potest male vti, vt .n. talis habet rationem finis scientis, & non scientiæ.

Ad quintum dicimus ad maiorẽ. Primo, quod valet de scientia reali, non de rationali, vt est Logica, quia sufficit, vt sit de ente suo modo necessario. Secundo dicitur, quod scientia debet esse de ente simpliciter in actu, vel formaliter, vel fundamentaliter, vt est Logica quæ, quamuis formaliter sit tantum de secundis intentionibus, est tamen de eis vt fundantur in ente reali simpliciter. Tertio dicitur, quod per ens simpliciter non erit intelligendum ens existens, quia sic de rosa non existente non esset scientia, sed intelligitur ens diffinibile, & demonstrabile, vt est ens rationis, quoad diuersas eius rationes, & vt sic etiam.

Ad sextum dicendum. Primo, nõ esse necessarium vt omnis pars scientiæ, sed solum principalis generet assensum certum, sicut est in facto, quia pars principalis Logicæ, s. Analitica generat assensum certum, & euidentem, quamuis Topica tantũ generet opinionem. Secundo respon

detur, quod aliud est loqui de Topica, vt tradit loca arguendi probabiliter, & aliud vt in vsu tantum inducit probabilitatem. Primo modo dicimus esse necessariam, i. habere regulas necessarias arguendi, quia loca Topica talia sunt, vt impossibile sit aliter se habere. Secundo vero modo tantum inducit opinionem, sed nos loquimur de ea primo modo, i. vt est docens, & non vt est vtẽs.

Ad septimum dicendum, quod non requiritur alia Logica ad Logicam habendam, sed sufficit, vt habeat sua principia ex quibus possit deducere suas conclusiones, & deinde, se applicare in vsu ad diuersas scientias. Ista autem principia erunt quod intellectus diuidit, diffinit, & ratiocinatur, quod format diuersos conceptus de rebus existentibus, quod plures sunt modi dicendi de omni, quod tres sunt figuræ argumẽtandi, & similia, quæ ex naturali lumine nota esse possunt, vel simpliciter, vel in ordine ad aliquam conclusionem.

Ad octauum dicendum, quod ars sumitur dupliciter. Primo communiter, & sic omnis scientia potest vocari ars, inquantum docet cognoscenda in illa scientia. Secundo sumitur proprie, prout dicitur recta ratio rerum factibilium, & verificatur de artibus mechanicis, & sic non dicitur scientia; Primo autem modo Logica dicitur ars, & scientia. Secundo respondetur, quod artes absolute non distinguuntur contra scientiã, quia etiam artes mechanicæ suo modo sunt scientiæ, i. suo modo faciunt scire, sed distinguuntur contra scientiam speculatiuuam, quia ipsæ sunt scientiæ practicæ, & non speculatiuæ. Tertio dicitur quod Logica docens dicitur scientia, & vt vtens ars, sed liberalis, quia ordinatur ad opera animæ.

Ad nonum dicendũ, quod Arist. negat operationes, & conceptus in particulari esse semper, non vero in communi, semper n. verum est genus prædicari de pluribus differentibus specie in quid, & species de pluribus differentibus numero, quod substantia prima particulariter existit, & secunda vniuersaliter, & sic discurrendo.

Ad decimum dicẽdum, quod per accidens dupliciter sumitur. Primo, vt idem sonat, quod accidentaliter, seu per accidens, & sic entia rationis, non sunt entia per accidens, sed per se fabricata ab intellectu. Secundo, vt idem sonat, quod per aliud, & sic possunt dici per accidens, inquantũ desumuntur a rebus, & de his potest esse scientia, sicut habetur de isoscele; quamuis ei conueniunt habere tres per aliud, i. per triangulum. Secundo dicitur, quod Arist. vocat decem prædicamenta tãtum entia per se, sed incomplexa, non negãdo multa alia esse entia per se, sed complexa, vt sunt propositiones per se necessariæ in primo, secundo, & quarto modo dicendi per se. Tertio dicitur, quod ens rationis fundatur in ente reali, vt est scibile, & sic ei conuenit per se, vt passio eius.

Ad vndecimũ dicendũ, quod millies Arist. de Logica fecit mentionẽ, præcipue in quarto, & sexto Metaphysicæ, & quod magis vrget ipse tradidit scientiam Logicam.

Ad decimumsecundum dicẽdum quod argumentum procedit de Logica vt est vtens, non vt docẽs, quia sic quærit scire propter se. Secundo respondetur, quod duplex est eius finis; primus dicitur proximus i. proprium scire, alius remotus, i. inseruire alijs ad habendum proprium scire, ratione primi, dicitur quærere scire propter se.

Ad decimumtertium dicendum,

quod

quod Logica argumentatur a priori, inquantum procedit ex causis, nō in essendo, quia eas considerat scientia realis, sed in cognoscendo, procedit etiam a posteriori ex nobis notioribus principijs arguendo, quamuis perueniant ad secundas intentiones. Secundo dicitur quod Logica procedit & ex notiorib. nobis, & naturę. Naturæ vt procedit ex causis in essendo, nō actualib. q̄a hæ sunt entia realia, sed virtualiter, quia verbi gratia, vniuersalitas causat prædicabilitatē, nisi esset vera eius causa actualis in esse rei, & non tantū in esse cognito. Nobis, prout ex vno notiori secundum intellectū ad ignotius discurrit.

Ad decimumquartum diximus, quod procedit ex causis in essendo virtualiter, sed proprie, Logica procedit ex causis in cognoscēdo; quod autem principia Logica sint difficillimæ cognitionis, potest dupliciter intelligi. Primo in ordine ad principia scientiarum realium, & sic est verum, quia illa sunt magis sensata. Secundo in ordine ad proprias conclusiones, & sic sunt maioris cognitionis, quam Logicæ conclusiones, & hoc sufficit ad scientiam rationalem.

Ad decimumquintum dicendum, quod Logica supponit suum subiectum esse, idest quod detur, quærit autem passiones eius, quod est permissum de subiecto scientiæ, sed de hoc magis infra.

Ad decimumsextum dicendum, quod procedit de Logica vtente, vt vtens est.

Ad decimumseptimum dicendū, quod argumentum non procedit de principali parte Logicę, quæ est Analitica, sed de Topica.

Ad decimumoctauum dicendū, quod Logica vt Logica, docet, vt vtēs vero potest vocari instrumentum ad habendas alias scientias, scilicet vt modus sciendi.

Ad decimumnonum dicendum, pro nunc, quod ens rationis potest cognosci per propriam speciem, cum dicat causam formalem suo modo, & esse proprium. Cognoscitur tamē per speciem entis realis, non formaliter, quia ab eo differt, sed causaliter pro quanto quot intellectus videt in rebus, tot eis tribuit rationes, vt dicemus.

Ad vigesimum dicendum, quod in scientia reali, propositiones cognoscuntur vt quo res sciuntur, sed in scientia rationali, quoniam hæc non solum tradit modum, quo per propositiones res sciuntur, sed etiā, quō sciuntur, ita vt ens cognoscat vt quo aliqua res cognoscitur, & quod secundum se cognoscitur, Ideo negatur maior in scientia rationali.

Ad vigesimumprimum. Primo dicitur quod non est necessarium actu intelligere passiones, & subiectum, sed aptitudinem, quia scilicet si intelliguntur, intelliguntur vt passiones subiecti.

Ad vigesimumsecundum dicitur ad maiorem, quod eo modo res scitur, quo modo est, non quo ad esse existentiæ, a quo abstrahit scientia, sed quo ad esse essentiæ, & scibilitatis. Modo ens rationis in suo genere est simpliciter scibilę, & ideo Logica est simpliciter scientia. Si enim scientia simpliciter sequeretur esse existentię, Mathematica non esset scientia simpliciter, quia est de quanto, quod est accidens, & ens consequenter secundum quid.

Ad vigesimumtertium aliqui dicunt, quod obiectum intellectus nō est quidditas rei sensibilis, & realis, sed ens, vt est commune analogum ad ens reale, vel rationis. Alij dicunt ens reale esse obiectum motiuum; quod primo mouet intellectum, sed ens rationis posse contineri sub obie-

cto

cto terminatiuo, quia intellectus potest sistere in conceptu formali entis rationis. Alij dicunt, quod obiectum speculatiuum est ens reale, sed consequtiuum est ens rationis, quod consequitur ad ens reale in quo fundatur. Sed hæc responsio, & si vera sit vt ens rationis consideratur in scientia reali, non tamen videtur ad propositum in scientia rationali, quæ debet habere proprium obiectum per se cognoscibile. Ideo meliores sunt duæ primæ responsiones. Quibus addimus, quod ens rationis continetur sub obiecto adęquato intellectus, quod est ens vniuersalissime sumptum; quidditas autem rei sensibilis, dicitur obiectum proportionatum in scientia reali, quamuis ens rationis sit obiectum proportionatū in rationali.

Ad vigesimumquartum negatur maior, si ly realiter, stet pro existentialiter, non vero si stet pro essentialiter, quo pacto Logica per se, & essentialiter refertur ad ens rationis. Vel scientia mensuratur ab obiecto, eo modo quo obiecto conuenit Logicæ mensurari ab ente rationis, vt est in intellectu ratiocinante, ideo dicitur scientia rationalis.

Ad vigesimūquintū dicēdū, quod Logica est scientia euidens suo modo, quia constat esse ens rationis & consistere in terminis & propositionibus &c.

Ad vigesimumsextum dicimus, quod ens verum, dicitur dupliciter, Primo transcendentaliter, & sic ens rationis, sicut est ens rationis, ita dicitur & verum rationis. Secundo materialiter pro re vera ad extra, & sic non dicitur verum, dic materialiter, formaliter vtique, quia verum formaliter consistit in compositione, & diuisione intellectus.

QVAESTIO III.

Lectio v. & VI.

Vtrum Logica sit vna scientia.

Videtur quod non. Nam habens plures partes specie differentes non potest esse vna scientia specie. Sed Logica habet plures partes specie differentes, s. scientiam terminorum, propositionum, syllogismorū, prædicabilium, & prædicamentorū, quæ specie differunt. Ergo non erit vna scientia specie.

Secundo. Scientia est vnus habitus. At Logica non est vnus habitus; quia alium habitum facit notitia prędicamentorum, & alium notitia syllogismorum. Ergo.

Confirmatur, quia acquisita quoad vnum, post multum tempus acquiritur, quoad cognitionem aliarum rerum. Ergo non erit vnus habitus.

Tertio. Alius est habitus Pauli scientis tantum vnam conclusionem Logicam, ab habitu Petri, qui scit totam Logicam. Ergo non erit vnus habitus scientificus.

Quarto. Quia Petrus verbi gratia poterit habere verum habitum circa decem conclusiones Logicas, & circa alias decem, errorem. Ergo nō erit vnus habitus.

Quinto. Aliud est scire per demonstrationem, & aliud per opinionem. Sed vna Logica. s. Analitica per demonstrationem procedit, & alia i. Topica per opinionem. Ergo Logica non poterit esse vna scientia specie.

Hæc quæstio si esset perfecte ventillanda, necessarium esset ad subtilitates Met. conuolare, quas modo Nouitij capere non possunt. Ideo hic breuiter quædā perstringemus, quæ faciunt ad resolutionem quæstionis; cęteia ommittendo vsque ad Met.

Pri-

Titulus explicatur. Primo ergo notandum venit, q̃d hæc quæstio dupliciter disputari potest. Primo, vtrum tantum sit vna Logica, quamuis multæ sint eius partes, verbi gratia, pars Prioristica, Posterioristica, Topica, &c. Secundo, vt quæramus, an scientia Logica sit vna simplex qualitas inclinans ad assensum omnium conclusionum Logicalium, vel potius pro singulis conclusionibus Logicalibus dentur singulares habitus, ita vt quot sunt conclusiones, tot etiam sint habitus, & quidem quoad secundum sensum nolumus eam disputare, quoniam quæstio Metaphysica est. Breuiter tamē pro nunc dicimus, quod propriè sciētia non nominat aggregationem specierum, quia sic, Primo, tot essent Logicæ quot essent species ipsius, & Secundo, quia hæc aggregatio est materialis faciens vnam habilitatem potentiæ intellectiuæ ad iudicandū. Vnde dicimus materialiter, seu fundamentaliter, &, initiatiue, Logicam esse aggregationem plurium specierum Logicalium; sed formaliter est quidam habitus, & simplex quædā qualitas disponens intellectum ad rectè iudicandum de omnibus conclusionibus Logicis.

Logica multipliciter consideratur. Secundo ergo sciendum venit, quod scientia Logica quæ non est nisi quædam qualitas habilitans potentiam in intellectu, seu quidam habitus inclinans ad assensum omniū entium rationis, quatenus sunt entia rationis, multifariam considerari potest. Primo quidem ratione medij ex quo, vel quibus procedit & sic Logicam distinguitur in plures partes, nam Topica procedit per medium probabile inducens opinionem, & non scientiam; Posterioristica vero procedit per demonstrationem, quę generat assensum certum, & euidentem. Secundo modo considerari potest ex parte subiecti, in quo est, & sic etiam distinguitur, quia pars prædicamentorum pertinet ad primam operationem intellectus, quæ est simplicium apprehensio, cum prædicamenta de se sint incōplexa, sed Prioristica, & Analitica pertinent ad secundam, & tertiam eius operationē, idest ad compositionem, diuisionē, &, discursum. Equidem in libris de Interpretatione agitur de propositionibus, in libris Priorum de forma argumentorum, & in libris Posteriorum de materia. Tertio modo possunt spectari ex fine, & sic duplicē finem in Logica considerare possumus. Primus dicitur partialis, & sic qualibet pars Logicæ habet suum proprium finem, verbi gratia, Prioristica, docere modum, & formam arguendi. Posterioristica, materiam necessariam, & conclusiones demonstrationis. Secundus finis dicetur totalis, & sic est vnus, s. perficere intellectum circa entia rationis, ita vt benè, & rectè discurrat, & ratiocinetur circa omnes res. Quarto modo consideratur ex parte obiecti, quo pacto Physica est de ente mobili, & Metaphysica, de ente, vt ens est, & Logica de ente rationis, & sic hoc quarto modo, quærimus, an sit vna vnitate obiecti, idest habeat vnum tantum obiectum, ex quo vna dicatur. *Vna est obiecto.*

Tertio ergo notandum, quod duplex est obiectum in scientia. Vnum dicitur Partiale, verbi gratia, obiectum scientiæ prædicamentorum erit ens rationis ordinabile secundū sub, & supra in serie prædicabilium. Obiectum in Analitica erit demonstratio, & sic discurrendo. Aliud dicitur Totale, i. quod respicitur a tota scientia, & a quo sciētia ipsa nominatur, vt verbi gratia ens mobile ī Physica, & ens rationis in Logica; sed. *Totali.*

Quarto pensandum venit, quod duplex etiam potest esse obiectum in scientia. Vnum dicitur materiale,

idest

idest res consideratæ in scientia, verbi gratia, in Physica, materia, & forma, & in Logica, propositio, syllogismus, prædicabilia, &c. Alterum dicitur, formale, i. ratio sub qua, multæ res considerantur in scientia, verbi gratia, quatenus in Physica res ab ea consideratæ non sunt abstractæ, nec a motu, nec a materia, & in Logica, quatenus omnia in illa considerata, sunt entia rationis, vel cadunt sub operationibus rationis, idest intellectus, qui attribuit illis aliquid rationis, verbi gratia, vt habeant in propositionibus rationem subiecti, vel prædicati, vel maioris, vel minoris in syllogismo. Distinctio, & vnitas scientiarum non pensatur ab obiecto materiali, nam vna potentia respicit diuersa obiecta materialia, vt visus cęlum, & terram, quæ genere distinguuntur, & tamen potentia visiua dicitur vna, quia ea respicit sub vna ratione formali, s. vt visibilia sunt. Cum igitur Logica omnia ab ipsa considerata sub vna ratione formali ea consideret s. vt entia sunt rationis vera, vel falsa, probabiliter, vel certe, merito dicenda est vna scientia formaliter, & si habeat plures partes materialiter, sed

Quinto considerandum venit, quod ens rationis dupliciter considerari potest. Primo absolute, & sic nō tam est obiectum Logicę, quam Grāmaticæ, & Rethoricæ, nam duplex est scientia, vna dicitur realis, & hæc tripliciter diuiditur, s. in Metaphy. quæ est de ente, vt ens est, in Met. quæ est de quanto, & Pysicam, quæ est de ente mobili. Altera dicitur rationalis, quia est de ente rationis, i. fabricato ab intellectu, & hæc est triplex. Vna dicitur Grammatica, quæ est de ente rationis, pro vt est congruum, & incongruum. Secunda dicitur Rethorica, quæ est de ente rationis, vt est in sermone ornato vel inornato, & Tertia dicitur Logica, quæ dicitur de ente rationis, vt stat sub sermone vero, vel falso, & sic dicimus Logicam esse vnam.

Appropriato.

Conclusio probatur.

Quoad secundum, ergo, pono talem conclusionem. Logica est vna scientia. Probatur primo. Illa est vna scientia, quæ est vnius generis subiecti. Talis est Logica. Ergo erit vna scientia. Maior est Arist. 2. de anima, & 6. Met. Minor supra ostensa est, dum diximus Logicam esse de ente rationis sub ratione veri, vel falsi.

Secundo. Sicut se habet potentia ad obiectum, ita scientia ad vnitatē. Sed potentia est vna, ex vno obiecto formali verbi gratia, visus ex visibili, auditus ex audibili. Ergo & vna scientia erit quæ formaliter respicit vnum obiectum vt facit Logica.

Tertio. Cōmunis modus loquendi non est reijciendus. Sed omnes illustres Doctores vnam tantum Logicam faciunt. Ergo tantum erit vna. Est enim communis vsus dicendi, quod prudentia, ars, & scientia, non dicunt collectionem specierum ad regulam, & habilitatem potentiæ per eam regulatam ad assentiendum, iudicandum &c. de suis actibus.

Argumēta soluuntur.

Ad primum dicitur, quod plures partes Logicæ sunt diuersæ scientiæ materialiter, non formaliter, quia omnes cadunt, sub vna ratione formali.

Ad secundum idem dicitur. Vnde notandum, quod cognita prima conclusione Logicæ, dicitur adeptus habitus Logicæ: vnde quamuis addantur aliæ cognitiones verbi gratia, prædicamentorum, prædicabilium, &c. non tamen acquiruntur diuersi habitus, sed idem habitus duo acquirit, primum intensionem, quia fit pfectior, & secundum extensionem, quia ad plures res extenditur, secundum rationes singulorum; & quādo

S.D.

S.D. habet, qd scientia augeť per additioné, ne intelligas per aggregationem, sed per additionem maioris perfectionis intensiue, & extensiue, secundum S. Doctorem. 1.2.q.54. art.4. ad 3.& q.52.art.2.

Conclusio probatur.

Ad tertium dicendum similiter, quod idem est habitus vtriusque formaliter, quia est per vnam rationem formalem. Sed non est idem habitus subiectiue, & secundum intensionem, & extensionem, quia in sciẽte totam Logicam, est vniuersalior intensiue, & extensiue.

Ad quartum dicimus, quod error circa aliquas conclusiones, non erit per diuersam rationem formalem, sed per eandem negatiue, quia nõ bene applicatur, & hoc est per accidés.

Ad quintum dictum est in secundo notabili; probat .n. diuersitatem ex parte medij, non respectu rationis formalis obiecti, a qua scientia formaliter dicitur vna.

QVAESTIO IV.

Lectio Septima.

Vtrum Logica sit scientia speculatiua.

Videtur quod non. Nam ars est practica. Logica est ars. Ergo est practica. Maior est Arist. 6. Ethic. vbi dicit artem esse operatiuã, quia habet opus pro fine. Minor probatur, quia Logica dicitur ars artium, à D. Aug. & quia cõnumeratur inter artes liberales.

Secundo construere syllogimos est veluti construere domum. Sed cõstruere domum pertinet ad scientiã practicam, Ergo & construere syllogismos, sicut facit Logica.

Tertio. Quia S. Doctor primo Post. Logicam comparat arti ædificatiuę, & fabrili, quæ agunt de domo, vel tecto construendo, ita & Logica de cõstructione, & ordinatione actuũ rationis tractat. Sed ædificatoria, & fabrilis sunt practicæ. Ergo & Logica.

Quarto. Medicina est practica, quia practice moderatur humores, & scientia moralis, quia regulat mores. Ergo & Logica, quæ moderatur, & regulat actus rationis.

Quia multa diximus in 6. Met. de scientia practica, & speculatiua, ideo hic breuiter aliqua magis necessaria, & ad propositum nostrum perstringemus. Primo ponendo aliqua fundamenta. Secundo probando cõclusionem nostram. Tertio respondendo argumentis.

Scientia speculatiua differt a practica

Primo ergo notandum venit, duplicem esse scientiã. Vna dicitur contemplatiua, seu speculatiua, quia tendit ad cognitionem, & contemplationem rerum. Alia dicitur practica, seu operatiuá, quia tẽdit ad opus. Vnde multæ sunt differentiæ inter scientiam speculatiuam, & practicã. Prima attenditur penes obiectum, quia scientia speculatiua est de obiecto speculabili, & practica de obiecto operabili, verbi gratia, de domo ædificanda. Secundo differunt in fine, quia finis speculatiuæ est scire, cum ad hoc ordinetur, finis vero practicæ est operari, quia ad hoc acquiritur. Tertio differunt ex parte potentiæ, quia speculatiua est de actibus, & operationibus intellectus, cũ ad intellectum spectet scire cognoscere, & rerum naturas perscrutari; practica vero est de actibus voluntatis, quæ eligit operari, & imperat potentijs exterioribus, vt operentur. Quarto differunt, quia speculatiua procedit resoluendo semper effectus in cognitionem suorum principiorum, & causarum: practica vero procedit componendo, & adunando plures res, quarum vna habet rationem formæ, & altera materiæ. Nam ędificator prius congregat lapides, & cęmentum, & deinde fabricat domum. Sunt etiam plures aliæ differentiæ,

rentiæ, sed dictæ sunt præcipuæ.

Ex obiecto, et fine constituũtur. Secundo notandum, quod scientia dicatur speculatiua, vel practica ex obiecto, bifariam intelligi potest. Primo fundamentaliter, & causaliter, & sic verum est: nam proprie aliqua scientia non posset vocari speculatiua, nisi esset de obiecto speculabili, nec practica; nisi esset de operabili. Secundo formaliter, & completiue, & sic erit speculatiua, vel practica ex fine, quia illa, quæ ordinatur ad scire erit speculatiua, & quæ ad operari, practica. Vnde si speculatiua addisceretur propter opus esset speculatiua, quia esset de obiecto speculabili; vnde per accidens esset, quod ordinaretur ad opus.

Ex fine sciẽtiarũ. Tertio notandum venit, quod duplex est finis in scietia; Quidam .n. est finis intrinsecus, & per se, ad quẽ scientia per se, & directe ordinatur, verbi gratia, ars faciendi horologia ad formandum ea dirigitur. Alius vero est finis extrinsecus, & per accidens, qui dicitur finis scientis, verbi gratia, qui addiscit artem faciendi horologia, nõ ut ea faciat, sed vt sciat docere qũo fiant. A primo fine, scientia dicitur speculatiua, vel practica, non a secundo, quia omnino per accidens est, quod ars practica ordinetur ad scire speculatiue, sicut quod finis speculatiuæ ordinetur ad praxim. Sed remanet tm̃ scrupulus circa hoc, ex quibusdã verbis S. Doct. p. p. q. 14. art. 16. quo in loco inquit, aliquam scientiam esse speculatiuã tripliciter. Primo ex parte obiecti, seu rei scitæ, quando scilicet non est de re operabili, & hoc modo dicitur speculatiua simpliciter. Secundo ex parte modi sciendi, quia verbi gratia ædificator considerat domũ fabricandam, modo speculatiuo, s. quomodo possit ædificari. Tertio ex parte finis, considerando domum, quomodo ipsa sit ædificanda, non intendens tamen eam fabricare; ex quo videtur dicere, quod finis scientis, i. ædificatoris, quodammodo facit scientiam speculatiuam. Sed dicendum primo quod facit, sed non intrinsece, & per se, sed extrinsece, & per accidens. Seu secundo dicendum, quod duplex est finis scientis. Primus dicitur simpliciter scientis, nullum habens fundamentum in obiecto, & hic facit scientiam speculatiuam, vel practicam tantum extrinsece, & per accidens. Secundus dicitur scientis formaliter, sed fundamentaliter etiam scientiæ, quia habet aliquam rationem fundamẽtalem in obiecto, & hic facit scientiam virtualiter etiam speculatiuã, vel practicam.

Quarto notandum, quod scientiæ practicę, proprie dicũtur artes, sicut speculatiuæ proprie vocantur scientiæ; & ratio est, quia ars potest esse de rebus singularibus, & contingentibus, sicut sunt actus humani, & artificiata omnia; sed scientia non potest esse nisi de sempiternis, & necessarijs, sicut & scire. Sed considerandum tamen venit, quod inter scientias practicas datur latitudo. Nam quædam vocantur actiuæ, quæ primo sunt circa actus immanentes, vt circa velle, dirigere, imperare, &c. & istæ vocantur actiuę, vt sunt artes morales, vt Politica, quæ de regno, & Aeconomica de domo agunt, & in istis consideratur prudentia, quę dicitur recta ratio rerum a nobis agibilium. Aliæ vero sunt circa actiones transeuntes, vt Ars lanificia, Lignaria, Militia, Nauigatiua, Agricultura, & Fabrilis, & istæ vocantur artes factiuæ rerum. Primæ, i. artes actiuæ magis assimilantur speculatiuis, & ideo participatiue possunt dici speculatiuæ, sed secundæ magis ab eis elongantur, vnde simpliciter, & sine additione di-

ne dicuntur practicæ,& mechanicę, sic dictæ,Primo,quia quodammodo faciunt mechari nostrum intellectũ, cum directe non ordinentur ad scire;sed ad operari.Secundo,quia non liberant intellectum nostrum a curis mundanis, sicut faciunt speculatiuæ, & Tertio, quia solum venales homines,& plebei solent his vacare, sicut nobiles speculatiuis; vnde vocantur liberales,quia solum liberi,& nobiles antiquitus his operam dare poterant, istæ autem sunt Gramm. Reth. Logica,Geometria,Musica, Arithmetica, & Astrologia.

Conclusio probatur. Quoad secundum, conclusio est affirmatiua,s.Logica est scientia speculatiua.Probatur primo. Scientia, quæ primo per se, & directe ordinatur ad speculationem dicitur simpliciter speculatiua. Talis est Logica cum ordinetur ad sciendum, & speculandum, quomodo res diffiniantur,diuidantur,& demonstrentur. Ergo erit speculatiua. Hoc autem currit etiam de Logica vtente, nam est modus sciendi, & non operandi, nisi permissiue,& id tenet S. Doctor super Boetium de Trinitate q.5.art. primo ad quartum & 2.2.q.47.art.2. ad tertium.

Secundo.Si esset practica, aut esset actiua,aut factiua.Non secundã, quia non est de rebus transeuntibus in externam materiam.Non primũ, quia non est de actibus voluntatis, sed intellectus, quoniam ordinatur, ad regulandas operationes intellectus. Ergo.

Tertio. Practica scientia proprie rei naturam non definit, nec intime eam scire contendit, sed scire applicat ad opus,sed primum, & non secundum agit Logica,vt patet. Ergo erit speculatiua.

Ad primũ,Primo dr̃,quod ars dupliciter sumitur. Primo communiter, vt dicitur de scientia,& arte,& sic Logica communiter dicitur ars; proprie vero scientia. Secundo proprie,vt distinguitur contra scientiã, & sic Logica non dicitur ars. Seu secundo dicendum,quod est ars metaphorice,& non proprie.

Ad secundum dicendum, similitudinem esse proportionalem, quę stat inter ea; quæ sunt diuersorum generum,& non esse vniuocam,quę tantum saluatur inter ea, quæ sunt eiusdem generis,vel practici,vel speculatiui,& per hoc patet ad tertium. Ideo notandum,quod scientia regulatiua operum, seu actuum rationis, seu intellectus dicitur speculatiua, & illa,quæ regulat opera externa, dicitur practica. Vnde quamuis componere propositiones syllogizare, diffinire, & demonstrare,sint actiones, sunt tamen actiones intellectus, & ideo pertinent ad scientiam speculatiuam; & si quidem transeant in exteriorem materiam voce,non tamen opere, & practice remanendo post actiones, vel habentes modum practici,vt citerizatio, & saltatio.

Ad quartum dicendum, quod moderari externa,spectat ad practicam, sed moderari actus rationis, ad speculatiuam.

QVAESTIO V.

Lectio 8. & 9.

Vtrum ens rationis sit subiectum in Logica.

VIdetur quod non. Nam Dialectica teste Arist. primo Post.t. 27. non est circa determinatum subiectum, sed circa omnes scientias diffunditur. Ergo quæstio supponit falsum.

Secundo. De subiecto supponitur an est, & quid est, & non quæritur ex primo post. Sed in Logica quæritur, an

tur, an detur ens rationis, & quid sit. Ergo non erit subiectum.

Tertio. Subiectum debet esse adæquatum scientiæ, sicut obiectum potentiæ. Sed ens rationis non est adęquatum Logicæ. Ergo. Probo minorem. Primo, quia de ente rationis, i. de genere, & specie, &c tractant etiã Gramm. & Orator, & Secundo, quia propositiones, syllogismi, & huiusmodi sunt qualitates reales, & non entia rationis, & tamen de his agit Logica.

Quarto. Subiectum scientiæ continet omnes veritates scientiæ, vt illarum causa. Sed ens rationis non potest esse causa alicuius cũ sit tantum ab intellectu apprehensũ, & obiectiue in intellectu. Ergo.

Quinto. Dialectica, & Logica pro vno accipiuntur. Sed obiectum Dialecticæ est argumentatio, cum idem significet, quod scientia disputatiua. Ergo erit quoq; argumentatio obiectum Logicæ, & non ens rationis.

Opiniones. Pro dilucidatione huius quæstionis, Primo notandum venit, quod circa præsentem difficultatem, sunt plures opiniones. Nam Scotus, q. 2. vniuersalium, syllogismum. Alb. lib. prædicabilium c. 4. argumentationẽ, subiectum Logicæ esse dicunt. Nominales terminum, seu propositionem, & multi multas alias res, eiusdem subiectum faciunt. Sed S. Doct. 4. Met. & pluribus alijs in locis autumat ens rationis esse subiectum in tota Logica considerata in vniuersum; syllogismum vero in libris Priorum, demonstrationem in libris Post. propositionem in lib. Periherm. &c. Nam omnia ista considerantur in Logica quatenus sunt entia rationis.

Logica cõsiderat res vt intelliguntur. Secundo ergo considerandum venit, quod res dupliciter considerari possunt. Primo secundum se, vt res reales sunt, verbi gratia, vt albedo est disgregatiua visus. Secundo considerari possunt prout sunt in intellectu, & prout eis intellectus aliquid attribuit prout eas intelligit, vt verbi gratia, quod homo in hac propositione, homo est rationalis, habeat rationem subiecti, & ly rationalis, prædicati. Si primo modo considerentur, spectant ad scientias reales. Si secundo ad Logicam, quia Logica est illa, quæ attingit secundas intentiones, quæ sunt entia rationis, primis. Cum ergo Logica sit de secundis intentionibus, sub quibus stant primæ, merito dicimus eam agere de entibus rationis, & per hoc esse scientiam non realem, at rationalem, sed

Subiectũ multipliciter sumitur. Tertio considerãdum venit, quod subiectum multipliciter sumitur. Primo pro inferiori in linea prædicamẽtali, quo pacto animatum dicitur subiectum substantiæ, quia substantia prędicatur in linea prędicamentali de animato. Secundo, pro subiecto propositionis, quo pacto in hac propositione, homo est animal rationale, homo habet rationem subiecti, & animal rationale prędicati. Tertio pro subiecto inhęsionis, vt paries dicitur esse subiectum caloris. Quarto pro subiecto scientię, i. pro eo quod consideratur a scientia, quia ipsum inspicit, vt obiectum, & ab ipso habet vnitatem in se, & distinctionem ab omni alia scientia; & sic a nobis sumitur in proposito, dicentes, quod Logica cum sit scientia rationalis respicit ens fabricatum a ratione prout ab ea fabricatum est, & per hoc est vna scientia distincta ab alijs realibus. Hoc autem obiectum, dicitur etiam sub alijs terminis, materia, non sumendo materiam, prout est subiectum formę, vt consideratur in primo Phy. nec prout est ex quo aliquid fit, sicut dicimus, quod ex ferro fit sphera, vt dicitur 4. Phy. nec pro subiecto artis, quod fabricatur ab arte, vt domus ab ędificatore; sed sumendo ma-

do materiam pro materia circa quã est scientia, quæ alio nomine dicitur obiectum, & subiectum.

Subiecti scientiæ cõditiones.

Quarto considerandum venit, quod multæ sunt conditiones subiecti, seu obiecti scientiæ. Prima est, vt omnia quę considerantur in scientia sub illo obiecto contineantur, si sit subiectum adęquatum; nam duplex est subiectum in scientia. Primum dicitur adequatum, quod correspondet adequate toti scientię, ita vt nihil sit in illa, de quo non dicatur illud subiectum. Aliud vocatur principale, quia est tanquam principale consideratum in scientia, sicut intelligentiæ in Met. & argumentatio in Logica; nam fere totus sermo, & principalis intentio dictarum scientiarũ dirigitur ad illa. Secunda conditio est, vt illud tale obiectum det vnitatem, specificationem, & distinctionem ab alijs scientijs suæ scientiæ.

Subiectũ multipliciter sumitur.

Sed tamen pensandum venit, quod illud tale obiectum dupliciter potest considerari. Primo materialiter, vt res est, Secundo formaliter, i. vt importat rationem formalem, sub qua omnia considerantur in scientia, sicut supra explicatum est, & sic dicimus, obiectum formaliter sumptum dare vnitatem specificam, i. vnius rationis formalis, & specificæ, & distinctionem ab alijs. Tertia conditio est, vt omnia considerata in scientia reducantur ad illud subiectum, quod bifariam intelligi potest. Primo directe, & in recto, & sic non est necessarium, nam & prædicamenta considerantur in Logica, & tamen sunt entia realia directe consideranda a Met. Secundo, vel in recto, vel in obliquo, seu secũdũ aliquam rationẽ primariam, vel secundariam, & sic est verum, vt in proposito; prædicamenta vt stant sub ordine, & intentione generis, speciei &c. pertinent ad Logicam, & ad ens rationis reducuntur. Quarta conditio est, vt tradat causas sui subiecti. Sed duplex est causa. Prima quidem dicitur in essendo, & hæc non est necessaria in omni scientia, cum non omnis hanc habeat, vt Deitas in Theologia, & ens rationis in Logica. Secunda dicitur in cognoscendo, i. habeat principia ex quibus cognoscuntur omnia considerata in scientia; & hoc verum est. Sunt & aliæ plures conditiones, verbi gratia, quod de subiecto demonstrentur passiones, quod de eo supponatur quid, & quia, quæ omnia erunt explicanda in libris Post. pro nunc. n. sufficiat dicere, quod illa supponuntur per se, sed per accidens demonstrari possunt, vel in parte principiorum, vel quo ad quid rei formaliter, vt est subiectum omnium, & singularum passionum.

Conclusio probatur.

Secundo ergo loco ponitur hęc conclusio. Ens rationis est subiectum adequatum in Logica. Probatur primo. Illud est subiectum, quod principaliter consideratur in scientia. Tale est ens rationis, nam oratio, syllogismus, & argumentatio considerantur in Logica, vt sunt entia rationis, & non e conuerso. Ergo.

Secundo, Logica potest stare sine argumentatione, & syllogismo, inquantum sunt in actu exercito, non vero potest esse sine ente rationis; quia prius oportet, vt consideret terminos posse habere rationem subiecti, & prædicati, antequam eos construat in syllogismo, vel demonstratione.

Tertio. Patet, quod syllogismus tantum consideratur in libris Priorum, demonstratio in libris Post. & propositiones in Periherm. libris, At obiectum debet toti scientiæ correspondere, sicuti facit ens rationis, cũ omnia illa sint ens rationis, & vt talia considerata; Ergo ens rationis erit subiectum in tota Logica.

Quar-

Quarto. Si ens rationis non esset subiectum adęquatum Logicæ, vel esset modus sciendi, vt tenet Fonseca lib. 2. Met. c. 3. q. 1. aut essent voces secundum Nominales. Aut esset demonstratio, vt tenet Ammonius, & Toletus. Aut esset syllogismus, vt defendit Scotus. Aut esset argumentatio, vt defendit Alb. Magnus. Aut sunt operationes intellectus, vt tenet multi moderni.

Non primum .i. non est modus sciendi late sumptus. Primo, quia modus sciendi excedit scientiam, cum multa sint scita in Logica, vt termini, & propositiones, & sint modi sciendi. Secundo, quia sic Logica esset tantum vtens, & non docens. Tertio, quia modus sciendi eum ordinetur ad scita, si non habet rationem finis, nec habebit rationem obiecti.

Non secundum, i. non sunt voces. Primo, quia voces sunt contingentes, & variabiles, obiectum autem inuariabile est. Secundo, quia entia fictitia habent suas voces, & tamen excluduntur ab arte, vt ficta. Tertio, quia voces sunt signa, & non terminus, seu obiectum.

Non tertium, i. non est demonstratio. Primo, quia est obiectum partis Logicæ .i. Posterioristicæ, Ergo non erit obiectum totius. Secundo, quia multa non cadunt sub demonstratione, cum non habeant eius conditiones. Tertio, quia sic Topica non esset Logica.

Nec quartum, i. syllogismus. Primo, quia inspicitur solum a Logica docente syllogismum, & non terminos, &c. Secundo, quia continetur, & non continet adęquate ens rationis formaliter, & in recto, sicut ens rationis continet formaliter, & in recto syllogismum. Tertio, quia syllogismus non se extendit ad entia rationis in abstracto, ad quæ se extendit ens rationis, & de quibus etiam est Logica.

Nec quintum, i. argumentatio, quia diuisio, diffinitio, & multa alia non continentur sub argumentatione, & tamen in recto continentur sub ente rationis, vt est verum, vel falsum. Secundo, quia argumentatio dirigit tantum tertiam operationẽ intellectus, Logica autem adinuenta est ad regulandas omnes operationes intellectus. Et tertio, omnis argumentatio est ens rationis, sed nõ omne ens rationis est argumentatio, subiectum autem debet esse vniuersalissimum in scientia.

Nec est sextum, s. dirigere operationes intellectus. Primo, quia dirigere operationes intellectus est aliquid reale, cum sit actio potentiæ realis realitur actiuæ, i. intellectus; Logica autem dicitur scientia rationalis, quia habet pro obiecto ens rationis. Secundo, directio non est forma rei directæ, sed actio, sicut ædificatio nõ est forma domus, sed est quo domus ædificatur. At obiectum est formale quod scitur in scientia. Tertio, sic Logica esset nobilior Mat. & Phy. quia operationes intellectus sunt nobiliores, & excellentiores, quam quantitas, & ens mobile.

Ad primum ergo dicitur, quod Met. & Logica hoc singulare habet, quod cum sint scientiæ vniuersalissimæ, agũt de omni ente. Met. de oĩ ente vt ens est, & primario, vt est ens reale, & Logica de oĩ ẽte rationis primario. Secundo dr̃, quod subiectũ sit determinatũ in Logica dupliciter põt intelligi. Primo in ratione entis, i. vt sit de tali ente, at hoc est falsum in Logica, vt probat argumentũ. Secundo de oĩ ente rationis, sub vna tñ determinata ratione formali, s. vt est verum, vel falsum, & sic est determinatũ subiectum, quia per hoc distinguitur a Grãm. & Reth. vt supra diximus *Argumẽta soluũtur*

Ad

Ad secundum dicendum, quod aliud est quærere, an detur ens rationis, & aliud quomodo subijciatur, & prædicetur. Primum Logica supponit, & non quærit, & sic ponitur subiectum, & non secundo modo quo pacto quæritur.

Ad tertium patet ex secunda responsione data ad primum.

Ad quartum dicimus, ens rationis habere suas causas in cognoscendo, immo etiam habet opus rationis in essendo, & habet suas proprietates modo suo, verbi gratia, ex eo quod animal dicitur genus, habet quod prædicetur de plurib differentib. specie, & non numero, & sic discurrẽdo.

LECTIO X.

Quædam generalia scienda circa secundas intentiones seu entia rationis.

DIsputant de ente rationis & de secundis intentionib. multis quæstionib. & bene, Sãchez, & Petronius in suis cõmentarijs, & quæstionibus super Logicam, quas disputationes ad breues, & summarias annotationes reducere decreui, vt eas facilius nouitij degustare possint, cum non sint capaces multis difficultatibus, & quidem arduis.

Prima, & secunda intentio. Primo ergo notãdum venit, quod communiter, intentio diuiditur, in primam, & secundam. Prima est res substrata, seu subiecta secundæ intentioni. Secunda vero est illa, quæ in prima fundatur, quia Logica est de secundis intentionibus adiunctis, i. fundatis in primis; verbi gratia; Homo rationalis est res substrata, seu prima intentio; Vt vero in propositione hac, Homo est animal rationale, ly homo dicatur subiectum, ly est, copula; & ly animal rationale, prædicatum, est ex opere intellectus, & vocatur secunda intentio, & dicitur ens rationis. Vndè sicut substrate homo dicit respectum, & ordinem ad rationale, ita subiectum ad prædicatum.

Fundamenta secundæ intentionis. Secundo notandum venit, quod secunda intentio habet duplex fundamentum. Primum dicitur remotum, & hæc est res ad extra, vt est ad extra, verbi gratia homo, vt est animal rationale secundum suam naturam. Secundum dicitur proximum, & hæc est res ad extra, non vt ad extra est, sed vt cognita est; verbi gratia homo, vt cognitus est animal rationale. Nam intellectus cognita cõnexione rationalitatis cum homine, & quod rationalitas se habet vt forma determinatiua, & homo, vt materia determinabilis per rationalitatem, & non per irrationalitatem, tunc dicit, quod ly homo habet rationem subiecti, & ly rationalis prædicati.

Per illud cognoscitur. Tertio notandum venit, quod cũ ens rationis, in ente reali fundetur, & res eo modo quo se habent ad esse, eodem etiam modo se habeant ad cognosci; hic deducitur quod ens rationis per propriam speciem impressam non cognoscitur, quia hæc est effectus entis realis, per phantasma sensatum mouentis intellectum nostrum, quod docuit S. Doctor q. 1. de pot. art. primo ad 10. Cognoscitur ergo per speciem sui fundamenti impressam; sed tamen, quia intellectus percipit per illam speciem, quod conceptus formalis sui fundamenti non sibi conuenit, quia alius est conceptus entis realis, & alius entis rationis, fundamenti, & rei super eo fundatæ, ideo de ente rationis format conceptum ei proprium, & adequatum, qui dicitur species expressa, &

verbum. Itaque cognoscitur per speciem impressam entis realis, sed per expressam, per sibi propriam, & adę quatam. Hæc autem species expressa quamuis in genere repręsentantis sit ens rationis, quia repręsentās, & repræsentatum debent esse eiusdem generis, in genere tamen entis est ens reale, quia reali actione intellectus producitur, & vt vna qualitas in intellectu subiectatur.

Relatiue dicitur. Quarto notandum, quód prima, & secunda intentio bifariam considerari possunt. Primo vt referuntur ad intellectum cognoscentem, & sic vtraque refertur relatiue ad intellectum, eo modo, quo cognitum refertur ad cognoscentem, quia quamuis secundum se differant, tamen vtraq; intentio cum sit intellectus cognoscentis, vtraque ad eum refertur; vt cognitum ad cognoscentem. Hæc autem relatio, secundum aliquos potius realis dicenda est, quam rationis; quia relatio mensurati ad mensuram, vt scibilis ad scientiam, sensibilis ad sensum, est realis, ex parte mensurati, & rationis; ex parte mensurati; ita ergo relatio cognoscentis ad cognitum erit realis, quia realiter dependet à cognito, at relatio cogniti, i. vtriusque intentionis erit rationis, quia se habent vt scibile ad scientiam. Sed hi errāt, quoniam scibile, quod dicit relationem rationis ad scientiam est scibile reale, vt in se est; prima autem, & secunda intentio dicuntur scibiles, vt cognitæ sunt; & vt eorum esse stat in esse cognito; quod esse cognitum dicit respectum rationis, cum tantum intelligatur esse à ratione; & hæc relatio non est inter extrema realia, sicut est relatio realis. Secundo modo considerantur vt substratum primæ intentionis dicitur ad suum substratum, vt homo ad animal rationale, & ita prædicatum secundæ intentionis ad suum subiectum, & e contra, & sic inter hęc etiam cadit relatio, & respectus rationis. Primo, quia inter hæc non cadit relatio æqualitatis, vel actionis, & passionis, quæ solæ sunt relationes reales, & mutuę Secundo quia hæc referibilitas est in esse cognito formaliter, & Tertio, quia vniuersale refertur ex opere intellectus.

Prædicatur de inferioribus in recto. Quinto notandum venit, quod genus bifariam considerari potest. Primo, vt est quoddam vniuersale, quod a speciebus potest esse præcisum, si sit genus vniuocum, verbi gratia sumendo animal vt dicit naturā sensitiuam præcise. Secundo, vt est pars diffinitionis; verbi gratia, hominis, vel leonis: Et vtroque modo prædicatur in recto de inferiori. Primo quidem modo, quia vt dicit naturā sensitiuam, includitur virtualiter secūdum totum suum esse, quod habet in speciebus, in singulis earū, verum .n. semper est dicere. Homo est substantia animata, & sensitiua, & rationalis. Et leo est substantia animata sensitiua, & irrationalis. Accidit .n. error si consideremus genus vt in se est, & ita dicamus illud prædicari de inferioribus, de eis .n. prædicatur, vt in eis includitur secundū totā suam naturam, quamuis in pluribus reperiatur. Secundo etiam modo prædicatur in recto secundum rem significatam, quia diffinitio, & diffinitū non distinguūtur nisi ꝑm cōfuse concipi, & distincte concipi, tantum .n. secundum rem dicit homo, quantum significat animal rationale, quamuis autem concretum primę intentionis superius in recto prædicetur de suo inferiori, non tamen ita est, si hæc in abstracto sumantur, & hoc propter modum significandi, quod sibi vendicant abstracta, i. vt intelligantur tanquam separata ab inferioribus. Vnde hæc propositio non est verā. Humanitas est animali-

tas,

tas, quamuis hæc sit vera, homo est animal, prout dixi propter modum quem habent abstracta significandi. Secundo, animalitas secundũ se dicit naturam animalis, vt sic, & Tertio, quia sic verificarentur de differentia formaliter, nam sic possumus dicere humanitas est animalitas, leonitas est animalitas, & sic animalitas sine contractiuo esset vna secundum totum in differentibus formaliter, & specifice.

Sexto notandum, quod materialia primæ intentionis sunt in duplici differentia; quædam. n. sunt prædicata transcendentia, & hæc possunt prædicari de materialibus primæ intentionis in concreto, quia se includunt realiter; vnde bene dicimus ens est entitas, vnum est vnitas. Et ità in Deo materialia primæ intentionis in abstracto possunt dici de cõcreto, & e conuerso, quia quicquid includitur in vno includitur etiam in alio, vnde Deitas prędicatur de Deo, & dicere possumus Deus est sua Deitas, alia vero sunt prædicata, quæ non includunt id totum, quod in subiecto continetur, & hęc non possunt prædicari, vt supra. Sed hæc pro nunc superficialiter sint dicta.



COMMENTARIA ET QVAESTIONES IN PERIHERM. ARIST.


Et primum Tractatum Petri Hispani Ordinis Prædicatorum.

F. Michaelis Zanardi eiusdem Ordinis.

LECTIO SEPTIMA.

De interpretatione.

Primum oportet, &c.



Voniam negotiũ logicum indiget expositione, sed breui, ne tãtum in his immoremur, vt non veniamus (sicut oportet) ad neceſſariora uiris Ecclesiasticis, q̃ sũt Theologalia, ad quæ præcipuum studium ipsorũ ordinatur. Ideo decreui prout necessarium iudicaui, totam logicã saltẽ quoad principales eius partes enucleare, & sub breuitate tantum percurrere, vt possint Nouitij ad maiora cito conuolare.

Intentio. Aristot. Arist. igitur initio primi libri de interpretatione proponit ea de quibus in hoc libro agere intendit, scilicet de nomine, de verbo, de negatione, & affirmatione, de enunciatione, & de oratione, & reddit rationem fundamentalem dicendo, quod voces sunt notæ, i. signa earum, quæ sunt in anima passionum, id est explicant conceptus internos, & occultos intellectus, sicut scriptura indicat ea quæ sunt in voce. Sed subdit, quod sicut literæ non sunt eędem apud omnes, sic nec voces, sed sicut sunt duæ operationes intellectus in quarũ prima nec verum, nec falsum reperitur, quia prima sua operatione intellectus simpliciter rem apprehendit. Secunda vero dicitur compositio, & diuisio in qua iam verum, vel falsum affirmatur, vel negatur, ita quædam sunt voces simplices, vt nomen, & verbum, & in his non est verum, nec falsum, quædam vero sunt compositæ, scilicet enunciationes, & propositiones, & istæ significant verum, vel falsum, & de his agendum erit.

Circa ista autem, & pro intelligentia dicendorum breuiter sunt aliqua notanda. Primo igitur notandum venit, quod voces vocantur signa. *Signum quid sit, et quotuplex sit.* Signũ autem secũdum Aug. de doct. Christ. cap. 1. est res, quæ præter speciem, quam ingerit sensibus facit venire in cognitionem alterius, i. per sui cognitionem, alterius cognitionem inducit, quoquo modo, sicut fumus est signum ignis. Signum autem duplex est, quoddam dicitur proprium, quod est ordinatum ad faciendum scire aliquid, vt signum ante tabernam positum facit scire ibi esse tabernam. Quoddam est improprium, quod aliud facit cognoscere, quamuis ad hoc non sit ordinatum,

vt

vt patet de multis mutationē tporū indicantibus, nam fragor arborum significat tempestates, & molesta punctio muscarum pluuias denotat. Signum autem ordinatum ad faciendum scire duplex est. Primum dicitur formale, & hoc per se potentiæ intellectiuæ aliquid repræsentat, vt est conceptus formalis hoīs. Secundum dicitur instrumentale, quod inseruit, vt instrumentum ad faciendum aliquid scire, vt fumus seruit ad repræsentandum ignem. Insuper signa quædam sunt naturalia, quæ aliquid naturale faciunt scire, vt gemitus infirmorum, dolorem ipsorum significat; fumus ignem, & vox animalium affectum internum eorum præmonstrat. Alia sunt signa ad placitū, quæ ex placito aliquorum instituta sunt ad aliquid significandum, sicut sonitus campanæ institutus est, vt signum celebrationis officiorum. Alia vero sunt signa ex consuetudine, quia consuetudo inualuit ad illud tale significandum, vt mappæ paratæ ante tabernam, significant ibi parari, prandium. Ita pariter sunt quædam voces significatiuæ naturaliter, vt sunt illæ quæ explicāt affectus, vel inclinationes naturales animalium. Aliæ vero sunt significatiuæ, ad placitum, quia adinuentæ sunt ad exprimendos inter nos mentis conceptus & hæ sunt tantum voces humanæ.

Vocis definitio & explicatio.

Secundo notandum, quod vox à Petro Hispano, sic diffinitur. Vox est sonus ab ore animalis prolatus, & naturalibus instrumentis formatus. Vox dicitur sonus, quia sonus est ille qui percipitur ab auditu, & quia voces percipiuntur ab auditu, ideo dicuntur sonus, & ponitur sonus loco generis, nam duplex est sonus, s. sonus vox, & sonus non vox, vt est fragor arborum, aliæ particulæ ponuntur ad explicationem diffinitionis. Dicitur enim ab ore animalis prolatus, ad differentiam soni facti ex percussione duorum corporum inanimatorum, v.g. ex percussione malei, & incudinis. Dicitur naturalibus instrumentis formatus, ad differētiam tussis, sternutationis, & similium. Instrumenta autem concurrentia ad formationem vocis sunt ista, guttur, palatum, lingua, quatuor dentes, duo labia, & pulmo. Intellige ista omnia esse necessaria ad perfectam formationem vocis, non autem ad imperfectam, hic autem tantum intendimus loqui de vocibus significatiuis.

Diuisio.

Tertio ergo notandum, quod vocum alia dicitur significatiua, & alia non significatiua. Illa quæ se ipsam tantum obijcit intellectui, & nihil significat. dicitur non significatiua, vt bu, ba, baf. Si vero non solum se ipsam obijciat intellectui verū etiam, vt signum alteris significati, sic dicitur significatiua; vt hęc vox homo. Alia autem dicitur significatiua naturaliter, & alia ad placitum, vt supra explicuimus.

Voces significatiuæ incōplexæ, et complexæ.

Quarto notandum venit, quod voces significatiuæ adhuc sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt incomplexæ, sic dictæ, quia exprimūtur tantum per vnum terminum, vt sunt istæ, equus, leo, bos. Nec est necessarium, quod vox incomplexa cōtineat tantum vnum significatum, quia hæc vox canis plures res significat, s. canem marinum, terrestrem, & cęlestem, & tamen dicitur vox incomplexa, quia intelligitur tantum vna non quo ad res significatas, sed quo ad vocem, & modū proferendi. Quædam vero est complexa, i. coniuncta cum altera voce significatiua, nam possunt congregari simul plures voces incomplexæ habentes ordinem adinuicem, ita vt vnum significent, vt dicendo homo est animal rationale. Voces autem complexæ

has conditiones requirunt. Prima, quod importent plures voces, & hæ omnes sint significatiuæ. Secunda, quod habeant complexionem, & ordinem ad inuicem. Et tertia, quod significent conceptum complexum, & istæ voces complexæ sunt illæ, quę inseruiunt syllogismo, cum syllogismus constet ex pluribus terminis incomplexis, qui faciunt propositiones complexas.

Complexa sunt vera, vel falsa. Quinto notandum, quod in vocibus proprie consistunt veritas; & falsitas; sed pensandum venit, quod veritas, & falsitas dupliciter considerari possunt. Primo materialiter; & sic veritas, nil aliud est, nisi res ipsa, vt aurum, & plumbum, &c. Et falsitas est negatio rei, v.g. si sumatur plumbum pro auro. Secundo modo veritas sumitur formaliter, & sic dicitur adæquatio rei, & intellectus, & nō est nisi res intellecta, prout est vera, & intellecta, & sic proprie reperitur in propositionibus, & vocibus complexis. Vnde propositio dicitur oratio significans verum, vel falsum, & ista veritas reperitur tantum in secunda, & tertia operatione intellectus, s. in compositione, diuisione, & discursu, & non in prima, scilicet in apprehensione rei.

Veritas in tribus reperitur. Sexto igitur notandum, quod veritas in triplici parte reperitur. Primo subiectiue, & tanquam in subiecto, & sic ponitur in intellectu componente, & diuidente. Secundo, vt in causa, & sic erit in rebus, quia ab eo, quod res est, vel non est, oratio dicitur vera vel falsa. Tertio, vt in signo, & sic dicitur esse in propositione vocali, vel in vocibus complexis, indicantibus conceptum mentis, sicut dicebat supra Aristotel. esse signa earum, quæ sunt in animo passionum, idest, conceptuum. Quoniam autem de vocibus, quæ termini sunt oportebit sæpius sermonem facere, ideo de istis prius loquendum venit.

LECTIO VIII.

De Terminis.

OMnis propositio, & argumentatio ex terminis constare notum est, & ideo, antequam de nominatis proprijs nominibus terminis, s. de nomine, & verbo dicam, prius de terminis absolute loquendum erit. Terminus ergo triplex est. *Terminus triplex.* Primus dicitur terminus vocalis, i. vox simplex ad placitum significatiua, ex qua componitur propositio formaliter, idest, significatum propositionis vt ordinatur, ad faciendum scire. Secundus dicitur terminus scriptus, seu scriptualis, qui est vox significatiua ad placitum, ex qua conficitur propositio scripta, vel potest confici, quia ille terminus est significatiuus. Tertius dicitur terminus mentalis, qui est cōceptus, seu verbum intellectus ex quo conficitur propositio mentalis. Habeas autem, quod hæc diuisio non est in diuersas res, (quia idem terminus potest esse vocalis, vt est in voce, scripturalis, vt est in scripto, & mentalis, vt est in intellectu,) sed est in diuersas rationes secundum quod in diuersis consideratur, & secundum analogiam eis attribuitur.

Secundo notandum venit, quod Magister Petronius ad facilitarē intelligendi Logicalia pro nouitijs diuidit libro primo suæ Logicæ, p. p. quibusdam discursibus, terminū vocalem primo, in terminum vnivocum, i. vnum significantem, vt homo, qui hominem tantum significat, & æquiuocum, qui plura significat, vt canis, qui sydus cœleste, (canis nominatū) piscem marinum, & cætera terrestria denotat, hæc enim canes vocantur.

Secun-

Termini vocalis sub diuisiones. Secundo illum diuidit in terminū cathegorematicum,id est, per se aliquid,& seorsum significantem,vt est homo,qui hoiem significat, & in terminum syncategorematicū, i. consignificantē aliquid, quia nō ponitur, vt substantiuū, sed vt adiectiuum,v. g.diligenter, celeriter,necessario,contingenter,possibiliter,impossibiliter, & similes termini,qui modū dicunt, & modaliter aliquid significant.

Terminus triplex. Tertio diuidit terminum cathegorematicum, in communē, qui .s. plura significat, & pro pluribus supponit, vt est hic terminus homo, qui significat omnes homines,& pro singulis hominibus,vt pro Petro, Paulo, Andrea, &c. supponit. Et in terminum singularem, vel determinatū, vt est hic terminus Petrus, qui tantum stat pro Petro,vel vagum, vt est hic terminus hic homo, qui confuse rem singulatem annuit.

Quarto diuidit terminum cathegorematicum in diuisiuum, qui in singulari numero significat vnum, aut plura diuisim,'quia diuisiue potest supponere pro pluribus,& in terminum collectiuum, qui in singulari numero plura significat,vt Roma, Venetiæ, nam hi termini significant populum Romæ, vel Venetiarum,sicut & hic terminus populus denotat totam collectionem hominum, vel absolute,vel in vna ciuitate vt dicēdo populus Romæ.

Quinto diuidit terminum cathegorematicum in absolutum, & connotatiuum Absolutus est ille,qui aliquid significat per modū per se stantis,siue secundum rem significatam, v.g.homo,vel secundum modum significandi,v.g.albedo,quæ quamuis vt accidens alteri dicatur inhærere, tamen abstracte prolatus hic terminus albedo habet modum significandi ipsam,ut separatā a subiecto. Connotatiuus ille est, qui significat aliquid per modum alteri adiacentis, non modaliter,ut facit terminus syncathegorematicus, sed consignificatiue, quia aliud consignificat, ut album, quod non solum albedinem, sed corpus albedine informatum denotat.

Sexto diuidit terminū cathegorematicum,in terminum primæ intentionis, & secundæ intentionis. Terminus primæ intentionis est ille,qui significat rem realem habentem esse in rerum natura, vt homo,animal, planta,&c. Terminus secundæ intentionis est ille qui significat esse rei, non reale, sed rationis, in re tamen permissiue fundatum, vt species,quę in hoie fundatur,& genus in aīali.

Septimo diuidit terminum in cōplexum,& incomplexum. Complexus est cuius partes aliquid significant,ut dum dicimus,homo albus,equus ferus. Homo enim aliquid significat distinctum ab albo. Incomplexus est cuius partes per se separatæ nihil significant,vt dominus,nam nec dom nec nus aliquid significant, saltem secundum significatum nominis.

Terminus etiam mentalis diuiditur in ultimatum, i. in conceptum rei, ad quem conceptus vocis ordinatur, & in conceptum non ultimatum,i. uocis,qui ordinatur ad significandum aliquid,ut uox homo,ordinatur ad significandum hominem. Diuiditur etiam in conceptum directum,i. cognitum directe,& per se, & reflexum, i. cognitum per alium conceptum, quæ exacte explicari non possunt nisi philosophica penetremus.

Ordine doctrina procedimus. Ad explicationem autem supradictorum, & maiorem intelligentiam dicendorū, notandū est. Primo, qd libri Perihermeneias dupliciter considerari possunt. Primo respectu nostri,& sic primo addiscuntur, quia cum agant

agant de nomine, verbo, &c.& propositionibus, quibus logicalia componuntur, & addiscuntur, primum locum tenent. Secundo, respectu rerum de quibus est logica,& sic quę pertinent ad primam operationem intellectus, vt prædicamenta prius essent scienda, ante ea, quæ spectant ad secundam, & tertiã operationem intellectus, vt sunt propositiones, & syllogismi.

Enunciatio est subiectũ hic. Secundo notandum, quod hi libri vocantur de interpretatione, idest declaratione conceptuum animę, quia voces sunt signa earum, quæ in anima sunt passionum ait hic Arist. Habet autem pro subiecto enunciationem in communi, prout dicitur de simplici, idest cathegorica,& composita, idest hypotetica, tum primo, quia vtraque propositio facit ad logicam, tum etiam, quia in vnaquaque est veritas, & falsitas. Enunciatio tamen simplex est illa, quæ per se primo consideratur, composita vero secundario.

Tertio notandum, quod ex Arist. habemus hic tria, ad vocum significationem pertinere. Primum est, quod voces significant conceptus mentis, verbi gratia, hæc vox homo, significat illum cõceptum, quem intellectus de eo format, scilicet quod sit animal rationale. Conceptus autem res a quibus abstractus est depotat, vt animal rationale significat hominem. Secundum est, quod conceptus significant res naturaliter, & eodem modo apud omnes. Nã animal rationale apud omnes significat hominem. Voces vero inter præsentes,& scripturę inter absentes (saltem virtualiter,) & similiter conceptus significant ad placitũ, quoniã non sunt eædem voces apud oẽs quibus res explicamus, vt patet ex diuersitate scripturarũ, & linguarum. Tertium est, quod veritas subiectiue est in intellectu, & in vocibus vt in signo, vt dicemus.

Dubia contra supradicta.

Sed circa singula duo prima dicta superiora sunt difficultates. Prima est contra primum dictum, scilicet, quod voces significent conceptus. Videtur enim quod res significent. Nam Arist. primo Elenc. cap. 1. ait. Vocibus vtimur non potentes res ipsas ad locum disputationis nobiscũ ferre, ideo eis pro rebus vtimur, sicut lusores calculis pro pecunijs, ergo non eis vtimur ad significandos conceptus, sed ad significandas res ipsas.

Secundo. Illud est significatũ vocis, pro quo vox ipsa in propositione supponit. Sed voces non supponunt pro conceptibus, sed pro rebus. Nam dum dico homo currit, homo disputat, hęc vox homo non supponit pro conceptu hominis, sed pro his actionibus, scilicet currendi, & disputãdi.

Tertio. Per voces deuenimus in cognitionem rerum per voces significatarum,& non conceptuum. Nam, per vocem hominis intelligimus hominem, & non formamus eius conceptum.

Contra secundum dictum, scilicet, quod conceptus naturaliter significant, & ideo idem apud omnes, voces vero significant ex hominum instituto. Nam falsum est quod conceptus idem significent apud omnes. Nam quidam cõcipiunt ens esse vniuocum, & quidam analogum, & ita dic de multis alijs.

Confirmatur, quia conceptus canis, multis & diuersis attribuitur.

Secũdo falsum videtur, quod voces significent ad placitum, quoniam multæ naturaliter significant, vt gemitus infirmorum, significat eorum dolo-

dolorem, & latratus canum, eorum iram denotat.

Ad primum autem contra primũ dictum dicimus, quod significare aliquid fiat dupliciter. Primo proxime; & sic voces significant conceptus, quia horum sunt signa immediata, nihil enim dicimus nisi prius illud mente cogitauerimus. Secundo vltimate, & ita voces rem significant, quia tandem intellectus fertur ad rem significatam per vocem. Vnde.

Secundo respondemus, quod voces significant conceptus, vt quo, & res, vt quod, idest voces exprimunt cõceptus intellectus quibus mediantibus res intelligimus. Arist. ergo attribuit vocibus, vt significent res vltimate, & vt quod, & conceptus vt suo, & proxime.

Ad secundũ similiter dicitur, quod vox in propositione supponit pro rebus vt quod, & vltimate, & pro conceptibus disputandi, & currendi hominis, vt quo, & proxime.

Ad tertium idem dicimus, quod deuenimus in cognitionem rerum, sed mediantibus conceptibus earum. Non enim intelligam hominem vt est homo, nisi per hoc, quod est animal rationale.

Ad primũ contra secũdum dictũ dicitur, (omissis multis nõ bene adductis ab aliquibus) quod conceptus idem significant apud omnes per se, & ex natura sua, quod autem aliqui vnam rem, vno conceptu concipiant, & alij alio, est per accidens, quia veram rei naturam de qua con ceptum formant non penetrat. Hoc autem est extra intentionem hominum, qui vellent de rebus, veros formare conceptus. At ex eorum placito est, quod voces hoc significent, vel illud.

Ad confirmationẽ dicitur, quod de cane non formatur vnus conceptus realis, sed diuersi, pro diuersitate naturarum, quibus attribuitur nomen canis.

Ad secundum dicitur, quod dantur voces naturaliter significãtes, de quibus procedit argumentum.

De Nomine.

Nomen est vox significatiua ad placitum, sine tẽpore, cuius nulla pars separata, aliquid significat, finita, & recta. Vox in ista diffinitione. Ponitur loco generis, Significatiua ponitur ad differentiam vocis non significatiuæ. Ad placitum, ponitur ad differentiam vocis significantis naturaliter. Sine tempore ponitur ad differentiã verbi, quod significa cũ tempore. Cuius nulla pars separata aliquid significat ponitur ad differẽtiã orationis, cuius partes separatæ aliquid significãt. Finita ponitur ad differẽtiam nominis infiniti, vt nõ homo quod nõ est nomen secundum Dialecticum, sed nomen infinitum vt non equus. Recta ponitur ad differentiam nominũ obliquorum, ut Catonis, Catoni, quæ non sunt nomina secundum Dialecticum, sed nomina obliqua, uel casus nominum. Vnde solus nominatiuus, siue rectus dicitur esse nomen secundũ Dialecticum.

Ex primo perihermenias c. 2. & D. S.

In explicatione diffinitionis nominis tria agemus. Primo aliquã anno tabimus, deinde secundo loco probabimus diffinitionem, & tertio loco soluemus quædam dubia.

Quoad primum notandum venit, Arist. duplicem ordinem obseruasse in his tradendis diffinitionibus nominis, verbi, &c.

Primum seruauit in ordine ad cõplexa, quia prius egit de inconplexis, quæ sunt partes orationis, ex quibus, scilicet constituitur oratio, seu enunciatio, & hæ partes sunt nomen

men, & verbum. Prius igitur egit de ipsis antequam de oratione, nam ordine generationis partes præcedunt totum; cum igitur oratio, vt totum constituatur, ex nomine, & verbo tanquam ex partibus. Ideo prius egit de nomine, & verbo antequam egerit de oratione.

Secundum ordinem seruauit inter partes ipsas orationis, ita vt prius tractauerit de nomine, quam de verbo propter duas rationes, quarũ. Prima est, quia nomen significat rem, verbum autem, id quod adiacet rei, prior autem est res quam quod sibi adiacet. Secunda, quia nomen est q̃d simplicius verbo, cũ nomen aliquid simpliciter significet, & verbũ id q̃d significatur, significet cum tpe, simplicius autẽ præcedit minus simplex.

Enunciationis partes duplices.

Secundo notandum, quod partes enunciationis, sunt in duplici differentia, quædam enim sunt simpliciter necessariæ, vt nomen, & verbum quæ se habent, vt materiam, & formam propositionis. Quædam vero non sunt simpliciter necessariæ, quia sine his potest esse propositio, & has omisit Philosophus, quia non erant necessariæ, & tantum de necessarijs sermonem instituebat.

Voces simplices tripliciter cõsiderãtur.

Tertio notandum, quod voces simplices tripliciter considerari possunt. Primo, vt sunt significatiuæ rerum, & sic pertinent ad prædicamenta, quæ significantur per voces prædicamentales, vt substantia per nomen substantiæ, quantitas per nomen quantitatis, &c. Secundo, vt sunt partes necessariæ orationis, & sic de illis hic agit. Tertio, vt habent ordinem syllogisticum, consistentem in tribus terminis, & duabus propositionibus, & sic de illis agitur in libris priorum. Habeas autem quod voces æquiuocæ, vt canis quoad vocem sunt nomina vnum significantia. Quoad rem significatam vero sunt plura nomina, quia plures naturas significant, sed hæc considerare pertinet ad naturalem.

Nom. definiti- explicatio.

Quarto notandum, quod diffinitio nominis sic traditur ab Arist. Nomen est vox significatiua ad placitũ, sine tempore, cuius nulla pars separata, aliquid significat, finita, & recta, quæ omnes particulæ tanquam necessariæ, saltem quoad eius explicationem, ex Aristot. in textu colligũtur. Primo igitur ponitur ly vox significatiua ad placitũ, loco generis, cum quędã sit vox significatiua naturaliter, & q̃dam ad placitum, quæ ẽt dicitur loquio, qualis vox est nomẽ, quod est vox significatiua ad placitum formaliter, sed fundamentaliter correspondens naturæ. Nec obstat quod Sanctus Doctor dicat vocem esse materiam orationis, quia vox bifariam considerari potest, primo in propositione, & sic habet rationem materiæ, & significatum eius tenet rationem formæ, secundo in ordine ad partes diffinitionis nominis, & sic habet rationem generis, vel ponitur loco eius. Cæteræ vero particulæ, vt differentiæ ponuntur, vnde primo dicitur sine tempore, ad differentiam verbi, quod significat cum tempore.

Est vox significatiua.

Sine tempore.

Sed notandum est, aliud esse quod nomen non significet tempus, & aliud quod non significet cum tempore, nam primum esset falsum absolute, cum multa sint nomina, quæ tempus significant, vt dies, mensis, annus, & similia. Secundum verum est, quia significare cum tempore, est significare cum aliqua differentia temporis, præsentis, vel præteriti, vel futuri, quod non conuenit nomini, sed verbo.

Secundo dicitur, quod nomina importantia tempus dupliciter possunt

sunt considerari. Primo materialiter, idest ratione rei significatæ, & sic significant tempus. Secundo ratione modi significandi, & sic quia significant per modum substantiæ, inde non dicuntur significare cum tempore, sicut faciunt verba.

Cuius nulla pars separata aliquid significat. Secundo in diffinitione dicitur cuius nulla pars separata aliquid significat, ad differentiam partis orationis, cuius partes separatæ, aliquid significant, vt faciunt nomen, & verbum, nam nomen est veluti totum æterogeneum, quod non diuiditur in partes similes, sed cauendum est quod quædam sunt nomina simplicia, vt equus, & quædam composita vt equiferus.

De simplicibus nullum dubium est, sed de compositis dubium esse videtur, quia equus vnũ significat, & ferus aliud; sed respõdetur quod equus, & ferus & similia nomina dupliciter considerari possunt. Primo vt sunt partes totius huius nominis equiferus, & sic separatę nihil significant. Secundo, vt sunt partes huius orationis, equus est ferus, & sic aliquid significare possunt.

Finita. Tertio ponitur ly finita, ad differentiam nominis infiniti. Ideo scito quod nomẽ infinitum illud dicitur, quod importat, & significat negationem, vt non homo, non lapis. Excluduntur autem nomina infinita a propositionibus, quia destruunt significationem nominis, & nihil in se ponunt, ex quo non possunt inferre orationi, quæ habet aliquid significare. Pensandum tamen venit, quod nomen infinitum duobus modis considerari, potest. Primo vt est nomen infinitum, & simpliciter tenetur negatiue, & sic verum est totum quod supra assertum est. Secundo vt virtualiter infert aliquid sicut dum dicimus ex non igne fit ignis, nam ly ex non igne, non tenetur pro nihilo, & simplici negatione, sed pro aliqua materia, quæ nõ est ignis, & tamen fit ignis, primo modo loquutus est Philosophus, & non secundo modo.

Recta. Quarto dicitur recta, ad differentiam nominum obliquorum. Nomina autem sumpta in recto, sunt illa quæ accipiuntur in nominatiuo casu in obliquo vero, quæ accipiuntur in genitiuo, & datiuo, & cæteris casibus, hæc autem excluduntur, quia nomina obliqua non significant aliquid substantiue, sed adiectiue. Sed notandum, quod nomina obliqua, & recta bifariam considerari possunt, primo quoad significatum principale, & sic vni conceptui tantum correspondent, tantum enim homo significat hominẽ, quantum nomine hominis aliquid intelligimus. Secundo, quoad modum, & sic distinguitur, quia recta habent significationem absolutam, obliqua vero modalem, significando scilicet modos, vt cuius, cui, &c. Vnde hæc propositio in qua seruatur nomen in recto, Michael Deus est, erit falsa, & hæc, Michael est Dei erit vera.

Conclusio probatur. Quoad secundũ cõclusio est. Recte fuit diffinitũ nomen ab Arist. cũ dixit, nomen est vox significatiua ad placitum, vt supra. Probatur. Illa est bona diffinitio, quæ constat ex genere, & differentia. Talis est ista, vt iam explicatum fuit; ergo erit bona, & recta.

Quoad tertium, primo arguitur. Nomen non esse bene definitum. Nam illa non est bona diffinitio, quę non explicat totam naturam diffiniti, talis est ista, cum non explicet quomodo nomen sit sonus vox ergo.

Secundo arguitur contra idem, quia non recte videtur exclusa oratio a ratione nominis, cum detur nomen complexum ex duobus, vt homo

mo albus, faciens orationem.

Tertio arguitur cōtra id quod dictū est nomina infinitari ex negatione, quod falsum cernitur in transcendentibus, vt dicendo non ens, non vnum, nam hæc dicuntur, & non sunt, sed negationes infinitātes sunt, de his quæ sunt, ergo.

Argumenta soluuntur. Ad primum dicitur, quod in voce comprehenditur sonus, cum vox sit sonus, vt supra explicatum est. Vox autem primo diuiditur in vocem illiteratam, i. inarticulatam, seu non formatam distinctione syllabarum, ita vt scribi non possit, vt latratus canum, & mugitus boum, & in vocē literatā, idest distinctam syllabis, vt homo, equus. Aliqua enim est vox significatiua, vt homo & quædam non, vt belitri, sed hæc supra tacta sunt.

Ad secundum dicitur, quod nomen per se est simplex, & oratio per se est composita, vnde aggregatum, seu compositum in nomine interuenit per accidens, & potius spectat ad orationem, quam ad nomen, & ideo tale nomen omissum fuit.

Ad tertium dicitur, quod transcēdentia non infinitantur, vt transcendentia sunt, ratione tacta in argumento, sed si sumantur particulariter, verbi gratia, ens pro ente perfecto, seu substantia, sic possunt infinitari, vnde apud Aristot. reperitur priuatum ens. Nomen autem quod infinitari debet, primo debet esse significatiuum, secundo debet esse significatum determinate, vnde non quilibet est nomen infinitum, quia quilibet non significat aliquid determinate. Dicitur tamen æqualiter de ente, & de non ente, vt hic asserit S. D. cum Boetio, & Ammonio, dummodo negatio aliquid negare videatur.

LECTIO X.

De Verbo.

Verbum est vox significatiua ad placitum, cum tempore cuius nulla pars separata aliquid significat, finita, & recta. Cum tempore ponitur ad differentiam nominis, quod significat sine tempore. Finita ponitur ad differentiam verbi infiniti, vt non currit, non laborat, quæ non sunt verba secundum Dialecticum, sed verba infinita. Recta ponitur ad differentiam verborum obliquorum, vt currebat, cucurrit, quæ non sunt verba secundum Dialecticum, sed verba obliqua. Solum enim verbum præsentis temporis indicatiui modi, dicitur esse verbum secundum Dialecticum. Reliqua autem alia verba eiusdem modi, & aliorum modorum dicuntur uerba obliqua. Omnes autem alia differentia ponuntur hic in verbo eadem ratione, qua ponebantur, & in nomine. Et sciendum est, quod Dialecticus solum ponit duas partes orationis, scilicet nomen, & verbum. Alias autem omnes appellat syncathegorematicas, idest consignificatiuas.

DVæ sunt præcipuæ partes orationis, s. nomen, & verbum, postquam igitur Philosophus egit de nomine, hic agit de verbo, quod sic secundum ipsum eliciti ue diffiniri potest. Verbum est vox significatiua ad placitum, cum tempore, cuius nulla pars separata aliquid significat, semper finita, & recta, & est nota eorum, quæ de altero dicuntur. *Verbi definitio.* Primo igitur dicitur vox significatiua ad placitum loco generis, ea ratione qua, supra. Secundo dicitur cum tempore, ad differentiam nominis, quod non significat cum tempore:

exem-

exemplificat Aristot. sic valetudo valetudinem significat, sed verbum sanatur, significat in hoc nunc præsentis temporis, esse sanitatem.

Primo notandum circa hanc particulam, Aristot. non dicere verbum significare tempus, sed consignificare, seu connotare; & ratio est, quia nomen principaliter potest significare tempus, vt dies & annus. Verbũ vero consignificabit ex consequenti tempus, s. in hac die esse sanitatem, vel in hoc anno infirmitatem. Dum autem S. D. quodl. 4. artic. 19. dicit conceptus præsentis, præteriti, & futuri esse diuersos specie, intelligit nõ seorsum, & secundum se, sed ratione rei significatæ, quæ exprimitur per actum, exercitũ essendi, præsentem, vel futurum.

Cõsignificat tẽpus.

Secundo notandum, quod consignificare tempus nil aliud est nisi cum proprio significato etiam connotare tempus, verbi gratia, Verbum curro ex principali significat cursũ, & motum, sed connotatiue significat tempus præsens, in quo est cursus. Verba igitur omnia cum suo significato, semper etiam trahunt significatum temporis. Vnde etiam in propositione de tertio adiacente, vt dum dico. Homo est substantia, ly est, significat tempus, vt permanens vnde dicitur propositio sempiternæ veritatis, quia significat esse semper formaliter conuenire subiecto, saltẽ obiectiue.

Quomodo

Tertio notãdum circa candẽ particulam, qd temporis bifariam sumi põtest. Primo proprie pro numero prioris, & posterioris in motu, & prout distinguitur ab æuo, & æternitate. Secundo modo sumitur pro significato, vel temporis proprie sumpti, vel æternitatis, vel æui, quæ etsi non sint tempus proprie, tamen significant per modum temporis, & sic sumitur hic, vnde etiã creare sumitur vt verbum consignificans tempus.

Tẽpus sumitur pro prie & cõ muniter.

Tertio dicitur in diffinitione, cuius nulla pars separata aliquid significat, ea ratione qua supra dictũ est de noĩe. Notãdum tamen hanc particulã Arist. expresse, nõ apposuisse, sed eam subtacuisse, in diffinitione nominis, quamuis a nobis ad maiorem explicationem apposita fuerit. Tacuit autem hanc Aristot. Primo, secundum Ammonium, quia duplex est complexum, vnum ex nomine, vt hoc, homo albus, aliud ex verbo, vt homo currit, & hoc secũdum, quia facit sensum non verbi, sed orationis, ideo apponenda erat declaratio. Vel secundum S. Doctorem, quia maior ratio complexionis apparet in verbo, quam in nomine, nam verbũ significat rem vt de aliquo dicitur, quod non significat nomen.

Cuius nulla pars etc.

Quarto dicitur finita. s. quia duplex est verbum, quoddam enim dicitur infinitum, vt non currit, non legit, & quoddam finitum, vt currit, & legit; verba autem infinita excluduntur, quia non significant aliquẽ determinatum actum, per intellectum enunciatum de alio, ad quod fiendum datur oratio, nam sic in oratione negat compositionem, extremorum, ad quam ponendam instituta est oratio. Equidem infinitũ in oratione transit in negatum secundum æquipollentiam, vnde fit nota rerum negatiue, non positiue.

Finita.

Quinto dicitur recta, quia verba obliqua absolute a Logico non vocantur verba, sed obliqua, & non habent vim in oratione nisi ad rectam reducantur, nam hæc propositio, Adam fuit, non esset vera nisi prius hęc fuisset vera, Adam est, vnde semper verba fundantur in præsenti indicatiui, cum agitur Logice illa vocentur verba, quæ ex se aliquid significant cum tempore, & solum recta hoc habeant obliqua vero vt tantum redu-

Et recta

cantur ad recta; vnde exclusa intelliguntur formaliter obliqua ab Arist.

Sexto dicitur, & est nota eorum, quæ de altero prædicantur, quā particulam sic explicat Boetius, quod verbum cum significet actionem, & passionem, consequenter etiam significabit accidens. Nomina vero significabunt substantiam, & quia proprium est accidentium dici de subiecto, & esse in subiecto, ideo Aristot. dixit verbum esse notam eorum quæ de altero prædicantur, idest, verba esse accidentia, quæ prædicantur de subiecto; sed Toleto non placet hæc expositio. Primo, quia nō omnia verba significant actionem, vel passionē, vt sum, es, est. Secundo, quia supra distinxerat esse in subiecto. Sed quis posset respondere omnia verba quāuis ex suo principali significato non significent accidens proprie, significant tamen modaliter, nam sum, es, est significant esse inhærere alicui, nec supra illa distinxit, ita vt nō possint copulari in verbo. S. D. vero sic explicat illa verba, quod verbum est nota eorum, quæ de subiecto dicuntur, i. habet rationem prædicati, hoc autem verum est primo, quādo verbum sumitur vt verbum, vt dicendo homo currit, nam ly homo habet rationem subiecti, & verbum currit prædicati; non autem est verum quādo verbum sumitur vt nomen, i. loco nominis, vt dicendo, currere est moueri. Secūdo, quando sumitur per modum enunciationis, vt significans verum, vel falsum, nam sic distinguitur ab optatiuo, & subiunctiuo, &c.

Et est nota &c.

Septimo notandum, Aristotelem tandem assignasse quomodo nomen, & verbum, conueniant, & differant dicendo, conuenire in hoc, quod verba nomina sunt, & verba aliquid significant. Intellige vero nomina esse verba communiter, vt etiam nomen sumitur pro dictione, nam certo constat, verba proprie non esse nomina, sed distincta a nominibus, distinguū tur vero, quia nomen non significat aliquid per modum compositionis cum tempore, sicut verbum.

Verbū, & nomen cōueniunt.

LECTIO XI.

De Oratione.

Oratio est uox significatiua ad placitum, cuius partes separatæ aliquid significant. Hoc totū, cuius partes separatæ, aliqā significāt ponitur ad differentiam nominum, & uerborum, quorum partes separatæ aliquid non significant, reliquæ aūt particulæ ponuntur hic sub eadem ratione, qua in nomine & uerbo ponebantur.

QVoniam, quæ dicuntur ab Arist. obscuriora sunt, quā quæ in summa traduntur a Petro Hispano circa orationes, & præpositiones, & magis ista deseruiunt intellectui Nouitiorum, ideo breuiter ista explicaturus, modum dicēdi Petri Hispani, & Versorij eius expositoris sequar, non omittendo tamen omnino quæ a Philosopho dicuntur.

Oratio igitur sic diffinitur; Oratio est vox significatiua ad placitum, cuius partes separatæ aliquid significant, quæ omnia breuiter explico.

Orōnis explicatio.

Primo ergo notandū, quod Oratio à Laurentio Valla diuiditur in plenam, pleniorem, & plenissimam. Plenam vocat illam, quæ tantum ex partibus necessarijs constat. s. ex nomine, & ex verbo. Dicit pleniorem, quæ plures habet partes necessarias, vt est syllogismus, & plenissimam omnibus numeris absolutam, quales orationes facit Rethor.

Sed hæc nō est prima diuisio orōnis, sed altera, s. Orō q̄dā est perfecta, & q̄dam imperfecta, pfecta est quę perfectum sensum generat in aīo auditoris, non quod illi sensui non possit aliquid adiungi; sed quia facit in-

tellectum acquiescere. Oratio vero imperfecta est, quæ non quietat intellectum nostrum, vt verbi gratia, dicendo, homo est animal, nam tunc non quiescit intellectus, sicut quando dicimus quale sit animal. s. quod sit animal rationale.

Oratio autem perfecta diuiditur in indicatiuam, vt homo currit, in imperatiuam, vt Petre fac ignem, in optatiuam, vt vtinam essem bonus religiosus, in subiunctiuam, vt si veneris ad me, dabo tibi equũ, & in deprecatiuam, vt miserere mei Deus. Ratio autem diuisionis est, quia homo potest comparari vel ad superius, vel ad inferius, si ad inferius, vel vult in se conuertere mentem alicuius, & sic vtitur vocatiuo, vel vult mẽtem sibi alterius explicari, & sic vtitur interrogatiuo, uel vult ut aliquis exæquatur aliquod opus, & sic utitur imperatiuo, uel exortatiuo, cũ superiori uero utitur deprecatiuo, seu desideratiuo.

Debet esse in indicatiuo. Sed discrimẽ est, quod in solo modo indicatiuo, seu enunciatiuo dicitur esse uerum, uel falsum, & non in alijs nisi in quantum ad enunciatiuam reducũtur, & hoc propter duas rationes; Prima, quia indicatiuus modus spectat ad intellectum intelligentem, in quo est uerum, uel falsum, alij uero modi spectant ad effectum, seu ad uoluntatem, in qua nõ intelligitur esse uerũ uel falsum, sed bonũ. Secunda, quia enunciatio enunciat. i. affirmat, uel negat, ab eo aũt qd res est, uel non est, oratio dicitur uera, uel falsa, secundum Aristotelem in prædicamentis capite de substantia.

Scdo notandũ, qd oratio ut includit perfectã, & imperfectã orationẽ, sic diffinitur, ut supra etiam factum est, quamuis analogice eis conueniat. Oratio est uox significatiua ad placitum cuius partes separatę aliquid significant; hic uox ponitur loco generis, quia quamuis in oratione plures uoces reperiantur, tamen quia ordinantur ad unum significatum complexum, possumus dicere uocem quę hanc complexionem significat, formaliter. i. quoad significationem esse unam, & si non materialiter. i. quoad multitudinem terminorum ex quibus componitur. Oratio ergo per se habet significatum complexum, dicitur autem cuius partes separatæ aliquid significant, quia componitur ex nomine, & uerbo, quæ sunt uoces significatiuæ ut supra ostensum est; sufficit tamen ut saltem una pars aliquid significet. Sed partes orationis quædam sunt propriæ, quæ uocantur dictiones, ut nomen, & uerbum, aliæ uero uocantur impropriæ, uel quia remotæ sunt, ut literæ, & syllabæ, uel enũciationes sic uocatæ, quia enunciant, ut modo dicemus. Vel sunt affirmationes, & negationes. i. facientes compositionem affirmatiuam, uel negatiuã, & has exclusit, ut non necessarias, nec per se.

LECTIO XII.

De propositione.

Propositio est Oratio, verum uel falsum significans indicando.

Propositio alia enunciatiua alia non. Aristot. primo, diuidit enunciationem in enunciatiuam, & non enunciatiuam; enunciatiuam uocat propositionem in qua est uerum, uel falsum. Non enunciatiuam appellat orationes quas assumunt Poetæ, & Rethores, quæ more dialectico. i. secundum rationem prædicati, & subiecti non dicuntur enunciatiuę, quãuis materialiter ueritatem, & falsitatẽ enuncient, unde de his non loquimur, sed de prima. i. de enunciatiua, quæ a Petro Hispano sic diffinitur. Proposi.tio est oratio uerum, uel falsum significans indicando, in qua diffinitione oratio ponitur ut genus, aliæ uero particulæ ut differentiæ, nam nec orationes imperfectæ, nec aliæ ab indicatiua significant uerum,

vel falſum, niſi quatenus ad indicatiuam reducuntur, vel ſecundum alios ly indicando, non annuit, quod oratio ſit indicatiua, ſed indicatiua, ut ly indicando ſonet, aſsĕtiendo, quod etiam conuenit hypotheticæ.

Oratio multipliciter dicitur

Circa hanc diffinitionem, primo notandum uenit, quod eadem oratio multis nominibus nominatur, ſecundum quod diuerſis rationibus conſiderari poteſt. Primo enim dicitur oratio, ut ſignificat uerum uel falſum. Vt uero eſt manifeſtatiua conceptus mentis, dicitur enunciatio.i. quaſi extra nunciatio. Dicitur autem concluſio, ut eſt recepta in concluſione. Dicitur præmiſſa, ut eſt in maiori, & minori in ſyllogiſmo. Dicitur principium, & dignitas, ut aliquid probat. Dicitur interpretatio, & propoſitio in quantū ponitur pro alio.i. pro cōcluſione probanda, quæ ſi fuerit propoſitio neceſſario probanda, ut quod homo ſit rationalis, dicetur quæſtio, ſi probabilis, problema, v.g. an parentes ſint honorandi, nec ne, ſi apparens, & multiplex, uocabitur ſophiſma, v.g. utrum canis moueatur. Si fuerit ad obuiandum dictis alterius, uocabitur inſtantia, & quatenus ipſi innititur intellectus, dicetur demonſtratio. Propoſitio autem de qua hic dicitur, quod ſignificat uerum, uel falſum. Primo, debet eſse ex terminis unum ſignificantibus, uel uniuoce, uel analogice, unde excluduntur termini æquiuoci, qui tantū ſecundum uocem formant propoſitiones. Secundo, debet ſignificare plura.i. ſubiectum, & prædicatū, ut facit formaliter propoſitio uocalis, & ſcripta, uel uirtualiter, ut facit propoſitio mentalis. Tertio, debet ſignificare determinate aliquid prædicatum dici de ſuo ſubiecto, & ideo hæc non eſt uera propoſitio niſi ſecundum uocem tantum. Hæc enunciatio eſt falſa, nihil aliud addendo.

Verū uel falſum ſignificare, quid ſit.

Secundo notandum uenit, quod ſignificare uerum, eſt ſignificare rem ita eſse prout eſt concepta mente, & expreſſa uoce. Significare uero falſum, eſt ſignificare rem alio modo eſse conceptam, uel ore expreſsā, quā in ſe ſit; unde uera eſt hæc propoſitio, homo eſt rationalis, quia uere homo eſt rationalis, falſa uero hæc eſt, homo eſt irrationalis, quia homo nō caret ratione, ex quo habemus, quod duplex eſt propoſitio.ſ. uera, & falſa. Quando igitur erit adæquatio inter ſignificatum propoſitionis, & rem ſignificatam, tunc erit propoſitio uera, & quando non erit adæquatio, erit falſa.

Propoſitio duplex cathegorica, et hypothetica.

Tertio notandum, quod duplex eſt propoſitio, prima dicitur cathegorica, quæ ab Ariſtot. uocatur una ſimpliciter, alia dicitur hypothetica, quę dicitur una ſecundum quid.ſ. aliqua coniunctione. Propoſitio cathegorica componitur ex pluribus terminis, ideſt, ex prædicato, & ſubiecto, & copula; hypothetica autem componitur ex pluribus cathegoricis, unde hæc eſt cathegorica, homo currit, in qua homo, eſt ſubiectū, & currit, prædicatum, & copula ſubintelligitur.i. eſt currens; hæc uero eſt hypothetica q. cōſtat ex duabus cathegoricis, ſi hō currit, hō mouetur. Differunt aūt iſtæ propoſitiones. Primo in forma, quia cathegorica hēt copulā pro totali forma, & hypothetica hēt pro forma unionem duarum cathegoricarum. Secundo differunt in materia, quia cathegorica componitur ex terminis; hypothetica uero ex propoſitionibus.ſ. ex duabus cathegoricis. Tertio, quia quamuis hypothetica habeat ſubiectum, prædicatum, & copulam non tamen ut partes principales ſui. Quarto differunt in affirmatione, & negatione, quoniam hæc in cathegorica per ſe, in hipothetica uero tantum ratione affirma-

firmationis uel negationis repertæ in cathegoricis, nisi loquamur de affirmatione,& negatione secundũ quid, quæ dicitur illatiua.

Quarto sciendũ quod tripliciter ali qua propositio dicitur una. Primo uoce,& significatione, quãdo.s.una est cõplexio,& in re,& in uoce, ut est in ista homo currit. Secundo re, sed non uoce, quia plures termini qui se tenent ex parte subiecti, unum significant secundum rem, quamuis secũdum uocem sint plures, ut dicendo. Animal gressibile, bipes currit. Tertio coniunctiore, ut quando dicitur Leo currit,& homo uincit,& sic pro positio multiplex est. Scias autẽ quod significatum terminorũ ut stat sub ta li ratione una facit prædicationem, & propositionem unam. Vnde hæc propositio sex homines sunt una sub stantia est falsa, quia sunt sex substan tiæ. Hæc aũt est uera sex homines sũt unus senarius.

Dicitur una tripliciter.

Quinto notandum, quod ad propositionẽ cathegoricam tria requiruntur. s. subiectum, prædicatum, & copula. Subiectũ dicitur illud, quod in propositione subijcitur, & de quo prædicatum prædicatur; prædicatũ autem illud dicitur, quod prædicatur de subiecto, v. g. in hac propositione. Homo est currens, homo est subiectum, quia subijcitur cursui, ly est, est copula,& ly currens, prędicatum, quia dicitur de subiecto. Hinc propo sitio cathegorica dicitur propositio prædicatiua, nam cathegorizo, cathe gorizas idem est, quod prædico, prædicas,& denominatur, magis prę dicatiua a prædicato, quam subiectiua a subiecto, tum primo, quia de nominatio fit a nobiliori, prædicatũ autem est nobilius subiecto, tum secundo, quia denominatio fit a forma; & prædicatum habet rationem, formæ, sicut subiectum materiæ. Verum est tamen quod duplex est forma, una dicitur partis,& hæc importatur per prædicatum, altera uocatur totius,& hæc est unio, connexio, & significatum totius propositionis.

Tria requirit.

Sexto notãdũ, quod propositiones cathegoricę quædã dicuntur de secũdo adiacente, & quædam de tertio. Primo uocantur illæ, quæ componũtur tantum ex subiecto, & uerbo, ut ista, homo est, homo legit. Secundo, quæ ex tribus terminis componuntur, verbi gratia, homo est currens. Sed notandum, quod in propositionibus de secundo adiacente quamuis explicite non ponatur prædicatum, tamen semper implicite subintelligitur. Vnde dum dico homo est, subintelligitur homo est ens, idest habet esse; vnde tales propositiones de secundo adiacente distinguuntur ab illis de tertio adiacente, quod istę respiciunt potius esse reale, quã esse significatum per propositionem; & illæ proprie respiciunt significatum propositionis, & non esse actualis existentiæ, vnde hæc propositio, Sortes est, redditur falsa eo mortuo; sed hæc, Sortes est homo, remanet perpetuæ veritatis, etiã eo defuncto, quia semper est vera connexio prædicati cum subiecto, scilicet quod Sortes sit homo, non enim erit leo, vel bos.

Duplices sunt.

LECTIO XII.

De diuisionibus propositionis Cathegorice.

Propositionum categoricarũ, alia vniuersalis, alia particularis, alia indefinita, alia singularis. Propositio vniuersalis est illa in qua subijcitur terminus cõmunis signo vniuersali determinatus. Vel propositio vniuersalis est illa qua omni, aut nulli in esse

esse significat, vt omnis homo currit. Terminus communis est qui aptus natus est prædicari de pluribus, ut homo est terminus communis, quia prædicatur de Socrate, & Platone, & de uno quoque homine. Signa uniuersalia sunt hæc, omnis, nullus, nihil, quilibet, alter, uter, neuter, & similia.

MVltis diuisionibus Petrus Hispanus simul cum Arist. diuidit propositionem cathegoricam, & primo eam diuidit, in vniuersalem, particularem, indefinitam, & singularem. Vocat propositionem vniuersalem illam in qua subijcitur terminus communis, signo vniuersali determinatus; Terminus autē communis ille est, qui aptus natus est prædicari de pluribus, vt genus verbi gratia animal, quod de omnibus animalibus prędicatur, & species vt homo, qui de omnibus hominibus, & indiuiduum vaguum, vt quidam homo, qui de hoc, & illo homine particulariter subsistente dicuntur. Signa vero vniuersalia sunt, quæ indicāt vniuersalitatem, vt omnis, nullus, nihil, quilibet, alter, vter, neuter, & similia, vnde sufficientia diuisionis sic haberi potest. In propositione cathegorica dantur subiectum, prædicatum, & copula. Aut ergo subiectum tenetur pro vno supposito, & sic constituit propositionem singularem, aut stat pro pluribus, & sic aut tenetur sub quantitate interminata, idest non determinata per aliquod signum. & sic erit propositio indefinita, aut tenetur pro quantitate determinata per signum vniuersale, & sic erit vniuersalis, vel per particulare, & sic erit particularis.

Propositio vniuersalis, particularis, indefinita & singularis.

Notandum est ergo, quod quadruplex est propositio; scilicet vniuersalis, particularis, indefinita, & singularis.

Ad propositionem autem vniuersalē primo requiritur, vt subiectum sit terminus communis, scilicet genus, vel species, vel vagum indiuiduum, quæ supponuntur prædicari de pluribus, vnde defectu huius conditionis, hæc propositio non est vniuersalis, sed particularis, scilicet Sortes currit, quia Sortes, neque est genus, neque species, neque indiuiduū vagum. Secundo requiritur, quod terminus cōmunis communiter teneatur, vnde deffectu huius, hæc nō est vniuersalis, non omnis homo currit, quia hæc negatio impedit, ne ly homo, qui est terminus communis, stet pro omnibus hominibus, sed tātum pro aliquo, vnde erit particularis.

Requisita ad propositionem vniuersalem.

Tertio requiritur, vt etiam significatum eius sit de pluribus prædicabile, verbi gratia, quod significatum hominis, de omnibus hominibus sit prædicabile, & Quarto requiritur quod propositio sit distributa per signum vniuersale scilicet omnis, nullus, &c. vt diximus. Sed hoc verum est ad faciendam propositionē cathegoricā vniuersalē prioristice, nā ad vniuersalitatē posterioristicam sufficit vt significatum termini cōis de pluribus prædicetur, seu verificetur, vnde hæc erit vniuersalis posterioristice, homo est rationalis, quāuis ly homo, qui est terminus cōis, non sit distributus per signum vniuersale omnis, nam rationalitas verificatur de omni homine.

Ad propositionem vero particularem. Primo, necessarium est, vt terminus communis sit particularizatus, quia subintelligitur esse contractus, ita vt sicut in propositione vniuersali stabat pro omnibus, modo in particulari stat tantum pro aliquibus vt in istis, aliquis homo currit, quidam equus mouetur; hoc autem accidere potest dupliciter, primo formaliter, & explicite, vt patet in propositionibus adductis. Secundo: materia-

Ad particularem.

aliter, & implicite, vt quando negatio remouet vniuersalitatem, & facit stare subiectum pro aliquibus tãtum, vt in hac non omnis homo currit, tunc enim subintelligitur, ergo aliquis homo currit. Secundo necessarium est, vt terminus communis sit determinatus per signa particularia, vt sunt ista, aliquis, quidã, reliquus, alter, & similia, vnde si non esset terminus communis aliquo signo determinatus, faceret propositionem indefinitam, vt est hæc, homo currit, nam per particulare signum ab indefinita secernitur.

Ad indefinitam. Ad propositionem autem indefinitam, seu indeterminatam, sic dictam, quia non est determinata per aliquod signum vniuersale, vel particulare, ista requiruntur. Primum, quod in ea subijciatur terminus communis, quia terminus particularis magis intelligitur determinatus, quã vniuersalis. Secundum, vt communiter teneatur, vnde hæc non est indefinita, homo est species, quia ly species determinat simpliciter hominem, ad stãdũ pro prædicato de pluribus differentibus numero distincto a prædicato generico. Notandum tamen, quod aliqua sit propositio indefinita stat dupliciter. Primo, secundum rem, seu significatum, & hoc est falsum, quia omnis propositio habet suum determinatum significatum secundum rem, vt dum dicimus homo currit, ly homo stat pro homine vel volente, vel potente currere. Secundo, secundum modum enunriandi, quia profertur terminus communis, non significatus in sua vniuersalitate per aliquod signum commune, vel particulare, & hoc verum est.

Ad singularem. Ad propositionem tandem singularem. Primo opus est, vt in ea subijciatur terminus particularis, seu discretus, vnde per hanc differt ab vniuersali, particulari, & indefinita, in quibus subijcitur terminus communis. Terminus autem discretus, seu singularis est, qui facit stare subiectum tantum pro vno, quod accidere potest multipliciter. Primo, quando subiectum erit discretum, idest singulare determinatum, vt dum dicimus Sortes currit. Secundo, quando terminus est communis, sed cum pronomine demonstratiuo primitiuæ speciei, vt dum asserimus iste homo currit. Addunt alij etiam quando terminus sumitur pro natura simplici significata per ipsum, vt dũ dicimus homo est species, animal est genus, sed certe potius istæ propositiones prioristice sunt indefinitæ, & posterioristice vniuersales. Vnde tertio addimus ad propositionem singularem opus esse, quod significatũ sit veritica um de vno solo, vt in se est, & nõ vt sumitur collectiue, quia sic est abuti vocabulis, & non accipere propositiones prout deseruiunt ad veram cognitionem rerum, & ad reales disputationes.

LECTIO XIII.

Diuisio propositionis in affirmatiuã, & negatiuam, et quid vtraque sit.

Propositionũ cathegoricarum alia affirmatiua, alia negatiua. Affirmatiua est illa, in qua prædicatũ coniungitur cũ subiecto, ut homo currit. Negatiua est illa, in qua prædicatũ remouetur a subiecto, ut homo non currit.

Secundo principaliter diuiditur propositio in propositionem negatiuam, & affirmatiuam. Affirmatiua autem est illa, in qua intelligitur prædicatum cum subiecto coniungi, & de eo affirmari, vt in ista homo currit. Negatiua est illa, in qua prædicatum intelligitur negari, & remoueri a subiecto, vt in ista, homo non currit. Circa istam autem diuisionẽ multa sunt notanda. *Propositio affirmatiua & negatiua.*

Propositio affirmatiua, & negatiua.

Primo notandum ergo est, quod affirmatio quadrupliciter dicitur prior negatione. Primo secundum naturam, ex ea parte, qua simplicius est prius minus simplici, nam negatio aliquid addit affirmationi, & si non aliud saltem ly non. Secūdo est prior cognitione vt notior, quia affirmatio nō cognoscitur per negationem, sed bene negatio per affirmationē. Tertio est prior secundū rem significatam, quia esse significatum per propositionem affirmatiuā, semper est prius, & absolute significatur, vt prius, quam non esse importatum per negationem. Quarto est prior secūdum intellectum, quia intellectus prius componit aliquid affirmando de re intellecta, quā diuidat per negationem, aliquid ab ea remouēdo. Sed remouere possumus esse a subiecto dupliciter. Primo absolute, & sic propositio affirmatiua semper erit falsa, vt dicendo tragelaphus est vel erit. Secūdo in ordine ad causas suas, vt Tonitruum, vel Ecclipsis, & sic affirmatiua est vera, & negatiua falsa.

Dupliciter considerantur.

Secundo notandum, quod affirmatio, & negatio bifariam considerari possunt. Primo vt comparantur ad inuicem, & sic affirmatio est prior negatione, & hæc prioritas est quidam modus analogiæ attributionis. Secundo, vt comparantur ad enunciationem, & sic enuntiatio, vni uoce diuiditur logice in affirmatiuā, & negatiuam, nam ratio simplicis enuntiationis de vtraque verificatur secundum eandem rationem. Intellige autem hoc logice vt dixi, quia physice, idest quoad enunciata patet, enunciatum affirmatum realiter esse ens existens, vel secundum se, vel in alio, non sic negatum.

Interrogatio triplex qua, qualis, & quāta.

Tertio notādum, quod triplex est interrogatio per quam quærimus aliquid de propositione. Hæ autem sunt, quæ, qualis, & quanta. Quæ quærit de substantia propositionis, vnde ad interrogationem, quænam est hæc propositio, homo currit? respondemus, est cathegorica, & non hypothetica. Ad interrogationem quāta sit respondendum erit, vel vniuersalis, vel particularis, vel indefinita, vel singularis. Ad interrogationem vero qualis sit propositio, respondebitur, vel affirmatiua, vel negatiua, quia affirmatio, & negatio dicuntur qualitates propositionis. Intellige autem esse qualitates non accidentales, sed essentiales constituentes duas species essentialiter, distinctas, & ratio est, quia significatum in affirmatione distinguitur realiter 'a significato negationis, cum affirmatiua importet esse, & negatiua non esse, nam non ex materia de qua sunt affirmatio, vel negatio constituuntur propositiones istæ, (cum materia possit esse accidens,) sed ex significato essentiali, qd semper diuiditur essentialiter in affirmatiuam, & negatiuam propositionem.

Propositiones utroq; termino participātes, & nō.

Quarto notandum, quod Petrus Hispanus vlterius diuidit propositiones, in propositiones participantes vtroque termino, quia tam in affirmatiua, quam in negatiua saluantur ijdem termini, excepto quod in negatiua additur negatio, vt affirmatiue dicendo homo currit, negatiue dicemus, homo non currit. Aliquæ vero non participant vtroque termino, vt istæ Sortes currit, Sortes mouetur, Sortes non currit, Sortes non mouetur. Insuper illæ quæ participant vtroque termino, quædam participant secundum eundem ordinem, vt homo currit, homo non currit, quædam non, sed ordine conuerso, vt homo est animal, animal est homo.

Sed quinto notandum, quod propo-

posi-

Cōtraria contradictoria sub alterna, et subcontraria.

positiones participantes vtroque termino, secundum eundem ordinem, aliquæ dicuntur contrariæ, & istæ sunt vniuersalis affirmatiua, & vniuersalis negatiua eiusdem subiecti, & prædicati, vt omnis homo currit, nullus homo currit. Aliæ dicuntur subcontrariæ, & hæ sunt particularis affirmatiua, & particularis negatiua, eiusdem subiecti, & prædicati, vt quidam homo currit, quidam homo non currit. Aliæ sunt cōtradictoriæ, vt vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua, vel vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua, eiusdem subiecti, & prædicati, vt omnis homo currit, quidam homo non currit, vel nullus homo currit, & quidam homo currit. Quędam vero sunt subalternæ, vt vniuersalis affirmatiua, & particularis affirmatiua, vt omnis homo currit, quidam homo currit, vel vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua, eiusdem subiecti, & prædicati, vt nullus homo currit, quidam homo non currit, & hic ordo patet in sequenti figura.

Omnis homo currit — contrariæ — nullus homo currit

subalternæ — contradictoriæ — subalternæ

quidam homo currit — subcontrariæ — quidam hō non currit

Sed sexto notandum, quod vniuersale dicitur, quod aptum natum est prædicari de pluribus, hoc autem dupliciter intelligi potest. Primo ex natura rei, & hoc est falsum, quia nō datur aliqua natura vniuersalis separata existens, & vniuersaliter subsistens, vt disputat Arist. septimo Metaphisicæ contra Platonem. Secundo ex opere intellectus, & hoc est verum, quia intellectus a pluribus particularibus abstrahit vnam rationem vniuersalem, in qua omnia singularia conueniunt, verbi gratia ab omnibus hominibus abstrahit rationem rationalitatis, communem omnibus, & singulis hominib. quia omnes homines sunt rationales; sed de his suo loco, pro nunc sufficiet hæc superficialiter annotasse; pro quanto opus est procedere ad vlteriora.

LECTIO XIIII.

De materia propositionum.

Propositionum triplex est materia, scilicet naturalis, contingens, & remota. Naturalis est illa, in qua prædicatum est de essentia subiecti, vel proprium eius, vt homo est animal, homo est risibilis.

QVoniam pro nouitijs melius faciunt quæ in sequentibus habētur a Petro Hispano, quam ex Aristot. ideo textum eius sequar, omnia necessaria perstringendo, breuibus annotationibus, neque enim volumus facere nouitium in Logica summum Philosophum, neque Theologum, qm̄ omnia suas sedes habent.

Materia duplex propria, & impropria Primo ergo notandum, auctorem nostrum asserere triplicem esse materiam propositionum, vt patet in textu, & ideo notato, quod materia duplex est. Quædam propria, & hæc ponitur subiectum naturalis generationis, quo pacto corpus comparatū animę dr̄ eius materia. Alia dr̄ materia phorice, seu similitudinarie, qa habet modum materiæ, scilicet subiecti in propositione, & sic subiectum dicitur materia prædicati, & ordo ad rem necessariam; in re necessaria dicitur materia necessaria, & naturalis, in contingente dicitur accidentalis, & contingens, & in repugnanti dicitur materia remota.

Propositionum triplex est materia. Secundo ergo notandum, quod cū materia propositionum sit habitudo subiecti ad prædicatum, & econuerso. Si hæc habitudo est inter terminos repugnantes, qui non possunt simul stare in veritate, vt verbi gratia, quod homo qui est rationalis sit asinus, qui est animal irrationale, tunc hæc propositio dicitur in materia remota, quasi remota ab omni veritate, cū semp propositio in materia remota ad sensum logici sit falsa. Si vero habitudo sit intrinseca, & necessaria, quia est inter terminos necessarios ex natura rei, verbi gratia, qđ homo sit rationalis, & quod omne rationale sit risibile (neque enim aliter esse potest.) quoniam non potest reperiri homo, qui non sit rationalis quoad substātiam, & si quoad visum possit esse stultus, vel mente captus, & ideo istæ propositiones homo est rationalis, & homo est risibilis dicuntur naturales, quia ex natura rei pullulat harum veritas. Si vero habitudo non sit necessaria, sed possibilis, & contingens, quia potest esse, tunc sit propositio in materia contingenti, vt verbi gratia, quod homo sit albus, neque enim homo sua natura est albus, cum possit esse niger, neque falsum est hominem esse album, quia potest fieri albus, sed nunquam poterit fieri asinus.

Ordo prædicati ad subiectum sit ex natura rei. Tertio notandum, quod duplex est ordo prædicati ad subiectum, vnus dicitur ex natura rei, vel ex vero, & reali significato rei, & de hoc nos loquimur in propositionibus. Alius dicitur secundum vocem, vel secundum placitum, & sic de eo nulla fit mentio, cum nullum habeat fundamentum verum, vnde quamuis aliquis dicat hominem sua natura esse asinum, hoc tñ in facto nō erit verū.

In materia naturali ppositiones sunt tripliciter Quarto notandum, quod in materia naturali propositiones tripliciter fieri possunt. Primo, secundum communia, sed intrinseca, vt dicendo homo est ens, uel quantus, quia habet propriam essentiam, & quantitatem; Secundo, scdm essentialia propria, q̄ constituunt essentiam, vt dicēdo homo est rationalis. Tertio, secundum accidentia propria, quæ uni inseparabiliter conueniunt, & alteri conuenire nequeunt, ut dicendo homo est risibilis, si uero accidentia sint com-

munia, ita ut possint adesse, & abesse subiecto, præter eius corruptionē, tunc faciunt propositiones contingentes, seu in materia contingenti.

Accidens cōe separabile, & inseparabile

Sed tamen notandum, quod accidens commune duplex est, quoddam inseparabile, quod non potest se parari a subiecto, nisi in ordine ad speciem, quia. s. illa ratio inseparabilitatis non includitur in specie, v. g. nigredo inest, ut accidens inseparabile coruo, in ordine ad sua principia indiuiduantia: sed in ordine ad speciem, nigredo est separabile accidens a coruo, quia coruus potest intelligi sine nigredine, si tantum intelligatur ut est animal sensitiuum. Aliud vero est accidens commune, ut albedo, quæ potest adesse, & abesse pariet, sine eius corruptione. Accidens primum. s. inseparabile, indiuidualiter facit propositiones in materia naturali, quia indiuidualiter ex inseparabili connexione, & ordine subiecti ad prædicatum hæc est necessaria, coruus est niger. Secundum accidens. s. separabile facit ꝓpositiones contingentes, sed hæ etiam propositiones dupliciter considerari possūt, primo ex ordine quem habent adinuicem. s. subiectum, & prædicatum, & sic sunt contingentes: secundo ex statu & sic ex suppositione erūt naturales, quia dum Sortes sedet, necesse est ipsum sedere.

In materia contingenti.

Sexto notandum, quod propositiones in materia contingenti sunt in triplici gradu. Quædam enim dicuntur vt plurimum, seu frequenter veræ, ut v. g. quod in æstate paucæ sint pluuiæ, & in hyeme multæ. Aliæ dicuntur contingentes, seu contingenti fortuna, vt v. g. quod fodiens terram, inueniat thesaurum, hoc. n. raro accidit. Aliæ dicuntur contingentes ad vtrumlibet, quia frequenter possunt inesse, & frequenter non inesse, ut quod Petrus in vno tempo re sæpe cantet, & in alio minime, & omnes istæ dicuntur in materia contingenti.

Contra tamen supra dicta sunt aliqua dubia. Primum est, in qua materia sit hæc propositio, animal est homo, nam non est necessaria, quia accidit animali esse hominem, cum possit esse leo, bos, capra, &c. Non in contingenti, quia animalis ratio, necessario includitur in homine, cum homo sit sensitiuus. Non in remota, quia non est falsa, cum aliquod animal. s. rationale sit homo.

Secundum dubium est, quia hæc videtur esse in materia necessaria, homo est animalitas, quia animalitas est de intrinseca ratione hominis, & tamen ex altera parte videtur esse in materia remota, cum impossibile sit, quod homo sit animalitas, aliter esset omne animal.

Tertiū, quia hæc videtur esse in materia contingenti, coruus est niger, quia nigredo in coruo est accidens commune, & non proprium. Sed ex altera parte videtur in materia necessaria, quoniam coruus ex siccitate suæ naturæ postulat nigredinem.

Arg. Soluuntur.

Ad primum dicitur, quod ly animal dupliciter sumi potest. Primo absolute, & sic hæc est in materia necessaria indirecte, quia superius subijcitur inferiori: sed tamē necessariam habitudinem dicit ad hominē, quia natura sensitiua importata per animal, intrinsece est in homine, vnde ex natura rei est naturalis, & tantum est, ac dicere sensibile includitur in homine; dicitur autem accidere ex modo significandi, quia est extra rectum modum significādi, & formādi propositiones, ponere prædicatū in loco subiecti. Secundo modo sumitur animal accommode, scilicet, pro homine, & sic directe secundum rem significatam, dicitur naturalis

quam-

quamuis habeat modum significandi contingens.

Ad secundum dicendum, quod hæc, homo est animalitas, dupliciter sumi potest. Primo, secundum significatum accommode, scilicet, homo est animal, & sic erit in materia necessaria, quia inter subiectum & prædicatum est necessarius ordo. Secundo, secundum modum significandi, & sic cum faciat concretum abstractum, scilicet, hominem animalitatē, in abstracto erit in materia remota, & ideo erit falsa, & repugnans.

Ad tertium dicendum, quod est in materia necessaria; quamuis alij dicant esse in contingenti, quia hoc nō est contingens, f. Coruus est niger, nec vt plurimum, nec raro, nec ad vtrumlibet, sed semper hoc verum est in ordine ad principia indiuiduantia, quamuis in ordine ad speciem possit dici in materia contingenti.

LECTIO XV.

De Legibus propositionum cathegoricarum.

Lex siue natura contrariarum talis est, quod si vna est vera reliqua erit falsa, & non e conuerso. Possunt enim ambæ simul esse falsæ in contingenti materia, vt omnis homo est albus, nullus homo est albus, in naturali aūt materia semper si vna est vera, reliqua erit falsa, & ecōuerso, vt oīs hō est aīal, nullus homo est animal. Similiter in remota materia, ut omnis homo est asinus, nullus homo est asinus. Et in materia contingenti, quando prædicatum est accidens inseparabile, ut omnis coruus est niger, nullus coruus est niger. Sed illæ quæ sunt de accidente separabili ambæ possunt simul esse falsæ, ut omnis homo est albus, nullus homo est albus.

Cum materia secundum Philosophum, primo physicorum, formam præcedat, & leges supponere aliquam materiam de qua sint, opus sit; ideo cum auctor egerit de materia propositionum, hic cōsequenter agere intendit de legibus, quibus regulantur, & quia contrariæ propositiones præcedunt omnes alias propositiones, ideo ab ipsis exordium sumit.

Primo ergo notandum, quod propositiones contrariæ fiunt in triplici materia. f. necessaria, contingenti, & remota, quo supposito facto dicimus quod contrariæ propositiones, in materia naturali non possunt simul esse veræ, vel falsæ; sed si vna fuerit falsa, alia erit vera, vnde hæc affirmatiua erit vera. Omnis homo est animal rationale, & negatiua est falsa. f. nullus homo est animal rationale, ratio autem huius est, quia vniuersalis affirmatiua significat prædicatum conuenire subiecto, pro omni suo supposito, & negatiua significat non conuenire, modo de eodem non possunt simul verificari affirmatio, & negatio. *Lex contrariarū.*

Secundam rationem addere possumus dicendo, qđ in materia naturali includitur necessarius ordo inter prædicatum, & subiectum, omne autem necessarium est propriū, & ideo non potest dari propositio vniuersalis, quæ de sua opposita verificari possit.

In materia vero contingenti distinguendum est, quod vel propositio, assumit pro prædicato accidens inseparabile, vt est nigredo in coruo, & albedo in cigno, vel assumit accidens separabile, vt est albedo, uel nigredo in pariete, quæ ab eo separari possunt, sine eius corruptione. Si primum, vna existente vera, alia erit falsa, vnde hæc est vera, omnis coruus est niger, & hæc est falsa, nullus coruus est niger, ratio est, quia prædicatum nigredinis necessario intelligi-

tur

tur conuenisse naturæ coruinæ pro omnibus suis suppositis. Si secundum scilicet, vt accidens sit separabile, ambæ poterunt esse falsæ, vt hæ, omnis homo est albus, cum aliquis possit esse niger, nullus homo est albus, quia aliquis poterit esse albus.

In materia vero remota, si negatiua est vera, affirmatiua erit falsa, vnde cum hæc sit falsa, omnis homo est asinus, negatiua erit vera, scilicet, nullus homo est asinus, ratio huius assignatur, quia affirmatiua in materia remota, seu repugnanti semper remouet verum prædicatum a suo subiecto, & ponit prædicatum repugnãs, ideo in materia remota semper affirmatiua est falsa, & negatiua vera, sed in materia necessaria econuerso accidit, scilicet, vt affirmatiua, quę ponit verum prædicatum, & illud applicat suo naturali subiecto, erit vera, & negatiua quæ illud remouet, erit falsa.

Condões Circa hanc oppositionem .s. contrariarum propositionum recollendum venit, quod ad hoc, vt vna sit vera, & alia falsa, debent concurrere hæ conditiones. Prima, vt ambæ sint vniuersales, quia talis est natura contrariarum propositionum, vt distinguantur a subcontrarijs, &c. Secunda, vt sint de eisdem subiectis, & prædicatis, quia illæ, quæ non sunt de eisdem prædicatis, & subiectis possunt simul esse veræ, vt omnis homo est rationalis, nullus homo est irrationalis. Tertia est, vt subiectum, & prædicatum sint idem non voce tantum, quia hæc negatiua est vera, nullus canis latrat, accipiendo canem pro cane cælesti, & opposita affirmatiua quoque erit vera, scilicet, omnis canis latrat, accipiendo canem pro cane terrestri, & ideo contrariæ debẽt esse inter idem subiectum, & prædicatum, & secundum vocem, & secundum significatum. Immo addimus quartam cõditionem, vt, scilicet, sint de eodem significato vniuoco, & formali. Vocamus autem significatum formale illud, quod non solum est secundum significatum rei, ex parte rei, verum etiam secundum significatum vocis, ex parte vocis; vnde defectu huius, hæ non sunt contrariæ, omnis hõ currit, nullũ rationale currit, quia quamuis homo & rationale conueniant in significato rei, non tamen conueniunt in significato vocis, & hoc dico apud Logicos, qui terminos inspiciunt, & non apud Physicos, qui res intuentur. Quinta conditio, est vt sint de eisdem prędicatis, & subiectis, & copulis, vnde semper debet seruari idem tempus inter ipsas, vnde hæ possunt simul esse veræ, omnis homo fuit albus, dato aliquo tempore in quo omnes fuerint albi, & hæc pariter erit vera, nullus homo est albus, dato, quod de præsenti nullus sit albus, si ergo affirmatiua est de præsenti, negatiua quoque dẽt esse de pñti, si de pterito, de præterito, si de futuro, de futuro. Et idẽ dicimus si vna sit vera in potentia, & nõ in actu, & altera debet sumi in potentia, & nõ in actu, ambæ enim vel debent sumi, vel secundum actum, vel secundum potentiam, & sic non poterunt simul esse veræ. Vltima cõditio est, vt debeant esse de eisdẽ prędicatis, & subiectis, & copulis, vel ęque ample, vel ęque stricte sumptis, vnde defectu huius istæ sunt ambæ falsæ, omne animal est homo, quia leo est animal, & non est homo, & ista nullum animal est homo, quia homo est animal, & homo, nam ly animal, in prima tenetur in sua vniuersalitate pro genere, in secunda tenetur pro specie animalis rationalis, vnde aliqui dicunt, quod propositiones contrariæ hoc habere debent, vt nulla illarum sit indirecta, sicut est prima, in qua inferius prædicatus

dicatur de suo superiori.

Leges subcotrariarum. Secundo, notandum circa propositiones subcontrarias, quod de eis dantur tales regulæ. Quod si vna est falsa, alia erit vera, & non econuerso, vnde tres regulas oportet elicere circa subcontrarias. Prima est, quod subcontrariæ non possunt simul esse falsæ in quacunque materia, & ratio est, quia ad falsitatē particularis, sequitur falsitas vniuersalis. Verbi gratia, si hæc propositio est falsa, quidam homo est albus, sequitur pariter, quod vniuersalis sit falsa, scilicet oīs homo est albus, quia quidā homo albus distinguitur contra hoc quod omnis homo, & nō solum quidam sit albus. Pariter si hæc est falsa, quidam homo non est albus, sequitur quod hæc negatiua sit vera, nullus homo est albus, & inde sequeretur vniuersalem affirmatiuam, & particularem negatiuam, & vniuersalem negatiuam, & particularem affirmatiuam omnes has esse falsas, at hæ sunt contradictoriæ, quę in nulla materia simul esse possunt veræ, neque simul falsæ.

Secunda est, quod ambæ possunt simul esse veræ in materia cōtingenti, vnde se habent in hoc ex opposito ad contrarias, quæ in materia contingenti possunt esse simul falsæ; veræ igitur erunt in materia contingenti hæ subcontrariæ quidam homo est albus, quidam homo non est albus, quia albedo vni potest inhærere, & alteri non. Tertia regula est, quod in materia naturali, & remota semper repugnant in falsitate; vnde si vna est vera, altera erit falsa, vt si hæc est vera in materia naturali, quidā homo est rationalis, alia erit falsa, scilicet quidam homo non est rationalis, & in materia remota, si hæc est falsa, quidam homo est asinus, alia erit vera, scilicet quidam homo non est asinus, & ratio est, quia prædicatum in materia naturali conuenit omni supposito, verbi gratia, rationalitas conuenit omni homini, & in generali, & in particulari, & in materia remota repugnat omni supposito, vt supra.

Conditiones. Circa hanc oppositionem recollendum venit, quod subcontrariæ debent esse vel duæ particulares propositiones, vel duæ indefinitæ, & non duæ singulares, quia duæ singulares nunquam possunt simul esse veræ, vel falsæ, cum stent pro codē supposito, vnde in materia naturali hęc est vera, Sortes est rationalis, & negatiua est falsa, scilicet Sortes non est rationalis, ita in materia remota, affirmatiua est falsa, scilicet Sortes est asinus, negatiua vera, scilicet Sortes non est asinus, ita in materia contingenti accidentis separabilis, vt Sortes est albus, Sortes non est albus, & multo magis in accidente inseparabili. Secundo debet esse inter idem prædicatum, & subiectū vt supra. Tertio, vt termini teneantur in propositione vniuoce vt supra, vnde istæ nō sunt subcontrariæ, quoddā animal est sanum, quia ly sanum stat pro animali quod est sanum formaliter, & quoddā sanum nō est animal, quia in hoc ly sanum, stat pro vrina, vel medicina, quæ extrinsece dicuntur sana, scilicet vel quia significat sanitatem, vt vrina, vel quia causat eam, vt medicina. Quarto, debent esse in terminis idem supponentibus, vnde istæ non sunt subcōtrariæ, homo est species, homo non est species, quia in prin.a ly homo stat pro natura communi, & in secunda pro natura multiplicata in singularibus.

Argum. Contra supradicta vero sunt duo argumenta. Primū quia videtur in materia contingenti, quod sicut duæ contrariæ possunt simul esse falsæ, vt omnis homo est albus, nullus homo est albus, ita possunt simul esse veræ,

nam

tiam supposito quod æternitas contineat nostrum tempus, verum est dicere non solum in materia contingenti, verum & necessaria, omnis homo est rationalis, vel risibilis, vel dealbabilis, quia modo hæc vera sunt, & verum est dicere nullus homo est rationalis, risibilis, vel dealbabilis, scilicet in æternitate, & ante creationem rerum, Nec valet respondere, quod termini non teneantur pro eodem tempore, quia in prima sumuntur post creationem, & in secunda ante, quia æternitas dicit vnum nunc indiuisibile, & consequenter nullam variationem patitur, vnde & contradictoria in eadem verificatur, scilicet Adam est, idest in æternitate, Adam non est, scilicet in tempore nostro, sed bene in æternitate.

Secundum dubium est, quia istæ duæ sunt subcontrariæ, cum sint indefinitæ affirmatiua, & negatiua, homo albus omnem colorem habet, homo albus nullum colorem habet, & tamen vtraque est falsa.

Soluuntur Ad primum dicitur, quod æternitas dupliciter considerari potest. Primo secundum se, & sic dicit vnum nunc indiuisibile. Secundo virtualiter, & eminenter vt continet tempus nostrum, & ei correspondet pro quacunque differentia sua. Primo modo nullam patitur variationem, vnde est, semper de ea affirmandum venit, quia omnia sunt præsentia in æternitate, quatenus sunt in æternitate, etiam secundum suum esse reale: non tamen secundum esse reale in se ipsis extra causas suas. Secundo autem modo patitur variationem, non ratione sui, sed ratione temporis in ea inclusi, & sic potest verificare illas propositiones adductas, sed non si teneatur pro eadē differentia temporis, sed hęc excedunt capacitatem nouitiorum.

Ad secundum dicendū, ꝙ quamuis propositiones adductæ videatur subcontrariæ indefinitæ, tamen secundum rem sunt vniuersales, quæ faciunt sensum vniuersalem.

LECTIO XVI.

Lex siue natura subcontrariarum talis est, quod si vna est falsa reliqua erit vera, et nō ecōuerso Possunt n. ambæ simul esse vera in cōtingenti materia, & hoc, quādo accidens est separabile, vt quidam homo est albus, quidam homo non est albus. Vnde lex subcontrariarum contrario modo se habet ad legem cōtrariarum. Lex seu natura contradictoriarum talis est, quod si vna est uera, reliqua est falsū, & econuerso, in nulla.n. materia possunt amba esse simul vera, vel falsa, vt omnis homo est animal, quidā homo non est animal.

POsteaquam egimus de legibus cōtrariarum, & subcontrariarū, modo in præsenti lectione, agendum venit de legibus contradictoriarum, & subcontrariarum. Notandum est ergo. Primo, quod contradictoriæ in nulla materia possunt simul esse veræ, vel falsæ, non veræ, quia in contradictorijs affirmaretur, & negaretur idem inesse eidem. Si ergo affirmaretur, v. g. quod Socrates sit albus, non poterit negari quod non sit albus, quia de eodem non possunt simul verificari affirmatio, & negatio. Similiter contradictoriæ non possunt simul esse falsæ, quia cum vnum contradictoriorum sit ens, & aliud non ens, & esse, & non esse proprie opponantur contradictoriæ, sequeretur, quod inter ens, & non ens posset dari medium, hoc autem impossibile est, quia ens ita est ens, vt non possit esse non ens, & non ens, nullo modo potest esse ens. *Lex cōtradictoriarū*

Contradictoria quæ sint.

Secundo notandum, vel potius rememorandum, quod contradictoriç sunt vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua, &c. Si autem vniuersalis est vera, particularis erit falsa, quia, v.g. quidam homo continetur sub omni homine, & consequenter si omnis homo est animal, nõ poterit dari quidam homo, qui non sit animal, & idem dicimus de vniuersali negatiua, & particulari affirmatiua.

Conditiones eius.

Oppositio autem contradictoria. Primo requirit, vt affirmatio sit eiusdem de eodem, vel negatio, vt Sortes currit, Sortes non currit, Sortes non currit, Sortes currit. Dupliciter autem idem potest affirmari de codẽ. Primo secundum vocem, & secundum significatum, vt in exemplo dato. Secundo secundum rem, sed non secundum vocem, vt dato quod Sortes duobus nominibus vocetur, idest Sortes, Plato, secundum vocem, hæ non erunt contradictoriæ, Sortes currit, Plato non currit, sed secundum significatum tamen erunt contradictoriç, quia idem est, qui vocatur Sortes & Plato, vnde dicuntur contradictoriæ physice, quoniam physicus res cõsiderat, non vero Logice, quia Logicus considerat etiam terminos. Secunda conditio est, quod sint de eodem, secundum idem, vnde istæ non erunt contradictoriæ, æthiops est albus dente, æthiops non est albus facie, quoniam non sunt secundum eandem partem, sicut istæ, æthiops est albus dente, æthiops non est albus dente. Tertia est, vt ambæ propositiones similiter teneantur, vnde istæ non sunt contradictoriæ, nullum animal est genus, animal est genus, quia in prima, animal stat pro suppositis, & in secunda pro natura communi. Quarta est, vt ambæ referantur ad idem tempus, vnde istæ non sunt contradictoriæ, Sortes venit hodie, Sortes non venit heri.

Est maxima oppositionum.

Tertio notandum, quod oppositio contradictoria in genere oppositionum est maxima, quia contradictoriæ semper repugnant in veritate, & falsitate, contrariæ vero opponuntur in veritate, sed non in falsitate, quia in materia contingenti accidentis separabilis, possunt ambæ esse falsæ, subcontrariæ solum in falsitate opponuntur, & subalternç tantum in qualitate.

Leges subalternarũ

Quarto principaliter notandum venit circa subalternas, quod de his possumus dare tales regulas. Prima quidem, quod si vniuersalis est vera, sua particularis erit vera, vt si omnis homo est albus, sequitur etiam quod quidam homo sit albus, nam in vniuersali subintelliguntur comprehensa omnia indiuidua, poterit tamen econuerso particularis affirmatiua esse vera, & vniuersalis erit falsa, v. g. verum erit, quod quidam homo currit, & falsum quod omnis homo currit, & ratio est, quia non valet sequela ab inferiori ad suum superius, vt non valet homo currit, ergo omne animal currit. Secũda regula est, quod si particularis affirmatiua est falsa de necessitate vniuersalis erit falsa, v.grat. si falsum est aliquem hominem esse album, multo magis erit falsum omnem hominem esse album, quoniam si prædicatum non verificatur de aliquo supposito subiecti, quod requiritur ad veritatem particularem, nec verificatur de quolibet, quod requiritur ad veritatem vniuersalis.

Exponuntur.

Circa supradicta, quædam sunt animaduertenda. Primũ est, ꝙ oĩa antedicta sunt vera in materia cõtingẽti nã in materia necessaria cũ sẽper seruetur necessarius ordo inter subiectũ, & prędicatũ, tã in vniuersali, quã in particulari, uel ambæ sunt ueræ, uel falsæ, nam si uerum est omnem

ho-

hominem esse animal rationale, uerũ est etiam quẽdam hominem esse animal rationale, & si falsum est, quẽdam hominem no n esse animal rationale, falsum quoque est omne animal non esse rationale, & idem dicimus in materia remota.

Subalternæ negatiuæ. Secundo notandum, quod subalternæ negatiuæ ita se habent (de affirmatiuis.n. supra actum est) quod si vniuersalis negatiua est uera, particularis negatiua erit uera, nam bene sequitur, nullus homo currit, ergo quidam homo non currit, quia cum in vniuersali, prædicatum, idest, cursus remoueatur ab omni contento sub subiecto, & quidam homo contineatur sub homine, si cursus remoueatur ab omni homine, ergo & a quodam homine. Si tamen vniuersalis negatiua est falsa, in materia contingenti, non oportet particularem negatiuam subalternam esse falsam, nam si istæ duæ essent falsæ, nullus homo currit, quæ est vniuersalis negatiua, & quidam homo non currit, cum contradictoria particularis negatiua, sit particularis affirmatiua, sequeretur quod duæ contradictoriæ simul essent falsæ, quod est impossibile.

Affirmatio plura petit quã negatio. Tertio notandum, quod plus requiritur ad affirmationem, quam ad negationem, nam ad affirmationem prædicatum debet in esse subiecto pro omni suo supposito, sed ad falsitatem sufficit vt remoueatur ab vno supposito. Ad veritatem autem particularis, vel indefinitæ sufficit, ut prædicatum uerificetur de subiecto, pro vnico eius supposito, & ad falsitatem oportet ipsum falsum dici de quolibet supposito, & ad ueritatem singularis requiritur, ut uerificetur de unico determinato supposito, & ad falsitatem quod ab eodem remoueatur.

Circa dicta tamen in superioribus sunt aliqua dubia. Primum est cõtra regulã cõtradictoriarum, nã in corruptione simul sunt esse, & non esse in eodẽ corrupto, quia si non essent simul, cum esse debeat mensurari vno instanti, & non esse altero, inter esse, & nõ esse daretur tps mediũ in quo corruptum nec haberet esse, nec non esse, sed esse & non esse sunt contradictoria, ergo contradictoria possunt verificari de eodem. *Arg.*

Secundum est contra primam regulam subalternarum, nam ad positionem vniuersalis non sequitur positio particularis, destructis enim singulis hominibus, adhuc remanet hominis ratio, per Arist. in prædicamentis, ergo ad veritatem vniuersalis sequitur ueritas particularis.

Tertium. Ad ueritatem huius quidam homo est animal, sequitur ueritas istius, omnis homo est animal, ergo ad ueritatem particularis, sequitur ueritas uniuersalis, quod est contra supradicta

Ad primum, quod esset difficile examinare si uellemus oẽs difficultates circa illud emergentes in medium adducere, pro nunc respondetur breuiter, quod in uno instanti corruptum habeat esse, & non esse, stat dupliciter. Primo positiue, ita ut positiue, & realiter reperiatur sub esse, & non esse, & hoc est falsum, nam sic duo contradictoria essent simul. Secundo negatiue respectu esse præcedentis, & positiue respectu esse subsequentis, & hoc est uerum, quia primum non esse præcedentis formæ, est primum esse formæ subsequentis, nec hoc mirabile est, qui a sumus in corruptione, quæ fit in instanti, sicut est generatio, & non in tempore sicut motus. *Soluuntur*

Ad secundum dicitur, quod de vniuersali bifariã loqui contingit. Primo, secundum se, & sic potest esse secundum essentiam, species sine indiuid uis

diuiduis existentibus in rerum natura, ut ratio hominis, sine existentia Petri, Pauli, & aliorum hominum singularium. Secundo secundum esse cognitum, per propositionem, & sic diximus quod ad positionem vniuersalis, sequitur positio particularis, quia sub qualitate & specie potest intellectus intelligere particularia indiuidua, si species consideretur.

Ad tertium dicunt aliqui similem consequentiam non ualere ratione modi enunciandi, sed ratione materiæ, & sic uerum est ut diximus, quia in materia necessaria hoc sequitur, sed non in contingenti, nam quidam erit homo albus, & non omnis homo erit albus.

LECTIO XVII.

De Conuersione propositionum.

Item propositionum vtroque termino participantium, ordine conuerso, triplex est conuersio, scilicet, simplex, per accidens, & per contrapositionem. Simplex conuersio est quando de prædicato fit subiectum, & de subiecto prædicatum, manente eadem qualitate, & quantitate propositionis & hoc modo conuertitur uniuersalis negatiua in seipsam. & particularis affirmatiua in seipsam, ut nullus homo est lapis, nullus lapis est homo, quidam homo est animal, quoddam animal est homo. Conuersio per accidens est, facere de prædicato subiectum, & de subiecto prædicatum manente eadem qualitate, sed mutata quantitate. Et sic conuertitur uniuersalis affirmatiua in particularem affirmatiuam, ut omnis homo est animal quoddam animal est homo & uniuersalis negatiua in particularem negatiuam, ut nullus homo est asinus, quidam asinus non est homo. Conuersio per contrapositionem est, quando de subiecto fit prædicatum, & de prædicato subiectum, manente eadem qualitate, & quantitate, sed terminis finitis in terminos infinitos mutatis. Et hoc modo conuertitur uniuersalis affirmatiua in seipsam, & particularis negatiua in seipsam, ut omnis homo est animal, omne non animal est non homo, & quidã homo non est lapis, quidam non lapis non est non homo. unde uersus.

Feci Simpliciter conuertitur, Eua per Acci.

Asto per Contra, sic fit conuersio tota.

Asserit A. negat E. sunt uniuersaliter ambæ.

Asserit I. negat O sunt particulariter ambæ.

Ecce tibi Sim, Armigeros Ac Arma bona Con.

Et notandum quod illud signum, quod est in subiecto propositionis, quæ debet conuerti quodcunque sit illud, debet poni supra totum prædicatum, & reducere ipsum ad subiectum in conuertente propositionis, præterea, eadem est conuersio indefinitæ singularis, & particularis.

Reuibus explicaturi quæ de conuersione propositionum dicuntur ab Aristotel. & Petro Hispano, & eorum exppositoribus pro quanto faciunt ad introductionẽ. Primo mihi notandum uenit, quod conuersio bifariam sumi potest. Primo communiter pro quacunque conuersione, siue sit terminorum, siue correlatiuorum, siue propositionum, & sic non sumitur hic. Secundo sumitur proprie, & sic triplex ponitur conuersio secundum rem, quæ tribus nominibus nominatur. Prima dicitur conuersio, seu conuertibilitas terminorum, quia de quocunque dicitur vnus terminus, dicitur & alter, vel- *Conuersio multipliciter sumitur.*

bi

bigratia, de quocunque dicitur rationale, dicitur & risibile, quia omne rationale est risibile, & omne risibile est rationale, & hæc seruatur inter ea quæ habent adæquationem adinuicem, & unum in plus non se habet quam aliud, ut inter subiectū, & propriam passionem, verbi gratia, inter hominem, & risibile, uel inter speciem, & propriam differentiam, ut inter hominem, & rationale, uel inter diffinitionem, & diffinitum, ut inter hominem, & animal rationale. Secunda dicitur conuertentia & hæc proprie reperitur inter relatiua mutua, ut inter Patrem, & Filium, & inter Filium, & Patrē, quia licet dicere, Pater est Filij Pater, & Filius est Patris Filius. Tertia dicitur proprie secundum rem, & secundum nomen conuersio, quæ solum conuenit propositionibus, vnde sic diffinitur.

Quid sit. Cōuersio est trāsmutatio subiecti in prædicatum, & prædicati in subiectum, in duabus propositionibus cathegoricis, participantibus vtroque termino, ita ut inter conuertentem, & conuersam ualeat consequentia, v.g. ualet, rationalis est homo, ergo homo est rationalis.

Conditiones eius. Secundo notandum, quod ad ueram conuersionem quinque conditiones requiruntur. Prima, quod duę illæ propositiones sint ex eisdem terminis constitutæ, ut supra explicatum est. Secunda, ut sint ambę cathegoricæ, quia hypotheticæ nō conuertuntur. Tertia, quod ab una ad aliam ualeat consequentia, unde defectu huius, non ualet, omnis homo est animal, ergo omne animal est homo, ualet autem, omnis homo est animal rationale, ergo omne animal rationale est homo. Quarta, quod prædicatum formæ, id est, totum quod ponitur post copulam, fiat in conuertente, subiectum. Quinta, ut si propositio fiat de uerbo adiectiuo, resoluatur in suum participium, sum, es, est, vt dicendo Aethiops habet dentes albos, sic conuertatur, Aethiops est habens dentes albos.

Tertio notandum, quod tres ponuntur species conuersionum propositionum. Prima dicitur conuersio simplex, quæ sic diffinitur. Conuersio simplex est transpositio prædicati in subiectum, & subiecti in prædicatum, manente eadem quantitate, & qualitate propositionis, absque alia mutatione terminorum cōponentium, unde ad istam conuersionem. Primo requiritur, quod si conuersa habeat verbum adiectiuum, uerbum resoluatur in participium, aliter accidit error, unde non ualet, Sortes videt lapidem, ergo lapis uidet Sortem, sed si conuertatur in participium ualebit dicendo, Sortes est videns lapidem, ergo videns lapidem est Sortes. Secundo requiritur, quod si propositionis conuersæ copula sit sum, es, est, & post copulam sequatur casus obliquus, antequam conuertatur sumatur participium, quod est ens, siue existens, & simul cum casu, fiat obliquus subiectum conuertentis, vnde ualebit, ens uel existens in platea est Sortes, ergo Sortes est ens vel existens, sed non valebit, Sortes est in platea, ergo platea est in Sorte.

Habet tres species.

Conuersio simplex requirit.

Tertio est opus si subiectum conuersæ sit casus obliquus, vt accidit in oratione facta per verbum impersonale, antequam conuertatur, reducatur ad rectum, vt sic fiat conuersio, Sortis interest disputare, ergo ille cuius interest est Sortes. Quarto, ut nullus terminus distribuatur in conuertente, qui non sit distributus in conuersa, vnde non ualet, nullus homo est species, igitur nulla species est homo. valet

let autem ly species in prima distribuatur pro suppositis speciei, vt dicamus, nullus homo singularis est aliqua species, quia est indiuiduum, ergo nulla species est aliquis homo, scilicet, singularis. Quinto, termini in vtroque debent teneri æque ample, & æque stricte, aliter accidit error, vnde non ualet, nullus senex erit puer, ergo nullus puer erit senex, quia in prima ly senex, stat solum pro sene vt senex est de præsenti, & in secunda stat pro sene præsenti, & futuro. Sexto, termini ambarum debent teneri æque ample, & æque stricte etiam secundum congruentiam grammaticalem, vnde non ualet, nullus homo est mulier, ergo nulla mulier est homo, quia in prima ly homo stat pro masculino, & in secunda pro fæminino sexu. Septimo, signum appositum subiecto conuersę, debet apponi toti subiecto conuertentis si opus fuerit, vt verbi gratia, dicendo, quidam homo est albus, ergo quoddam album est homo, vnde aduertendum quod idem iuditium fertur de singulari, particulari, & indefinita, quia omnes intelliguntur stare pro vno supposito.

Per accidens requirit.

Quarto notandum, quod secunda species conuersionis dicitur per accidens, quia per hoc differt a conuersione simplici, quæ dicitur conuersio per se, & simpliciter, quia in simplici fit conuersio propositionum per se, sine alia media propositione, sed in conuersione per accidens fit per aliam, quia si vniuersalis affirmatiua, uel negatiua sic debet conuerti, conuertetur mediante parte, uel singulari, & sic dicemus. Omnis homo est animal. Ergo hic homo est animal, & hic, & hic, ergo per conuersionem simplicem, quoddam animal est homo, sic igitur diffiniri potest. Conuersio per accidens, est transpositio prædicati in subiectum, & econuerso, manente eadem qualitate, scilicet, affirmatione, uel negatione, sed mutata quantitate, in qua conuertitur affirmatiua uniuersalis, in affirmatiuam particularem, ut omnis homo est animal, ergo quoddā animal est homo, & negatiua uniuersalis in negatiuam particularem, ut nullus homo est lapis, ergo quidam lapis non est homo. Ad hanc autem tot sunt conditiones necessariæ. Primo ne fiat transitus a suppositione ad suppositionem sibi repugnātem. Dupliciter autem fit ista repugnantia suppositionum. Primo, transeundo de materiali ad simplex, vnde nō ualet, nullus homo est species, ergo quædam species non est homo, quia ly homo in prima stat pro supposito materiali, & in secunda pro specie vniuersali, & simpliciter, vnde prima est uera, & secunda falsa. Secundo, fit transeundo a simplici, ad personale ut supra. Secunda conditio est vt termini teneantur æque ample, & æque stricte secundum congruentiam grammaticalem modo quo supra. Tertia est, ut sub uniuersali tum affirmatiua, tum negatiua accipiantur suæ subalternæ, verbi gratia, sub ly omnis homo, sumatur quidam homo.

Per contrapositionem

Quinto notandū, qđ tertia species conuersionis dicitur per contrapositionem, quæ sic diffinitur. Conuersio per contrapositionem, est transpositio subiecti in prædicatum, & econuerso, non mutata qualitate, nec quantitate, sed mutatis terminis finitis, in infinitos, per quam conuertitur uniuersalis affirmatiua in se, & particularis negatiua in se. Primo ergo dicitur, quod transpositio prædicati in subiectum, & econtra, quia hoc est commune omni conuersioni. Secundo dicitur non mutata qualitate, nec quantitate, ad differētiam conuersionis per accidens, in qua muta-

mutatur quantitas. Tertio dicitur terminis finitis in infinitos, ad differentiam conuersionis simplicis, & per accidens. Finitus autem terminus dicitur, qui per negationem non est infinitus, nam negatio dicitur infinitare, quia tollit secundum sonum verborum determinationem, vnde finitus terminus contradicit infinito termino. Vltimo dicitur in qua conuertitur uniuersalis affirmatiua in se, verbi gratia, dicendo omnis homo est animal, hæc conuertitur in ista, omne non animal, est non homo, quia ualet omnis homo est animal, ergo nullus homo est non animal. Nam esse animal & non animal contradicunt, si animal affirmatur de eo, negatur non animal, tunc vltra si nullus homo est non animal per conuersionem simplicem, nullum non animal est homo, ergo hæc erit bona conuersio, omnis homo est animal, ergo omne non animal est non homo, sed ista parum sunt necessaria, quia fere nihil deseruiunt syllogismis.

Argum. Circa supradicta sunt duo dubia, primum quidem quia Petrus Hispanus ponendo simplicem conuersionem, uel est superfluus, uel Aristot. diminutus, quia tacuit hanc conuersionem per contrapositionem, & solũ posuit conuersionem simplicem, & per accidens.

Secundum dubium est, quia videntur Aristot. & Petrus Hispanus diminuti, cum adhuc dentur multæ aliæ cõuersiones, scilicet, nullius quãtitatis, ut sunt conuersiones exclusiuæ, verbi gratia, tantum homo est rationalis, omne rationale est homo. Item dantur reduplicatiuæ, vt dicendo, homo in quantum hõ est rationalis, rationale est homo in quantum homo. Item dantur conuersiones modales, ut hominem esse album est possibile, ergo possibile est hominem esse album. Item dantur conuersiones mutata qualitate, & non quantitate, ut dicendo omnis homo est animal, aliquod animal non est homo. Aliæ uero sunt conuersiones mutata quantitate, & non qualitate, ut dicendo, omnis homo est animal, aliquod animal non est homo.

Ad primum dicitur breuiter, quod conuersiones propositionum dupliter considerari possunt. Primo, ut deseruiunt reductioni syllogismorum qui fiunt, in secunda, & in tertia figura, ad quatuor primos modos primæ figuræ. Secundo, ut conuersiones sunt passiones propositionum cathegoricarum, siue sint de inesse, siue modales. Primo modo sunt tantum duæ, & ideo sic Arist. eas considerauit, & nullam mentionem fecit de conuersione per contrapositionem, cum non deseruiat reductioni syllogismorum ad quatuor primos modos primæ figuræ. Secundo autem modo eas considerauit Petrus Hispanus, & sic conuersio per contrapositionem ponitur passio propositionum cathegoricarum. *Soluuntur*

Ad secundum dicendum, quod tres modi conuersionum assignati, sunt modi famosi, & qui communiter habentur in usu, non uero alij, & ideo de illis actum non est, cum auctor noster assumpserit prouinciam explicandi non omnes modos, sed tantum famosiores. Secundo dicitur quod cum nec inseruiant reductioni syllogismorum merito omissæ sunt, quamuis de conuersione per contrapositionem sit actum, ut de famosiori, &c.

LECTIO XVIII.

De Propositione Hypothetica.

Propositio hypothetica est illa, quæ habet duas propositiones cathegoricas coniunctas tanquam principales partes sui, vt si homo currit, homo mouetur. Et dicitur hypothetica ab hypo, quod est sub, & tesis, quod est positio, quasi suppositio, siue suppositiua locutio, quia in ea, vna pars eius supponitur alteri. Propositionum hypotheticarũ tres sunt species, scilicet, conditionalis, copulatiua, & disiunctiua. Conditionalis est illa, in qua coniunguntur duæ cathegoricæ per hanc cõiunctionem si, vt si homo currit, homo mouetur, & cathegorica illa, cui immediate adiungitur hęc coniunctio si, dicitur antecedens, reliqua vero consequẽs. Ad veritatem conditionalis exigitur quod antecedẽs non possit esse verum sine cõsequente, vt si homo est, animal est; vnde omnis conditionalis vere est necessaria, & omnis conditionalis falsa est impossibilis. Ad falsitatem eius sufficit, quod antecedens possit esse sine consequente, vt sic Socrates est, albus est. Copulatiua est illa, in qua coniunguntur duæ propositiones cathegoricæ per hanc coniunctionem, & vel aliquam sibi similem, vt Socrates currit, & Plato disputat. Ad veritatem copulatiuæ exigitur vtramque partem esse veram, vt homo est animal, & Deus est. Ad falsitatem eius sufficit alteram partem esse falsam, vt homo est animal, & equus est lapis. Disiunctiua est illa in qua coniunguntur duæ propositiones cathegoricæ per hanc coniunctionem vel, aut aliam sibi æquiualentem, vt Socrates currit, vel Plato disputat. Ad veritatem disiunctiuæ sufficit alteram partem esse ueram, vt homo est animal, vel equus est asinus, tamen permittitur, quod vtraque pars eius sit vera, sed non ita proprie, vt homo est animal, uel equus, est hinnibilis. Ad falsitatem eius oportet vtramque partem eius esse falsam, ut homo est asinus, uel equus est lapis.

ORdo generationis scientiæ, & non solum naturæ postulat, vt a partibus ad totum procedatur, hucusque igitur cum auctor egerit de propositionibus cathegoricis, quæ veluti partes sũt ex quibus coalescũt hypotheticæ, merito Aristotel. post eas, ab hypotheticis ex pluribus cathegoricis constitutis, sermonem exorditur. *Ordinis ratio.*

Primo ergo notãdum venit, quod propositio hypothetica bifariam cõsiderari potest. Primo quoad quid nominis, seu quoad eius Ethymologiam, & sic cum sit græci idiomatis, idem sonabit apud Latinos, quod propositio suppositiua, quia secunda propositio cathegorica, in ea sumpta, supponitur primæ, vt sequens ab ea, vt dicendo si Sortes est homo, ergo Sortes erit animal naturali sequela. Dicitur ergo secũdum vocem hypothetica ab ipos quod est sub, & thesis, quod est positio, quasi suppositio, quia vna pars supponitur alteri. Secundo modo consideratur quoad suum quid rei, seu, quoad suam diffinitionem essentialem, & sic diffinitur. Propositio hypothetica, est propositio in qua coniunctæ sunt duæ cathegoricæ, uel plures propositiones habentes modum cathegoricarum. *Hypothetica qd sit*

rum, tãquam principales partes sui, vt dicendo, si homo currit, homo mouetur. Primo ergo diximus esse propositionem loco generis, quia duplex est propositio, scilicet, cathegorica, & hypothetica. Secundo diximus, quæ habet duas cathegoricas, ad differentiam cathegoricæ, quæ constituitur ex terminis, scilicet, ex subiecto, prædicato, & copula; sed hypothetica non ex terminis mediate; sed ex duabus cathegoricis propositionibus constituitur. Tertio diximus, vel plures propositiones habentes modum cathegoricarũ, quia cathegotica proprie fit in indicatiuo modo, sed hypothetica præcipue conditionalis, potest fieri etiam per alios modos, verbi gratia, dicendo si homo haberet alas, posset volare. Quarto diximus in qua duæ cathegoricæ sunt coniunctæ. Primo, vt innuamus quod ad propositiones duo sunt necessaria, primum est materia, & secundum forma; materia autem cathegoricarum est subiectum, sed prædicatum, cum copula est forma, ita in hypotheticis, materia sunt duę propositiones cathegoricæ, & copula est vnio, & forma, quia hæ duæ cathegoricæ debent significare unite, vel implicite, vel explicite. Secundo ly coniunctæ ponitur etiam ad hoc vt intelligamus quod inter duas cathegoricas datur aliqua unio, quamuis hæc non sit unio simpliciter, sed ordinis, scilicet consequentiæ, & consequentis, nam hæc non vocatur propositio hypothetica, Sortes est homo, brunellus est asinus, quamuis sint duæ cathegoricæ, quia nullam vnionem habent, ita vt vna deducatur ex altera, sicut fit in istis. Si Sortes currit, Sortes mouetur. Quarto diximus tãquam partes principales sui, idest, in quas primo, & immediate resoluatur, & per hoc differt a cathegoricis, quę pro partibus suis principalibus habent subiectum, & prædicatum, & copulam, & ideo in hęc immediate resoluitur; sed hypothetica habet pro partibus principalibus sui duas cathegoricas, & ideo immediate in has resoluitur.

Secundo notandum, quod tres cõstituuntur species propositionis hypotheticæ, quia quædam dicitur conditionalis, quædam copulatiua, & quædam disiunctiua, & ratio diuisionis est, quia hypothetica, constituitur, ex duabus cathegoricis coniunctis. Aut hæ ergo tantum coniunguntur secundum vocem, & sic est disiunctiua, vel secundum significatum, & voces, & hoc dupliciter, vel secundum voces & significatum, in ratione antecedentis, & consequentis, & sic hæc est conditionalis, quæ maiorem præfefert vnionem, quam omnis alia hypothetica, vel tantum secundum modum, & sic hæc erit copulatiua, quæ omnia infra habebitis dilucide. *Habet tres species.*

Tertio notandum, quod prima species hypotheticæ dicitur cõditionalis, quia quod consequens sit verum, & necessario deductum ex antecedenti, potest dupliciter intelligi. Primo absolute, quia res ita se habet in se necessario, & sic valet. Si es homo, ergo es animal, quia in homine necessario animal includitur. Secundo ex conditione antecedentis, quamuis res ita non se habeat in se, sed solum ex suppositione, vt si dicamus si asinus haberet alas, asinus uolaret, nam nolumus dicere, quod asinus volet, sed qđ si haberet alas volaret: Prima autem necessitas consequentis potest dici absoluta ex parte rei, quia ita res simpliciter se habet, & dicitur conditionalis ex parte consequentis, eo quia deducitur necessaria consequentia ex antecenti. Secunda dicitur conditionalis non ex necessitate rei in se, sed tã- *Conditionalis.*

tum ex facta suppositione, vt fuit declaratum. Diffinitur autem hypothetica conditionalis sic. Conditionalis est illa in qua coniunguntur duæ cathegoricæ per hanc coniunctionem si, vel aliam sibi æquiualentem, harum autẽ duarum propositionum, prima dicitur antecedens cui apponitur ly si, & altera dicitur consequens. Primo diximus conditionalem esse propositionem hypotheticam, vt ly hypothetica stat loco generis, cum triplex sit hypothetica. Secundo dicitur in qua coniunguntur duæ cathegoricæ, ratione vt supra, hoc autem bifariam fieri potest. Primo formaliter, scilicet, quando habent modum indicatiuum, vt si Sortes currit, Sortes mouetur. Secundo virtualiter, quia quamuis nõ habeãt modum indicatiuum quem habent cathegoricæ, habent tamen virtualiter, & reductiue. Tertio dicitur per hanc coniunctionem si, ad differentiam copulatiuę, in qua cathegoricæ coniunguntur per hanc notam &, & a disiunctiua in qua coniunguntur per vel. Quarto dicitur, quod prima cathegorica dicitur antecedens, & secunda consequens, quia tota veritas consequentis dependet ex veritate antecedentis, vnde deducamus ista corollaria, quod si consequens est verum antecedens oportet esse verum, quia verum non deducitur, nisi ex vero. Etenim est necessaria connexio inter antecedens, & consequens, vnde conditionalis vera, semper debet esse necessaria, & consequens debet deduci necessario ex antecedẽte. Ad falsitatem autem conditionalis sufficit, qđ antecedens possit esse verum, sine consequente, hoc enim est impossibile, quia veritas antecedentis, infert veritatem consequentis, & falsitas falsitatem, & econuerso, vnde omnis conditionalis falsa, est etiam impossibilis. Secundo deducitur, quod conditionalis potest fieri affirmatiue, & negatiue, idest, per notam affirmatiuam, vt dicendo si tu es homo, tu es risibilis, vel per negatiuam, vt hic, non si tu es homo, tu es lapis: sed negatiua parum deseruit, & ideo non immoror circa illam. Tertio deducitur, quod a tota cõditionali dupliciter arguitur. Primo modo a positione antecedentis, ad positionem consequentis, vt si Sortes currit, Sortes mouetur. Secundo a destructione consequentis, ad destructionem antecedentis, vt si Sortes non mouetur, Sortes non currit. Quarto deducitur, quod bifariam arguimus ex hypothetica conditionali, primo causaliter, vt quando antecedens habet rationem causæ respectu consequentis, verbi gratia, quia sol est in cancro, dies longi sunt. Secundo rationaliter, vt quando consequens deducitur ex antecedẽti propter necessariam connexionem, vt dicendo. Si Sortes est homo, Sortes est animal.

Quarto notandum, quod secunda species propositionis hypotheticæ dicitur copulatiua, quæ sic diffinitur, Copulatiua est illa in qua coniunguntur duæ cathegoricæ, per hãc coniunctionem &, vel aliam æquiualentem, vt Sortes currit, & Plato disputat, in qua diffinitione omnes particulæ sunt notæ. Nam ly copulatiua ponitur ad differentiam conditionalis, & disiunctiuæ, & fit per notam copulatiuam, vt est ly &, vel æquiualenter per ly quod atque, & similia. Ad hanc autem propositionem multa sequuntur. Primum quidem, quod duplex est copulatiua, scilicet, quædam affirmatiua, & quædam negatiua, affirmatiua est in qua nota affirmat, vt hic Sortes currit, & Plato disputat; negatiua est illa in qua nota copulationis negat; *Copulatiua.*

vt

vt hic, non Sortes currit, & Plato di ſputat; affirmatiua autem & negatiua diuiditur in veram, & falſam, ad veritatem affirmatiuę opus eſt, vt vtraque pars ſit vera, vt homo eſt animal, & Deus eſt, ſed ad falſitatem ſufficit, vt tantum vna cathegoricarum ſit falſa, vt hic, homo eſt animal, & equus eſt lapis, ſed copulatiua falſa poteſt habere ambas cathegoricas falſas, vt hic, Sortes eſt aſinus, & eſt rudibilis, vel ſaltem vna, vt hic, Sortes eſt homo, & eſt aſinus, ratio autem cur ad veritatem requirantur ambæ veræ, & ad falſitatem ſufficiat vna falſa eſt, quia veritas ſe habet, vt bonum, & perfectum, quæ reſultant ex integra cauſa ſecundum Dionyſium, malum autem ex defectu vnius contingit, & ideo cum falſitas induat rationem mali ad falſitatem ſufficit, vt vera ſit falſa.

Secũdum quod ſequitur eſt, quod conditiones copulatiuæ ſunt iſtæ. Prima, vt nota copulationis ſit copulatiua, non duorum terminorum, ſed duorum cathegoricarum: vnde defectu huius, hæc non eſt copulatiua hypothetica, Sortes, & Plato currunt, quia Sortes, & Plato non ſunt duæ propoſitiones, ſed duo termini incomplexi: vnde ſimilis propoſitio vocatur cathegorica de copulatiuo ſubiecto. Secunda, vt ſi ambæ ſint neceſſariæ, oportet, vt vtraque eius pars ſit neceſſaria, & præcipue in materia neceſſaria, vt hic, homo eſt rationalis, & riſibilis, ſi vero ambæ ſint impoſſibiles, oportet, vt vtraque pars ſit impoſſibilis, ſicut ſunt iſtæ, quæ fiunt in materia remota, vt dicendo, Sortes eſt aſinus, & rudibilis, & hoc dixi quantum ad veritatem; vt ſupra. Tertia, debet continere plures copulatiuas expreſſe, & formaliter, id eſt, per modum plurium; vnde iſta non eſt formaliter, ſed tantum materialiter copulatiua, omnis homo currit, quia quamuis contineat has, Sortes currit, & Plato currit, &cæt. non tamen exprimit formaliter. Quarta, debet ſi eſt vera, continere vnam veritatem reſpectu ambarum propoſitionum, & non tantum reſpectu vnius, vnde hæc non poteſt vocari, vera copulatiua, homo eſt animal, & aſinus eſt lapis, quia quam uis prima ſit vera, tamen ſecunda eſt falſa.

Quinto notandum, quod tertia ſpecies hypotheticæ dicitur diſiunctiua, quæ ſic diffinitur. Diſiunctiua eſt illa in qua coniunguntur duæ propoſitiones cathegoricæ, per hanc coniunctionem vel, vel aliam ſibi æquiualentem, vt Sortes currit, vel Plato diſputat. Primo ergo dicitur illa, vt ſupra, quia ponitur loco generis. Secundo dicitur in qua coniunguntur duæ cathegoricæ, vbi notato quod duplex eſt coniunctio, quædam ſecundum vocem, & ſignificatum, id eſt, ſecundum ſenſum, & talis ſaluatur in conditionali, & copulatiua, alia dicitur coniunctio ſecundum voces, quia duæ cathegoricæ vniuntur in vna hypothetica diſiuncta, ſed non ſecundum ſignificatum, vnde merito attendendo ſignificata, & non voces dicitur diſiunctiua, nam hæc eſt coniunctiua, ſecundum vocẽ, vel tu es ſanus, vel tu es æger, non tamen ſecundum ſignificatum, quia hæc ſimul, ſtare non poſſunt, quod vnus ſimul, & ſemel ſit ſanus, & æger. Tertio dicitur per hanc cõiunctionem vel, vel ſibi æquiualentem, quia ſufficit terminus æquiualens idem ſonans, vt eſt, aut, & quid ſimile. *Diſiunctiua.*

In explicationem autem eius primo notato, quod diſiunctiua diuiditur in affirmatiuam, vt dicendo. Tu es homo, vel aſinus, & negatiuã, vt non tu es homo, vel aſinus, Item; *Diuiditur.*

in veram, vt tu curris, vel quiescis, & in falsam, ut es asinus, vel rudibilis. Item diuiditur in necessariam, vt Deus est, vel Sortes mouetur, & impossibilem, vt Sortes est asinus, vel tu es Papa, & in impossibilem, vt vel Deus non est, vel tu es asinus, & in contingentem, vt Antichristus est albus, vel tu curris.

Secundo notandum, quod ad veritatem disiunctiuæ sufficit, vnam partem esse veram, vt dicẽdo, vel homo est animal, vel equus est asinus, quamuis enim secunda sit falsa, prima tamen est vera, nam disiunctiua secundum significatum ponit tantum vnam cathegoricam, & ideo sufficit, vt vna tãtum sit vera. Sed ad falsitatem requiritur falsitas vtriusque partis, aliter vna esset vera, & diceretur disiunctiua vera, & nõ falsa, cætera vero seruantur, vt supra. Præter supradictas species hypotheticæ aliqui addunt quartam, quam vocant rationalem in qua coniunguntur duæ cathegoricæ per coniunctionem ergo, vel igitur, verbi gratia, dicendo homo est rationalis, ergo est risibilis. Et in hac requiritur veritas antecedẽtis, & consequentis. Addunt quintam, quam appellant causalem, quia non solum postulat veritatem, antecedentis, & consequentis, sed etiã, quod antecedens sit causa consequentis, vnde in ea duæ cathegoricæ per quia coniungun tur dicendo, Quia homo est rationalis homo est risibilis.

Condĩtões

LECTIO XIX.

De propositionum æquipollentijs tres regulæ ponuntur.

Sequitur, De æquipollentijs, de quibus tales dantur regulæ. Quarum prima est talis. Si alicui signo vniuersali vel particulari præponatur negatio, æquipollet suo contradictorio, & ideo æquipollent istæ duæ, non omnis homo currit, quidam homo non currit, & ita de alijs. Secũda regula talis est, si alicui signo vniuersali postponatur negatio, æquipollet suo contrario, sicut istę omnis homo non est animal, nullus hõ est aĩal, vel istæ nullus homo non currit, omnis homo currit, & ita de alijs signis vniuersalibus affirmatiuis, uel negatiuis. Tertia regula talis est, quod si alicui signo uniuersali, uel particulari præponatur, & postponatur negatio, æquipollet suo subalterno, sicut istæ duæ, non omnis homo non currit, quidam homo currit; uel istæ non nullus homo non currit, quidam homo non currit, & sic de alijs, simul de quolibet alio signo. Ex istis regulis sumitur alia regula talis. Si duo signa uniuersalia negatiua ponantur in eadem oratione, ita quod vnum in subiecto & reliquum fuerit in prædicato, primum æquipollet suo contrario per secundam regulam, reliquum vero contradictorio, per primam regulam, ut illa, nihil est nihil æquipollet huic, quodlibet est aliquid, quia per secundam regulam, non nihil & quodlibet æquipollent, sunt omnis non & nullus, & per primam regulam, non nihil, & aliquid æquipollent. Vnde hæc, nihil est nihil æquipollet huic, quodlibet est aliquid, quia non nihil, & aliquid æquipollent, sicut non nullus & quidam. un de uersus.

Non omnis, quidam non, omnis non, quasi nullus.

Non nullus, quidam, sed nul lus non,

non, ualet omnis.

Non aliquis nullus, non quidam non, ualet omnis.

Non alter neuter, neuter non, praestat uterque.

Item.

Prae contradic, post contra, prae postque subalter.

PRius est natura subiectum, quam passiones, verbi gratia, homo, quod est subiectū risibilitatis, est prior ipsa passione risibilitatis, cum igitur propositio cathegorica, & hypothetica se habeant tanquam subiectum aequipollentiarum, & aequipollentiae se habeant, vt earum passiones, ideo merito postquam auctor egit de propositionibus cathegoricis, & hypotheticis, hic modo agit de earum passionibus, scilicet, de aequipollentijs, de quibus nos breuiter agemus in praesenti lectione, tangendo tres regulas quibus regulantur.

Aequinaletia quot modis sumatur. Sed primo notandum venit, quid sit aequipollentia, ne per incognita procedamus. Aquipollentia ergo dicitur, aequiualentia duarum propositionum in significato, positarum in figura oppositionum, per aduentum negationis facta, ita quod ab vna ad alteram est bona consequentia. Primo ergo dicitur quod sit aequiualentia loco generis, quia aequiualentia, primo sumitur pro aequiualentia propositionū, de qua intendimus tantum. Secundo pro aequiualentia duorum terminorum incomplexorum in significato, vt sunt vestis, & indumentum. Tertio pro aequiualentia commutatiua, quo pacto dicimus, decem libras, aequiualere precio vnius modij frumenti. & Quarto sumitur pro equiualentia rerum in bonitate, quo pacto dicimus, reubarbarum purgare coleram, sicut & aliud simile medicinale. Secundo dicitur duarum propositionum in significato, vt excludamus propositiones resultantes ex terminis aequiuocis, quae inducunt diuersa significata. Tertio dicitur in figura oppositionum, ad differentiam propositionum, quae aequiualent in significato, sed non in figura oppositionum. Quarto dicitur per notam negationis, quia ex negatione praeposita, vel postposita duae propositiones aequiualere dicuntur, vt videbimus. Quinto dicitur ita vt ab vna ad aliam valeat consequentia, quia cum conueniant in significato, ex significato vnius possumus arguere ad significatum alterius.

Fit in figura, etc. Secundo notandum, quod haec equiualentia. Primo debet esse in figura, ita vt verbi gratia, contradictoriae equipolleat subcontrariae, &c. Secundo debent aequipollere in quantitate. Tertio in qualitate, idest, in veritate, & falsitate, & quoniam negatio est illa, quae generat aequipollentias, secundum quod ponitur ante terminum, vel postponitur. Ideo.

Negatio triplex negans infinitans, & priuans. Tertio sciendum est, quod triplex est negatio. Prima dicitur negans, quia quidquid inuenit post se destruit, & suū oppositum inducit, vnde si inuenit propositionem vniuersalem, facit eam particularem, verbi gratia, si huic propositioni vniuersali omnis homo currit, praeponatur negatio sic, non omnis homo currit, facit secundum significatum hanc propositionem, quidam homo currit. Item si inuenit eam affirmatiuā, facit eam negatiuam, vt dicendo, nō omnis homo est albus, facit quēdam hominem esse album. Item si inuenit negatiuam, facit eam affirmatiuam, si veram, facit falsam, si falsam facit veram, & ratio est, quia cum destruat significatum, quod post se inuenerit, ex consequenti inducit significatum

ficatum oppositum, & hæc est illa negatio, quæ tantum assumitur in æquipollentijs. Secunda dicitur negatio infinitans, quia terminum quem inuenit finitum infinitat, idest, indeterminatum facit, nam hæc propositio est finita, homo currit, quia significat hominem currere, & non sedere, vel scribere, sed præponendo illi negationem remaneret infinita, vt dicendo non homo currit, tūc.n. remanet intellectus indeterminatus ad sciendum quid faciat. Tertia dicitur negatio priuans, quia priuat habitum, vel actum, vt mors dicitur negatio priuans aliquem vita, & cæcitas visu, sed quoniam hæ duæ posteriores negationes nō deseruiunt proposito nostro, ideo eas omitto.

Prima regula. Quarto ergo notandum, quod prima regula æquipollentiarum ista est, quod si alicui signo vniuersali, vt sunt, omnis, nullus, quilibet, & similia, vel alicui particulari, vt aliquis, quis &c. præponatur negatio, æquipollet suo contradictorio, vnde istæ duo æquipollent. Non omnis homo currit, & quidam homo non currit, nam contradictoriæ repugnant simul in quantitate, & qualitate, negatio autem præposita signo vniuersali, cum destruat omne quod post se reperijt, oportet, vt destruat quantitatem, & qualitatem quam post se reperit, & ideo in cōtradictorijs per negationem negantem tanta mutatio fit.

Secunda. Quinto notandum, quod secunda regula æquipollentiarum est. Si negatio postponatur alicui signo vniuersali, & toti subiecto, facit æquipollere duas contrarias, verbi gratia, istæ duæ sunt contrariæ, omnis homo non est animal, nullus homo est animal, & æquipollent, eo quia contrariæ cum non repugnent, in quantitate, sed tantum in qualitate, negatio cum non neget illud quod præcedit, ideo non negat nec signum vniuersale ante quod ponitur, nec subiectum: sed bene copulam antequā firmatur. Vnde animaduertendum, quod ista regula debet habere duas conditiones. Prima quidem, quod negatio immediate ponatur ante copulam, & totum prædicatum, & post signum, & subiectum, vnde istæ non æquipollent. Omnis non homo est animal, nullus homo est animal, quia in prima posita fuit negatio ante subiectum, vnde oportet sic dicere, omnis homo non est animal, sic enim æquipollent. Secundo necessarium est, vt duæ contrariæ teneantur vniformiter distributiue, & non altera collectiue, verbi gratia, dicendo collectiue, omnes Apostoli Christi sunt duodecim, deinde distributiue dicendo, nulli Apostoli Christi sunt duodecim, idest, nec ille, nec iste Apostolus, & sic non possunt, æquipollere.

Tertia. Sexto notandum, quod tertia regula æquipollētiarum talis est. Quod si alicui signo vniuersali, vel particulari præponatur, & postponatur negatio, æquipollet suo subalterno, vt in istis duabus apparet. Non omnis homo non currit, quidam homo currit, vel sic. Non quidam hō non currit, ratio autem huius est, quia subalternæ conueniunt in qualitate, & discordant in quantitate, negatio autem præposita signo mutat quantitatem, & postposita signo, & tali subiecto impedit ne mutetur qualitas, quia vna negatio destruit actum posterioris negationis, at destructa negatione ponitur affirmatio, quia de vno & eodem non possunt simul verificari affirmatio, & negatio, & ideo duæ negationes cadentes supra se inuicem faciunt vnam affirmationē.

Arg. Contra supradicta tamen sunt duo dubia. Primum est quare non sit assignata quarta regula pro æquipollen-

pollentia subcontrariarum, cum precipue repugnent in qualitate, & si non in quantitate.

Secundum dubium est, cur duæ affirmationes non negent, sed affirment, & duæ negationes affirment, & non negent.

Soluūtur. Ad primum dicitur, quod cum negatio tantum possit, vel præponi signo vniuersali, vel postponi, vel præponi, & postponi, & nullus alius detur modus, ideo omissa est Quarta regula cum non sit dabilis, & positæ sunt tantum tres, secūdum quas, æquipollent contradictoriæ, contrariæ, & subalternæ.

Ad secundum respondetur, hoc prouenire, quia negatio est destructiua, & ideo semper destruit illud quod post se inuenit, ideo quando post se inuenit affirmatum, negat, & quando post se inuenit negatum, affirmat. Affirmatio autem habet rationem constitutiui & ideo nisi affirmationem inducit.

LECTIO XX.

De Modalibus.

Modus quid sit. PRo complemento huius libri breuiter aliqua dicemus de modalibus. Ad sciendum igitur quid sit propositio modalis, oportet prius videre, quid sit modus, ex quo propositio dicitur modalis. Modus ergo est adiacens determinatio rei. Dicitur adiacens, ad differentiam propositionis cathegoricæ, quæ simpliciter, & sine limitatione proponitur, verbi gratia, dicendo. Homo est currens, sed modalis addit determinationem, vel ad substantiuum dicendo, homo albus est currens, in qua ly homo, aditum est ly albus, vel determinat verbum, vt dicendo, Sortes scribit velociter: vbi ly velociter additum est ly scribit. Secundo dicitur rei determinatio, quia modus determinat cathegoricam, & hoc dupliciter, primo addendo substantiuo, secundo verbo, vt diximus; propositio autem cathegorica dicitur de inesse simpliciter, & modalis de inesse cum modo.

Aduertendum est autem primo, quod adiectiuum nominis substantiui solet esse omne nomen adiectiuum; sed adiectiuum verbi solet esse aduerbium. Aduerbia autē quadrupliciter possunt modificare verbum. *Adiectiuum quale.* Primo per modum compositionis, ostendendo quomodo verbum copulet prædicatum cum subiecto, & sic sex modis verbum solet modaliter coniungere prædicatum cum subiecto, vnde dantur tantum sex modi apud Logicum, sed in vsu tantum quatuor reperiuntur. Hi modi sunt, necessario, contingenter, possibiliter, & impossibiliter, duo vero vltima; si verum, vel falsum regulariter omittuntur. Secundo, aduerbium modificat verbum per significatum qualitatis, vt dicendo, Sortes velociter currit, nam velociter currere præfefert qualitatem. Tertio, modificat gratia temporis, significando verbum sub aliqua differentia temporis, vt dicendo. In mane legam, in vesperi disputabo. Quarto, modificat gratia modi, vel imperatiui, vel hortatiui, v. g. vt eia milites Christi abijcite opera tenebrarum; sed vt diximus primo modo solet esse in vsu, apud Logicos, vnde ex his elicitur, quod propositio modalis illa est, quæ proprie in vsu modificatur his quatuor modis, s. necessario, contingenter, possibiliter, & impossibiliter.

Secundo notandum, quod cum supradictis modis conueniant omnia, quæ idem habent significatum cum illis, vnde si dicamus, homo est animal rationale per se, ly per se significabit necessario, sicut si dicamus *Conueniūt cum eis aliqua secūdum significatum.*


mus homo est albus per accidens, significamus contingenter, vnde non sunt pensandæ præcise in modalibus hæ voces, necessario, contingenter, &c. sed omnia illa meditanda veniunt, quæ habent idem significatum cum ipsis, & dicendum, quod si conueniunt in significato, faciunt modalem de significato, quamuis talis non sit modalis secundum vocem.

Modalis constat ex dicto, & modo. Tertio notandum, quod modalis nominalis, idest, facta per nomen dicitur constare ex dicto, & modo. Pro dicto autem sumimus orationē infinitiuam, & pro modo, quatuor modos superius recitatos. s. necessario, contingenter, &cæt. vnde in hac Sortem currere est dictum, & in hoc quod additur. s. est possibile, est modus, dictum autem solet subijci, & modus poni a parte prædicati, quamuis si attendamus ad explicandam oppositionem modalium melius ponatur a parte subiecti, sicut fecit Arist. secundo Perihermeniarum, vt dicendo possibile est Sortem currere, impossibile est Sortem currere, quilibet autem modus facit quatuor propositiones. Prima dicitur affirmatiua de dicto, & modo, vt Petrum currere est contingens. Secunda erit tantum negatiua de dicto, vt Sortem non currere est contingens. Tertia erit tantum negatiua de modo, vt Sortem currere non est contingens. Quarta erit negatiua de dicto, & modo, vt Sortem non currere non est contingens: sed hi tres posteriores modi raro in vsu reperiuntur.

Correspondent illis directe. Quarto notandum, quod sicut cathegoricæ, quædam sunt contrariæ, quædam subcontrariæ, quædam contradictoriæ, & quædam subalternæ ita etiam hæ reperiuntur in modalibus, sed differenter, quia cathegoricæ fiunt contrariæ, &cæt. per signa vniuersalia, vel particularia, sed modales fiunt per modos. Quatuor ergo diximus esse modos, scilicet, contingens, necessarium, possibile, & impossibile. Particularibus igitur de inesse correspondet quædam modalis tam affirmatiua, quam negatiua, vnde istæ sunt cathegoricæ subcontrariæ. Quidam homo currit. Quidam homo non currit, si autem eas faciamus modales subcontrarias, sic dicemus. Possibile est Sortem currere, possibile est Sortem non currere. Duo vero alij modi, scilicet, necesse, & impossibile correspondent vniuersali affirmatiuæ, & negatiuæ, ita tamen, vt necesse correspondeat omni, & impossibile nulli, vnde hæ cathegoricæ, omnis homo currit, nullus homo currit, sic fiunt modales, Necesse est hominem currere, ly enim necesse idem sonat quod omnis; impossibile est hominem currere, ly impossibile correspondet ly nullus, ex his de facili habebis etiam contradictorias modales; & subalternas, & subcontrarias, vt patet in hac figura.

Modalium ad illas de inesse similitudo.

Omnis homo currit. Sortem non currere non est possibile.	Contrariæ	Nullus homo currit. Sortem currere est impossibile.



Quidam homo currit. Sortem currere est possibile.	Subcontrariæ	Quidam homo currit. Sortem non currere est possibile.

Quinto notandum, quod apud Logicos duplex est modalis. Quædam dicitur de sensu composito, & quædam de diuiso. Hæ autem multipliciter differunt; sed precipua differentia quæ in vsu magis apparet ista est, quod in ea formæ simul esse sunt impossibiles, nō aūt successiue, seu in sensu diuiso, Nam impossibile est, vt album quatenus album, sit nigrum, non tamen est impossibile, vt illud quod modo est album postea fiat nigrum. Multa alia essent dicenda de modalibus, quę cum non sint multum necessaria, ideo relinquo.

LIBER SECVNDVS, DE SYLLOGISMO FORMALI,

LECTIO PRIMA.



Yllogismus est oratio, in qua quibusdam positis, & concessis, necesse est aliud euenire per ea, quæ posita sunt, & concessa, vt omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia. Hoc totum oratio quædam in qua quibusdam positis, scilicet, duabus præmissis, necesse est aliud accidere, scilicet, conclusionem. Omnis autem syllogismus constat ex tribus terminis, & duabus propositionibus, quarum propositionum, prima vocatur Maior, secunda Minor. Ex tribus autem terminis non possunt duæ propositiones fieri, nisi alter illorum terminorum sumatur bis, & tunc ille terminus bis sumptus, aut subijcietur in vna, & prædicabitur in alia, aut subijcietur in utraque, aut prædicabitur in vtraque. Horum autem terminorum alter uocatur Medium, alter Maior extremitas. Alter Minor extremitas. Medium, est terminus bis sumptus ante conclusionem. Maior extremitas, est terminus sumptus in maiori propositione cum medio. Minor extremitas, est terminus sumptus in minori propositione cum medio.



VAMVIS verus ordo Librorum Logicaliũ expostulet, vt postquam actũ est de propositionibus, agendum veniat de prædicabilibus, & prædicamentis, antequam agatur de syllogismo formali, quia via compositiua procedimus a partibus ad totum, vt a lapidibus, & cæmento ad fabricandam domũ, sicut via resolutiua econtra procedimus a toto ad partes, modo propositiones, termini, prædicabilia, & prædicamenta assumuntur tanquam res, ex quibus constituitur syllogismus formalis, & demonstratiuus. Quia tamen necessitas nos cogit, vt ad disputandum de prædicabilibus, & prędicamẽtis quę dicũtur entia vera non possumus accedere sine notitia artis syllogisticæ, quæ nos docet formare argumenta, ideo antequam de prædicabilibus, & prædicamentis *Ratio ordinis.*

tis agam, docebo prius quomodo cõficiãtur syllogismi in debita figura, & modo, & hoc quidem breuiter per agam in sequentibus.

Argumẽtandi spẽs quinque.

Primo autem notandum venit generaliter, quod quinque sunt species argumentandi. Prima dicitur syllogismus, idest, quando argumentamur per syllogismum confectum ex tribus terminis, & duabus propositionib. Sed syllogismus quadruplex est, primus, quidem dicitur formalis, quia tantum considerat formam arguendi, nihil considerando de materia, scilicet, an res ita se habeat, an, non, & de hoc tantum agit Philosophus hic. Alius dicitur demonstratiuus, quia nullo modo debet peccare, nec in materia, nec in forma, quia gignit scientiam, quæ non potest esse, nisi ex veris, & necessarijs, & secundum formam, & secundum materiam, & de hoc agit Philosophus in libris Posteriorum. Tertius dicitur topicus, qui procedit tantum ex probabilius, & tantum inducit opinionem, & de hoc agitur in Topicis. Alius est sophisticus, qui inducit fallacias & errores, & de hoc agitur in Elenchis, nos autem hic tantum agemus de formali. Secundus modus arguendi est, per consequentiam, idest, quando ex vna propositione, aliam ex ipsa sequentem deducimus, vt verbi gratia, sic arguendo, homo est rationalis, ergo est disciplinabilis, tenet sequela, quia omne rationale est disciplinabile. Tertius dicitur per enthimema, i. per syllogismum truncum, in quo quamuis sint duæ propositiones virtualiter, tamen tantum apparet vna formaliter, & est arguere per persuasionem, vt dicendo, Dionysius petens fortalitia tiranizauit, sic Paulus, &c. ergo hic qui petit fortalitia tiranizabit. Quartus dicitur per inductionem, idest, arguendo a singularibus sufficienter enumeratis, ad vniuersale. Quintus dicitur per exemplum, idest, a singulari arguendo, ad simile singulare, qui modi posteriores non multum differunt ab enthimemate, nã in experimento, & suasione formantur, & his præcipue vtũtur Rethores, sed circa hæc modo non est immorandum.

Syllogismi diffinitio.

Secundo notandum, quod syllogismus sic diffinitur a Boetio, & Petro Hispano. Syllogismus est oratio in qua quibusdam positis, & concessis necesse est aliud euenire, præter ea quæ posita sunt, & concessa. Circa istam autem diffinitionem multa sunt notanda. Primum erit circa ly est oratio, nam ponitur loco generis, quia omnis syllogismus includit orationem, sed non omnis oratio syllogismum, quia potest esse oratio, vna tantum cathegorica. Hinc scias quod syllogismus non est oratio, seu propositio, vt cathegorica, cum hæc tantum constet ex subiecto, prædicato & copula, sed erit propositio hypothetica, quæ constat ex duabus cathegoricis, sicut, & syllogismus, & erit hypothetica coniunctionalis, seu copulatiua, quia illæ duæ cathegoricæ vniuntur in conclusione, vnde syllogismus dicitur vna oratio, quia habet vnum medium, & secundo, quia habet vnum finem, quia duæ præmissæ ordinantur ad vnam conclusionem inferendam, sed quælibet præmissa dẽt esse propositio cathegorica, & non hypothetica, vt infra ostendemus.

Explicatur.

Tertio notandum, quod aliæ particulæ ponuntur ad differentiam aliorum modorum argumentãdi. Vnde primo dicitur, in qua quibusdam positis, scilicet, in syllogismo, quia in eo sunt duæ propositiones formaliter, ad differentiam enthimematis, in quo quamuis sint duæ propositiones virtualiter, tamen tantum vna

apparet formaliter. Secũdo dicitur, positis secundum debitum ordinem, ad differẽtiam inductionis, & exempli;in quibus modis arguendi propositiones non disponuntur secundum debitum ordinem. Tertio dicitur,necesse est aliud euenire, ad differentiam Paralogismorum,fallacia accidentis, vbi conclusio non sequitur de necessitate ex præmissis. Et quarto dicitur,aliud, ad differentiam petitionis principij, vbi conclusio non est alia a præmissis.

Syllogismus cõponitur ex terminis, & propositionibus

Quarto notandum, quod syllogismus componitur ex terminis, & propositionibus, sed non eodem modo,nam ex terminis componitur remote, & ex propositionibus propinque, vt domus remote componitur ex lapidibus, cæmento,& lignis, propinque vero,ex lateribus, & parietibus. Ita syllogismus remote componitur ex terminis,quia omnis propositio fit ex terminis, & proxime ex propositionibus,cum omnis syllogismus immediate fiat ex maiori, & minori, quæ sunt propositiones in quas etiam resoluitur. Vnde notandum hic erit, quid sit terminus, & quid propositio. Terminus,ergo dupliciter sumi potest. Primo vniuersaliter,vt se extẽdit ad omnes,& quoscũque terminos, siue sint termini significatiui, siue non, siue etiam sint signa vniuersalia, vel particularia, siue non,dum modo propositionem ingrediatur, & sic hic non sumitur. Secundo accipitur pro termino in quem,vel quos immediate propositio resoluitur,scilicet pro subiecto,et prædicato, ita vt subiectum habeat nominis rationem, & prædicatum verbi, & sic consideratur in propositionibus constituentibus syllogismum. Ita propositio bifariam sumitur. Primo, vt est enunciatiua veri, vel falsi, prout in se est, & sic fuit in primo libro diffinita, vt oratio significatiua veri, vel falsi.Secundo sumitur,vt componit syllogismum, & sic dicitur oratio affirmatiua,vel negatiua alicuius de aliquo, nã vt componit syllogismum abstrahit a vero, vel falso, quia syllogismus formalis ad hoc tendit, ne adsit peccatum in forma, scilicet, in modo,& figura, quamuis possit peccare in materia, quia res in se non ita erit, vnde hic syllogismus apud Prioristicum est bonus, omnis homo, est asinus,omnis equus est homo, ergo omnis equus est asinus, qui tamen apud Posterioristicum considerantem materiam.i.veritatem rei,est falsus.

Cõstat ex tribus terminis.

Quinto notandum,quod syllogismus formalis primo debet constare ex tribus terminis. Primus autem dicitur medius terminus,quia bis assumitur,s.in minori & maiori.Secũdus terminus vocatur maior extremitas. Et tertius minor,verbi gratia,in hoc syllogismo. Omnis homo est animal,Sortes est homo,ergo Sortes est animal,ly homo vocatur medius terminus,quia in maiori subijcitur,& in minori prædicatur,vnde se habet quasi medium vnitiuum maioris, & minoris. Verum est tamen, quod in quibusdam syllogismis in vtraque, scilicet, in maiori, vel minori subiicitur, & in quibusdam semper prædicatur, quæ omnia infra explicabũtur in facto.

Argum.

Sed contra supradicta sunt aliqua dubia. Primum est,quia in diffinitione syllogismi, vel Arist.fuit diminutus,vel Boetius superfluus,nam Aristot.in diffinitione omisit illas particulas,in quo quibusdam positis, & concessis,quas addidit Boetius.

Secundũ est circa ly aliud,idest, quod præter præmissas necesse est aliud euenire,idest, sequi conclusionem. Nam videtur quod conclusio non sit aliud a præmissis, tum quoniam componitur, ex præmissis, tum

tum quia ab ipsis non videtur distincta.

Tertium vrget contra ly necesse est, nam quandoque in præmissis cõcluditur conclusio cõtingens, vt hic. Omnis homo currit, Sortes est homo, ergo Sortes currit; aliquando impossibilis, vt omnis homo est asinus, sed Sortes est homo, ergo Sortes est asinus.

Ad primum tamen dicitur, quod duplex est syllogismus. Quidã dicitur demonstratiuus, qui procedit ex necessarijs, & ideo demonstrator nõ petit a respõdente an præmissas concedat, quia ex se necessariæ sunt. Alius dicitur dialecticus, qui procedit ex probabilibus, & ideo sic syllogizans petit an illas concedat, quia igitur Arist. vim fecit in syllogismo primo modo, ideo non posuit ly in quo quibusdam positis, & concessis, quæ particulæ necessario sunt ad syllogismum, secundo modo consideratum a Boetio. *Soluũtur.*

Ad secundum dicitur, scilicet, quod conclusio materialiter, idest, quoad terminos ex quibus componitur non est aliud a præmissis, sed formaliter, idest, quoad formam est aliud, idest, tertia propositio, & propter hoc secundum, potest conclusio dici aliud a præmissis, vt illata ex illis, non vero est aliud a syllogismo, quia est eius pars, nec a præmissis materialiter, quia componitur ex terminis illarum.

Ad tertium dicendum, quod duplex est necessitas. Prima dicitur consequentis, idest, materiæ, & rei in se consideratæ, & sic ex veris tantum deducitur verum, & ex necessarijs necessarium. Alia dicitur necessitas consequentiæ, & illationis, quia in illo syllogismo, consideratur tantum forma syllogismi, & sic ex præmissis contingentibus, vel impossibilib. potest deduci conclusio necessaria.

LECTIO II.

De modo, ac figura, quæ sunt syllogismorum formalia principia.

Ad syllogismum autem exigitur modus & figura. Figura est ordinatio trium terminorum, secundũ subiectionẽ, & prædicationẽ. Hæc aũt ordinatio fit tripliciter, ut dictũ est et secũdũ hoc sunt tres figuræ. Prima figura est, quãdo mediũ subijcitur in una propositione, & prædicatur in alia, ut oẽ aĩal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia. Secunda figura est, quando medium prædicatur in utraque, ut omnis homo est animal, nullus lapis est animal, ergo nullus lapis est homo. Tertia figura est, quando medium subijcitur in utraque, ut omnis homo est animal, omnis homo est substantia, ergo quædam substantia est animal. unde uersus.

Prima prius subijcit mediũ, post prædicat ipsum.
Altera bis dicit, tertia bis subijcit ipsum.

Modus est ordinatio duarum propositionum in debita qualitate, & quãtitate. Debita qualitas est, quod, si una sit negatiua, reliqua erit affirmatiua. Debita quantitas est, quod, si una est particularis, reliqua erit uniuersalis. Vnde dantur tales regulæ uniuersales ad quamlibet figuram. Ex puris particularibus, indefinitis, uel singularibus nihil sequitur, unde oportet alteram præmissarum esse uniuersalem, uel utramque. Item ex puris negatiuis nihil sequitur, unde oportet alterã præmissarum esse affirmatiuam.

firmatiua. Item, si aliqua præmissarū fuerit particularis, conclusio erit particularis, & non econtra. Item, si aliqua præmissarum fuerit negatiua, conclusio erit negatiua. Item, medium nunquam debet poni in conclusione. Vnde uersus.

Partibus ex puris sequitur nil, sine negatis.
Si qua præit partis, sequitur conclusio partis.
Si qua negatiua præit, conclusio sitque negata.
Lex generalis erit, medium concludere nescit.

Principia syllogismi materialia, & formalia. PRincipia syllogismi, vt supra annuimus quædam sunt materialia, & quædam formalia. Materialia sunt duplicia, scilicet, remota, vt termini propositionum, & propinqua, vt propositiones. Ita formalia quædam sunt remota, vt figuræ syllogismorum, & quędam propinqua, vt modi figurarum, verbi gratia, Barbara, Celarent, &c. Ad syllogismum ergo, vt principia formalia, exiguntur modus, & figura.

Figuræ syllogismi definitio. Notandū ergo venit primo, quod figura sic diffinitur. Figura est ordinatio trium terminorum, secundum subiectionem, & scdm debitā qualitatem, & prædicationū quantitatē. Hic figura nō sumitur ꝓprie, vt est terminus terminans quantitatē, sed accipitur similitudinarie, vt dicit cō iunctionem aliquarum propositionum, factam per tres terminos. Ly autem ordinatio, ponitur loco generis, quia duplex est ordinatio, Quædam dicitur ordinatio terminorum, & hæc conuenit, figuræ. Alia dicitur, duarum propositionum in debita qualitate, & quātitate, & hęc spectat ad modum: cæteræ vero particulæ patebunt.

Secundo notandum, quod tot modis quibus fit ordinatio trium terminorum, tot etiam sunt figuræ, & qnia sōlum tribus modis ordinantur termini, ideo solum sunt tres figuræ. *Tres.* Prima ergo figura est, in qua medium subijcitur in vna propositione, & prædicatur in alia, vt patet in hoc syllogismo, omne aīal est substātia, sed omnis hō est aīal, ergo omnis homo est substantia. Secunda figura est, quando medium in vtraque prædicatur, vt hic, omnis homo est animal, nullus lapis est animal, ergo nullus lapis est homo. Tertia figura est, in qua medium in vtraque subijcitur, vt patet dicendo, omnis homo est animal, omnis homo, est substantia, ergo quædam substantia est animal.

Modi syllogismi definitio. Tertio notandum, quod modus sic diffinitur. Modus est ordinatio duarum propositionum in debita qualitate, & quantitate. Dicitur ordinatio duarum propositionum, ad differentiam figuræ, quæ est ordinatio trium terminorum. Secundo dicitur in debita qualitate, idest, vt vtraque propositio sit affirmatiua, vel saltem vna, quia ex puris negatiuis nihil validum sequitur. Tertio dicitur in debita quantitateita, scilicet, si vna est particularis, alia sit vniuersalis. vnde.

Syllogismi habet suas regulas. Secundo notandum venit, quod syllogismi facti in qualibet figura habent suas regulas. Sed quædam sunt regulæ, quæ tantum regulant syllosmos perfectos, qui sunt illi, qui fiunt in quatuor primis modis primæ figuræ, dico diręcte, quoniam si alij modi ad hos reducantur sicut de facto possunt reduci, vt ostendemus, regulamus etiam alios modos.

Dici de oī & dici de nullo. Aliæ vero sunt regulæ communes, quę regulant omnes modos omnium figurarum. Primæ ergo regulæ sunt duæ. Prima regulat omnes

nes syllogismos affirmatiuos, & Secunda omnes negatiuos. Prima dicitur dici de omni, & Secunda dici de nullo. Dici autem de omni est, quando nihil est sub subiecto sumere de quo non dicatur prædicatum, verbi gratia, de homine prædicatur rationale, & ideo nihil erit sumere sub subiecto, idest, sub homine, de quo nõ dicatur rationale, nam omnes homines sunt rationales. Ex opposito vero dici de nullo est, nihil sumere sub subiecto, a quo non remoueatur prædicatum, vt dicendo. Nullus homo est lapis; nam si lapis non dicitur de homine, nec dicetur de Petro, de Paulo, & alijs hominibus. Habent autem istæ duæ regulæ syllogismorum tres limitationes. Prima. vt dicatur regulę syllogismorũ perfectorũ, & hoc directe, vt sup. Secunda, vt sint regulæ syllogismorum vniuersalium in quibus assumuntur propositiones vniuersales, & non singulares, quæ patent ad sensum. Tertia est, vt in materia necessaria semper prædicatum dicatur de omni contento sub subiecto, quia inter prædicatum, & subiectum semper reperitur necessarius ordo, sed in contingenti non dicitur semper prædicatum de omni contento sub subiecto, sed pro tempore, pro quo subiectum habet tale prædicatum contingens, vnde semper homo, & quilibet homo dicitur rationalis, non autem semper dicitur albus, vel currens, sed pro tẽpore solum, pro quo habet albedinẽ, vel currit.

Prima regula ex singularib. nihil sequitur.

Prima autem regula vniuersalis est, Quod ex puris particularibus in definitis, vel singularibus nihil sequitur, vnde oportet, vt ambæ propositiones sint vniuersales, vel saltem vna illarum, & ratio est, quia bonus syllogismus debet regulari per regulas de dici de omni, & de dici de nullo. Sed propositiones particulares ꝑ illas regulas non regulantur, quia sunt particulares, ideo ex puris particularibus non potest fieri validus syllogismus. Possumus etiam addere aliam rationem, scilicet, quia præmissæ particulares possunt vniri medio pro diuersis partibus, & sic fit syllogismus falsus, vt dicendo quoddam animal est equus, quidam homo est animal, ergo homo est equus, nam sic patet quod homo, & equus vniuntur animali pro diuersis eius partibus, s. pro rationali, & irrationali.

Secũda. ex puris negatiuis nihil sequitur.

Secũda regula est. Q͛d ex puris negatiuis nihil sequitur, vnde oportet, vt aliæ propositiones, vel saltem vna illarum sit affirmatiua, & ratio est. Quia si duo separantur a tertio, non coniunguntur inter se, sed separantur; cum ergo ex negatiuis inferamus duas extremitates separari a tertio, verbi gratia, hominis, & risibilis a lapide, ideo non potest sequi vnio inter se, gratia formæ syllogisticæ, & consequenter ex puris negatiuis non potest fieri bonus syllogismus. Addo quia ex puris negatiuis veris pręmissis, potest deduci conclusio falsa, vt dicendo nullus homo est lapis, nullus iaspis est homo, ergo nullus iaspis est lapis, patet etiam, quod in hoc syllogismo præmissis existentibus veris, conclusio est falsa.

Tertia. Si præmissa est particularis cõclusio erit particularis.

Tertia regula est. Si aliqua præmissa fuerit particularis, conclusio erit particularis, & ratio est, quia propositiones eo modo quo vniuntur in medio, eo etiam modo vniuntur in conclusione. Sed quando vna propositio est particularis, vnio cum medio est particularis, & ideo conclusio debet esse particularis. Potest tamen conclusio esse particularis existente maiore, & minore vniuersali, vt patet in Baralipton, Darapti, & in Felapton.

Quarta. Si negatiua, negatiua.

Quarta regula est. Si aliqua præmissa-

missarum fuerit negatiua, conclusio quoque erit negatiua. Et ratio est, quia vnio vel separatio extremitatum in conclusione sequitur vnionem cum medio, vel separationem a medio in præmissis. Sed quando vna præmissarum est affirmatiua, & alia negatiua, duæ præmissæ separantur in medio, ex eo quod si vna coniungitur cum medio, alia ab eo separatur, ideo oportet illas extremitates separari in conclusione, & cõsequenter conclusio erit negatiua.

Quinta. Mediũ nõ ponitur in cõclusione

Quinta regula est, vt Medium nũquam ponatur in conclusione. Et est ratio, quia in omni syllogismo debet concludi vnio, vel separatio extremitatum inter se, & medij ab aliqua extremitatum, quod accideret si poneretur, in conclusione, & ideo tantum ponitur in præmissis.

Dubium solutum.

Hic esset dubitandum, quomodo tantum dicantur esse tres figuræ, cũ Galenus quartam addat, in qua medium prædicatur in maiori, & subijcitur in minori, vt dicendo, omnis homo est animal, omne animal est substantia, ergo omnis homo est substantia. Sed respondetur breuiter, quod hæc figura, neque est necessaria, neque in vsu, vnde potius est regula, qua scimus, quod illud quod dicitur de prædicato, dicitur etiam de subiecto, de qua regula mentionem fecit Aristot. in antepædicamentis, & nos ibi de ea agemus, cum igitur non sint multiplicandam entia sine necessitate, merito reijcimus quartam figuram in vsu.

LECTIO III. & IIII.

De prima figura, & eius modis.

Prima figura nouem habet modos. Quorum primi quatuor concludunt directe, reliqui vero quinque concludunt indirecte. Directe autem concludere est, maiorem extremitatem prædicari de minori in conclusione. Indirecte autem concludere est, minorem extremitatem prędicari de maiori in conclusione. Nota hic duas regulas, quarum prima conuenit tantum primę figurę quo ad quatuor primos modos, & secundę quo ad omnes. Secunda etiam conuenit tantum primę figurę quo ad eius quatuor primos modos, tertię figuræ quoad omnes.

Prima regulas talis est,

Minore existente negatiua nihil sequitur.

Secunda regula talis est.

Maiori existente particulari nihil sequitur.

Barbara. Primus modus primę figurę constat ex duabus uniuersalibus affirmatiuis directe concludentibus, ut

Omne animal est substantia,
Omnis homo est animal, ergo
Omnis homo est substantia.

Celarent. Secundus modus cõstat ex maiori uniuersali negatiua, & minore uniuersali affirmatiua uniuersalem negatiuam, directe concludentibus, ut

Nullum animal est lapis,
Omnis homo est animal, ergo
Nullus homo est lapis.

Darij. Tertius modus constat ex maiori uniuersali affirmatiua, & minori particulari affirmatiua, particularem affirmatiuam directe concludentibus, ut

Omne animal est substantia,
Quidam homo est animal, ergo.
Quidam homo est substantia,

Ferio. Quartus modus constat ex

maiori vniuersali negatiua, & minori particulari affirmatiua, particularem negatiuam directe concludentibus, vt

Nullum animal est lapis,
Quidam homo est animal, ergo
Quidam homo non est lapis.

Baralipton. Quintus modus constat ex duabus vniuersalibus affirmatiuis, particularem affirmatiuā indirecte concludentibus, vt

Omne animal est substantia,
Omnis homo est animal, ergo,
Quædam substantia est homo.

Et reducitur ad primum modum primæ figuræ per conuersionem conclusionis per accidens.

Celantes. Sextus modus constat ex vniuersali negatiua maiori, & vniuersali affirmatiua minori, vniuersalem negatiuam indirecte concludeutibus, vt

Nullum animal est lapis,
Omnis homo est animal, ergo,
Nullus lapis est homo.

Et reducitur ad secundum modum primæ figuræ per couuersionem conclusionis simpliciter.

Dabitis. Septimus modus cōstat ex maiori vniuersali affirmatiua, et minori particulari affirmatiua, particularem affirmatiuam indirecte concludentibus, vt

Omne animal est substantia,
Quidam homo est animal. ergo,
Quædam substantia est homo.

Et reducitur ad tertium modum primæ figuræ per conuersionem conclusionis simpliciter.

Fapesmo Octauus modus constat ex maiori vniuersali affirmatiua, & minori vniuersali negatiua, particularem negatiuam concludentib. indirecte, ut

Omne animal est substantia,
Nullus lapis est animal, ergo,
Quædam substantia non est lapis.

Et reducitur ad quartum modū primæ, maiori conuersa per accidēs, & minori simpliciter, & per transpositionem præmißarum.

Frisesomorū. Nonus modus cōstat ex maiori particulari affirmatiua, & minori uniuersali negatiua, particularem negatiuam indirecte concludentibus, ut

Quoddam animal est substantia,
Nullus lapis est animal, ergo
Quædam substantia non est lapis.

Et reducitur ad quartum modum primæ figuræ, maiori & minori conuersis simpliciter, & per transpositionem præmissarum.

Hic noster auctor intendit agere de figuris syllogismorū, & modis earum. Vnde primo notandus venit duplex ordo seruatus. Primus quidem respectu præcedentium, quia postquam actum est de syllogismo in vniuersali, modo de eo agitur in speciali, quia, vt habet Aristotel. primo Physicorum, vniuersaliora nobis notiora esse dicuntur. Secundus ordo est respectu sequentium, quia primo agitur de prima figura, antequam de secunda, & tertia, cuius ordinis rationes plures sunt. Prima igitur oritur ex nomine, quia prima figura est prior, secunda, & tertia. Secunda desumitur ex eo, quia magis est scientifica, quia eius conclusio est vniuersalis, & affirmatiua, & de vniuersalibus est *Prima figura est cæteris excellentior*

eſt ſcientia. Tertia capitur ex parte medij, quia in ea medium non ſolũ eſt medium poſitione, quia, ſcilicet, ponitur in medio præmiſſarum, ſed etiam eſt medium coniunctione, & ſenſu.

Nouem hic modos. Secundo notandum, quod Primæ figuræ, nouem ſunt modi, & hi ſunt, Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton, Celantes, Dabibitis, Fapeſmo, Friſeſomorum. Sed hi differunt inter ſe, quia quatuor primi concludunt directè, i. in ſua concluſione ſemper habent, vt maior extremitas prædicetur de minori, alij vero quinque indirectè cõcludunt, ideſt, in concluſione ſua minor extremitas prædicatur de maiori. Quatuor autem primos modos poſuit expreſſe Ariſtot. in libro Priorum, & alios annuit, ſed explicite eos poſuerũt Theophraſtus, & Eudemus. Secũdo etiã differunt, quia ſecundi reducuntur ad primos, ſi perfectam ſcientiam generare habent.

Et duas regulas. Tertio notandum, quod iſti modi vltra ſupradictas regulas duas alias nanciſcuntur, quarum Prima, conuenit primæ figuræ, & ſecundæ, ſed primæ tantum quoad quatuor primos eius modos, & ſecundæ quoad omnes eius modos. Secunda vero regula pariter conuenit tãtum quatuor primis modis primæ figuræ, & tertiæ, quoad omnes eius modos. *Minore exiſtente negatiua nihil ſequitur.* Prima, ergo regula eſt, quod minore exiſtente negatiua, nihil ſequitur, ideſt, non fit bonus ſyllogiſmus, & ratio eſt, quia ſic ex præmiſſis veris poteſt concludi falſum, vt dicendo, Omnis aſinus eſt animal nullus hõ eſt aſinus, ergo nullus homo eſt aĩal, in quo ſyllogiſmo patet quod concluſio eſt falſa, & præmiſſæ veræ. *Maiori exiſtente particulari nil ſequitur.* Secunda regula eſt, quod maiori exiſtente particulari indefinita, vel ſingulari, nil ſequitur, niſi ſyllogiſmus falſus, vt ſi dicamus Quoddam animal eſt homo, omnis aſinus eſt animal, ergo omnis aſinus eſt homo.

Quarto notandum venit, quod præter ſupradictas regulas regulantes ſyllogiſmos, dãtur etiam aliæ regulæ, ex quib. cognoſcimus in quo modo ſint facti ſyllogiſmi, hæ autem multæ ſunt. Prima ergo erit, quod in omnibus modis omnium figurarum cadunt iſtæ vocales. A. E. I. O. *In omnibus modis cadũt vocales A. E. I. O.* ſemper autem. A. ſignificat vniuerſalem affirmatiuam. E. vniuerſalem negatiuam, I. particularem affirmatiuam, &, O. particularem negatiuam, vnde inſpiciendo literas ſciemus quomodo, & in quo modo ſit conſtructus ſyllogiſmus. *Continent tres ſyllabas.* Secunda regula eſt, quod omnes modi continent etiam tres ſyllabas, ſcilicet, maiorem propoſitionem, minorem, & concluſionem, & ſi quis modus conſtituat quatuor ſyllabas, vt Baralipton, vel quinque vt Friſeſomorum, tres tantum primæ deſeruiunt, aliæ vero ponuntur ad complementum verſus. *Primi modi directe concludunt.* Tertia eſt, quod quatuor primi modi concludunt directè, & ideo ad alios modos non reducuntur, ſed alij concludunt indirectè, & debent reduci ad quatuor primos modos. Ad cognoſcendum autem ad quem quatuor primorum modorum reducantur habendum erit præ oculis, Quod illi, qui incipiunt in B. reducuntur ad primum modum, qui dicitur Barbara, vt Baralipton, Baroco, & Brocardo. Qui incipiunt in C. reducuntur ad Cælarent, qui eſt ſecundus modus, & incipiens in C. hi ſunt Cælantes, Cæſare, Cameſtres. Qui incipiunt, in D. reducuntur ad Darij, qui incipit in, D, & hi ſunt Dabitis, Darapti, Diſamis, & Datiſi. Qui incipiũt in F, reducuntur ad Ferio, qui eſt quartus modus incipiens in F, & hi

ſunt,

sunt Fapesmo, Frisesomorũ, Festino, Felapton, Ferison.

Modi figurarum. Modi igitur primæ figuræ sunt isti Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, & Frisesomorum.

Modi secundæ sunt isti Cæsare, Camestres, Festino, Baroco.

Modi tertiæ sunt, Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Brocardo, Ferison.

Reductio modorũ ad quatuor primos. Quarta regula est, quod supradicti modi, qui ad quatuor primos modos reducuntur, non eodem modo ad illos reducuntur, sed illi, qui habent hanc literam in se. S. vt Fapesmo, Frisosemorum, Cæsare, Camestres, Festino, Disamis, Datisi, & Ferison reducuntur per conuersionẽ simplicem. Illi, qui in se habent literam P, vt Baralipton, Fapesmo, Darapti, Felapton, reducuntur per cõuersionem per accidens. Illi, qui habent literam M, reducuntur per transpositionem præmissarum, vt, s. maior fiat minor, & econuerso, sed illi, qui habent C. reducuntur per impossibile.

Barbara. Primus ergo modus primæ figurę dicitur Barbara, & quia in Barbara sunt tria A. & omne A. significat vniuersalem affirmatiuam, ideo maior, minor, & conclusio in hoc modo debent esse vniuersales affirmatiuæ, directe concludentes, vt arguẽdo, Omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia. Hic autem modus habet. Primo, quod sit nobilior cæteris simpliciter, nam in quantum est vniuersalis, est nobilior omnib. particularibus, & inquantum affirmatiuus, omnibus negatiuis. Secundo habet conclusionem affirmatiuam, & respectu huius, differt a modis secundæ figuræ habentibus conclusionem negatiuam. Tertio habet conclusionem vniuersalem, & sic differt a modis tertiæ figuræ, quia tantum concludunt particulariter. Immo tãtum in hoc primo modo primæ figuræ, & in nullo alio conclusio est vniuersalis affirmatiua, & ideo hic modus maxime dicitur deseruire scientiæ.

Celarent. Secundus modus est Celarent, in quo sunt, E. A. E. & ideo maior debet esse vniuersalis negatiua, minor vniuersalis affirmatiua, & cõclusio vniuersalis negatiua, vt arguẽdo. Nullũ animal est lapis, omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis.

Darij. Tertius modus est Darij, & quia in isto modo prima litera vocalis est A. ideo maior erit vniuersalis affirmatiua, & quia secunda vocalis est I. ideo minor erit particularis affirmatiua, & quia vltima est I. ideo conclusio erit particularis affirmatiua, sic arguendo, Omne animal est substantia, quidam homo est animal, ergo quidam homo est substantia.

Ferio. Quartus modus est Ferio, in quo prima vocalis est E. & ideo maior erit vniuersalis negatiua, secunda est I. & ideo minor erit particularis affirmatiua, vltima est O. & ideo conclusio erit particularis negatiua, vt dicendo. Nullũ animal est lapis, quidam homo est animal, ergo quidam homo non est lapis.

Baralipton. Quintus modus dicitur Baralipton, in quo cũ prima vocalis sit A. ideo maior erit vniuersalis affirmatiua, secunda cum pariter sit A, minor erit vniuersalis affirmatiua, & tertia cum sit I. ideo conclusio erit particularis affirmatiua, dicendo, vt. Oẽ animal est substantia, omnis homo est animal, ergo quædam substãtia est homo. Et quia indirecte concludit, ideo reducitur ad Barbaram per conuersionem per accidens sic, Oẽ aĩal est substantia, omnis hõ est aĩal, ergo oĩs homo est substantia.

Celantes. Sextus modus dicitur Celantes qui ex prima E. habet maiorem vniuersalem negatiuam, ex secunda, quæ est A. habet minorem vniuersalem affirmatiuam, & ex tertia quæ est E. habet conclusionem vniuersalem negatiuam sic, Nullum animal est lapis, omnis homo est animal, ergo nullus lapis est homo, Et reducitur ad Cælarent, si conuertatur conclusio simpliciter, i. in vniuersalem negatiuam sic, Nullum animal est lapis, omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis.

Dabitis. Septimus modus dicitur Dabitis qui habet ab A. maiorem vniuersalem affirmatiuam, ab I. minorem particularem affirmatiuam, ab vltimo I. conclusionem particularem affirmatiuam sic syllogizando, Omne animal est viuens, quidam homo est animal, ergo quidam viuens est homo. Hic reducitur ad Darij, conuersa cõclusione simpliciter. i. in particularem affirmatiuam, siue indefinitam sic. Omne animal est viuens homo est animal, ergo homo est viuens.

Fapesmo. Octauus modus dicitur Fapesmo, qui ab A. habet minorem vniuersalem affirmatiuam, ex E. minorem vniuersalem negatiuam, & ab O. conclusionem particularem negatiuam, vt dicendo. Omne animal est substantia, nullus lapis est animal, ergo quædam substantia non est lapis. Hic modus reducitur ad Ferio, maiore conuersa per accidens. i. in particularem affirmatiuam, & minorem simpliciter. i. in vniuersalem negatiuã, & per trãspositionem præmissarum sic conuersarum, vt. s. minor conuersa fiat maior, & minor conuersa fiat minor sic dicendo, Nullum animal est lapis, quædam substantia est animal, ergo quædam substantia non est lapis. At videtur hic modus non valere, quia per Aristot. conclusio debet assimilari præmissis, sed conclusio particularis non assimilatur præmissis vniuersalibus. Sed respondetur dictum Aristot. esse verum de assimilatione secundum qualitatem, ita vt, si præmissæ sint affirmatiuæ, & conclusio debet esse affirmatiua, non autem valet quoad quantitatẽ, nec valet in alijs modis, id est, in quatuor primis.

Frisesomorum. Nonus modus dicitur Frisesomorum, qui ex I. habet maiorem particularem affirmatiuam, ex E. minorem vniuersalem negatiuam; & ab O conclusionẽ particularem vt negatiuã, dicẽdo. Quidam homo est aial, nullus asinus est homo, ergo quidam animal non est asinus, Et reducitur ad quartum modum primæ figuræ, maiori, & minori conuersis simpliciter, & per transpositionem præmissarum sic arguendo. Nullus homo est asinus, quoddam animal est homo, ergo quoddam animal non est asinus, Nec vrget, quod hic modus habeat maiorem particularem, quia hoc obstat solum quatuor primis modis primæ figuræ.

LECTIO V.

De secunda figura.

Sequitur secunda figura, cuius tales dantur regulæ. In secunda figura maiori existente particulari, nihil sequitur. Item in secunda figura, ex puris affirmatiuis nihil sequitur. Itẽ in secunda figura, semper concluditur negatiua. Secũda figura quatuor habet modos.

Cæsare. Primus modus constat ex maiori vniuersali negatiua, & minori vniuersali affirmatiua, vniuersalem negatiuam directe concludentibus, vt

Nullus

Nullus lapis est animal.
Omnis homo est animal. ergo,
Nullus homo est lapis.
Et reducitur ad secundum modum primæ figuræ, maiori conuersa simpliciter.

Camestres. Secundus modus constat ex maiori vniuersali affirmatiua, & minori uniuersali negatiua, vniuersalem negatiuam directe concludentibus, vt
Omnis homo est animal.
Nullus lapis est animal, ergo,
Nullus lapis est homo.
Et reducitur ad secundum modum primæ figuræ, minore, & conclusione conuersis simpliciter, & transpositione præmissarum.

Festino. Tertius modus constat ex maiori vniuersali negatiua, & minori particulari affirmatiua, particularem negatiuam directe concludentibus, vt
Nullus lapis est animal,
Quidam homo est animal, ergo,
Quidam homo non est lapis.
Et reducitur ad quartum modum primæ figuræ, maiori conuersa simpliciter.

Baroco. Quartus modus cõstat ex maiori vniuersali affirmatiua, & minori particulari negatiua, particularem negatiuam directe concludentibus, vt
Omnis homo est animal,
Quidam lapis non est animal, ergo,
Quidam lapis non est homo.
Et reducitur ad primum modum primæ figuræ per impossibile. Reducere autem per impossibile est, ex opposito conclusionis, & altera præmissarum, inferre oppositum alterius præmissæ. Sumatur enim oppositum conclusionis hic, scilicet, Omnis lapis est homo, cum maiori huius quarti, scilicet, cum ista, omnis homo est animal, sic arguẽdo, Omnis homo est animal, omnis lapis est homo, ergo, omnis lapis est animal, ista conclusio opponitur minori quarti, & hoc est reducere per impossibile.

TRes esse figuras syllogismorum diximus in superioribus, quæ hoc ordine ita se habent, vt Prima, sit nobilior, secunda, & tertia, & Secunda, tertia, & quoniam supra ostendimus Primam esse nobiliorem, secunda, & hoc Primo, quia in secunda figura, quamuis conclusio debeat esse semper negatiua, tamen quandoque est vniuersalis, in tertia vero semper est particularis, siue sit affirmatiua, siue sit negatiua: vniuersale autem magis facit scire, i. plura, quã particulare. Secundo, quia medium in secunda semper prædicatur, & in tertia semper subijcitur, nobilius est autem prædicari, quam subijci.

Primo ergo notandum venit pro explicatione huius figuræ, quod tribus regulis regulatur. Prima est, vt nunquam maior debeat esse particularis, aliter ex veris posset concludi falsum, vt dicendo homo est albus, nullus æthiops est albus, ergo nullus æthiops est homo. Maior enim cum sit indefinita prioristice habet sensum particularis, minor quoque est vera, & tamen conclusio est falsa. *Regulæ secundæ Figuræ. Prima*

Secunda regula est, vt nunquam vtraque præmissa sit affirmatiua, sed semper saltem vna debet esse negatiua, aliter accidit error, vt sic arguẽdo, Omnis homo est animal, omnis *Secunda.*

nis asinus est animal, ergo omnis asinus est homo, patet enim quod præmissæ sunt veræ, & conclusio est falsa.

Tertia. Tertia regula est, vt conclusio semper debeat esse negatiua, aliter accidit error, vt diximus supra.

Cesare. Secundo notandum, quod primus modus, secundæ figuræ dicitur Cesare, qui cum habeat primam vocalem E. ideo maior debet esse vniuersalis negatiua, & minor ex A. vniuersalis affirmatiua, & ex vltimo E. conclusio erit vniuersalis negatiua, sic arguendo. Nullum vitium est virtus, omnis iustitia est virtus, ergo nulla iustitia est vitium. Reducitur autem ad Cælarent, maiori conuersa simpliciter, idest, in vniuersalem negatiuam sic. Nulla virtus est vitium, omnis iustitia est virtus, ergo nulla iustitia est vitium.

Camestres. Secundus modus dicitur Camestres, qui ex A. habet maiorem vniuersalem affirmatiuam, ex E. minorem vniuersalem negatiuam, & ex vltimo E. conclusionem vniuersalem negatiuam, vt dicendo, Omne animal est viuens, nullus lapis est viuens, ergo nullus lapis est aĩal. Reducitur vero ad Cælarent conuertendo minorem simpliciter, idest, in vniuersalem negatiuam, & trãsponendo maiorem in minorẽ sic arguẽdo. Nullum viuens est lapis, omne animal est viuens, ergo nullum animal est lapis.

Festino. Tertius modus dicitur Festino, qui ex E. habet vniuersalem negatiuam, ex I. minorem particularem affirmatiuam, & ex O. particularem negatiuã, vt dicendo. Nullus asinus est homo, Sortes est homo, ergo Sortes non est asinus.

Baroco. Quartus & vltimus modus dicitur Baroco, qui ex A, habet vniuersalem affirmatiuam, ex O. minorem particularem negatiuam, & ex vltimo O, particularem negatiuam, vt arguendo, Omnis virtus est laudabilis, auaritia non est laudabilis, ergo auaritia non est virtus. Reducitur autem ad Barbara per impossibile sumendo oppositum conclusionis, verbi gratia, in argumento dicto, conclusio erat, auaritia non est virtus, modo sumatur eius contradictoriũ, scilicet, non auaritia est virtus, minor erat, auaritia non est laudabilis, eius contradictorium erit, auaritia est laudabilis, sic ergo arguatur in Barbara, Omnis virtus est laudabilis, omnis auaritia est virtus, ergo omnis auaritia est laudabilis. Quomodo autem hic modus arguendi possit esse verus alibi dicemus, nunc.n. tantum tangere volumus quæ docent modum arguendi, fugiẽtes omnem inutilem prolixitatem, maxime illam, quæ deseruit solum puris Logicis.

LECTIO VI.

De tertia figura.

Sequitur de tertia figura. Cuius tales dantur regulæ. In tertia figura minori existente negatiua nihil sequitur. Item in tertia figura conclusio debet esse particularis. Tertia figura sex habet modos.

Darapti. Primus modus constat ex vniuersali affirmatiua maiori, & vniuersali affirmatiua minori, particularem affirmatiuam directe cõcludentibus, vt

Omnis homo est substantia.
Omnis homo est animal, ergo
Quoddam animal est substantia,

Et reducitur ad tertium modum primæ figuræ, minori conuersa per accidens.

Felapton. Secundus modus constat

stat ex universali negatiua maiori, & vniuersali affirmatiua minori, particularem negatiuam directe concludentibus, vt

Nullus homo est lapis.
Omnis homo est animal, ergo.
Quoddam animal non est lapis,

Et reducitur ad quartum modũ primæ figuræ, minori conuersa per accidens.

Disamis. Tertius modus constat ex particulari affirmatiua maiori, & vniuersali affirmatiua minori, particularem affirmatiuam directe cõcludentibus, vt

Quidam homo est substantia,
Omnis homo est animal, ergo.
Quoddam animal est substantia.

Et reducitur ad tertium modum primæ figuræ, minori, & conclusione cõuersis simpliciter, & per transpositionem pręmissarum.

Datisi. Quartus modus constat ex vniuersali affirmatiua maiori, & particulari affirmatiua minori, particularem affirmatiuam directe concludentibus, vt

Omnis homo est substantia,
Quidam homo est animal, ergo.
Quoddam animal est substantia.

Et reducitur ad tertium modum primæ figuræ, minori conuersa simpliciter.

Brocardo. Quintus modus cõstat ex maiori particulari negatiua, & minori vniuersali, affirmatiua, particularem negatiuam directe concludentibus, ut

Quidam homo non est lapis,
Omnis homo est animal, ergo.
Quoddam animal non est lapis.

Et reducitur ad primũ modum primæ figurę per impossibile, sumitur enim oppositum contradictorium conclusionis cum altera pręmissarum, & inferatur oppositum alterius præmissæ, ut Omne animal est lapis, omnis homo est animal, ergo omnis homo est lapis, hęc autem conclusio facta per impossibile in primo modo primæ figuræ, contradicit maiori quinti, scilicet tertiæ figuræ.

Ferison. Sextus modus constat ex maiori uniuersali negatiua, & minori particulari affirmatiua particularem negatiuam directe concludentibus, ut

Nullus homo est lapis,
Quidam homo est animal, ergo
Quoddam animal non est lapis.

Et reducitur ad quartum modum, primæ figuræ, minori conuersa simpliciter.

Tertia figura est illa in qua concluditur particularis affirmatiua, vel negatiua tantum. Circa quam primo notandæ veniunt duę regulę, quibus regulatur, ne in ea accidat error. Prima ergo regula est, ne minor sit negatiua, aliter ex veris concluderetur falsum, vt arguendo, Omnis homo est aĩal, nullus hõ est asinus, ergo asinus non est aĩal. Secunda regula est, vt nunquam conclusio sit vniuersalis, aliter ex veris syllogizabitur falsum, vt hic, Omnis homo est animal, omnis homo est substantia, ergo omnis substantia est animal; conclusio enim est falsa, cum detur substantia inanimata, quæ consequenter non est animal, & tamen pręmissæ verę sunt, ergo in tertia figura minor erit affirmatiua, & conclusio particularis, siue sit affirmatiua, siue sit negatiua. *Regula, tertia figura.*

Secundo

Secundo notandum, quod Secunda figura plures habet modos quorum primus dicitur. Darapti, qui ex primo A. habet maiorem vniuersalem affirmatiuam, ex secundo A. minorem vniuersalem affirmatiuam, & ex I. conclusionem particularem affirmatiuã, vt dicendo, Oĩs homo est substantia, omnis homo est animal, ergo quoddam animal est substantia; Hic modus reducitur ad Darij, minore conuersa per accidens. i. in particularem affirmatiuã sic, Omnis homo est substantia, quoddam animal est homo, ergo quoddam animal est substantia.

Darapti.

Secundus modus dicitur Felaptõ, qui ex E. habet maiorem vniuersalem negatiuam, ex A. minorem vniuersalem affirmatiuam, & ex O. conclusionem particularem negatiuam, vt dicendo. Nullum animal est mortuum, omne animal est viuum, ergo viuum non est mortuum. Et reducitur ad Ferio, minore conuersa per accidens, idest, in particularem affirmatiuam sic, Nullum aĩal est mortuum, quoddam viuum est animal, ergo quoddam viuum non est animal.

Felapton.

Tertius modus dicitur Disamis, qui ex I. habet maiorem particularem affirmatiuam, ex A. minorem vniuersalem affirmatiuam, & ex I. conclusionem particularem affirmatiuam, vt dicendo, Quidam homo est iustus, omnis homo est animal, ergo quoddam animal est iustum. Et reducitur ad Darij, conuersa maiore simpliciter, idest, in vniuersalem affirmatiuam, & transponendo præmissas, ita vt maior fiat minor, & maior conuersa simpliciter fiat minor, & concludatur conclusio conuersa simpliciter, vt hic, Omnis homo est animal, quoddam iustum est homo, ergo quoddam iustum est animal.

Disamis.

Quartus modus dicitur Datisi, qui ex A. habet maiorem vniuersalem affirmatiuam, ex I. minorẽ particularem affirmatiuam, & conclusionem particularem affirmatiuam, vt syllogizãdo, Omnis homo est substantia, quidam homo est animal, ergo quoddam animal est substantia. Et reducitur ad Darij, conuersa minore simpliciter, vt hic, Omnis homo est substantia, quoddam animal est substantia, ergo quoddam animal est substantia.

Datisi.

Quintus modus dicitur Brocardo, qui ex O. habet maiorem particularem negatiuam, ex A. minorem particularem affirmatiuam, & ex vltimo O. conclusionem particularem negatiuam, vt dicendo, Quidam homo non est iustus, omnis homo est rationalis, ergo quoddam rationale non est iustum. Et reducitur ad Barbara per impossibile sic, Omne rationale est iustum, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est iustus.

Brocardo.

Sextus modus est Ferison, qui ex E. habet maiorem vniuersalem negatiuam, ex I. minorem particularem affirmatiuam, & ex O. particularem conclusionem negatiuam, vt syllogizando, Nullum vitium est virtus, quoddam vitium est præmium, ergo quoddam præmium non est virtus, Et reducitur ad Ferio, conuersa minore simpliciter, vt patet hic, Nullum vitium est virtus, quoddam præmium est vitium, ergo quoddam præmium non est virtus; & hæc summarie dicta sufficiant de modis figurarum prout in vsu facere possunt.

Ferison.

LE-

LECTIO VII.

PRo vltimo complemento huius libri summarie in hac lectione ponemus regulas defensiuas modorum trium figurarum, quibus diligenter inspectis, nullus poterit accidere error, ita quod semper verum erit ex veris, & falsum nunquam ex veris erit.

Mediũ non sit æquiuocum, nec analogũ attributionis.

Prima igitur regula generalis est, vt Primo nunquam medium sit terminus æquiuocus, vnde non valet, Omnis canis latrat. Stela est canis, ergo stela latrat, nam canis est terminus æquiuocus. Secundo nec habet esse terminus analogus plura significans secundum esse, vnde non valet, Omne sanum est animal, Vrina est sana, ergo vrina est animal, nam sanum est analogum analogia attributionis, quæ in vno tantum saluatur intrinsece, & in alijs extrinsece. Poterit tamen medium esse analogum significans vnam rationem secundum prius, & posterius, quod dicitur analogum inæqualitatis, vel significans vnum esse proportionaliter, quod est analogum analogia proportionalitatis, vnde valet, cuilibet enti debetur esse, substantia est ens, & accidens est ens, ergo substantiæ, & accidenti debetur esse.

Præmissæ nõ sint hypotetica.

Secunda regula communis est, vt neutra præmissarum sit Hypothetica, sed cathegorica, quia sicut supra dictum est syllogismus constat ex duabus cathegoricis, vnde non valet in Barbara, omne animal si est rugibile est leo, omnis homo est animal si est rugibile, ergo omnis homo est leo, nam conclusio hic est cathegorica, & præmissæ sunt hypothetica conditionales.

Maior non repetatur in minori.

Tertia regula est, vt maior nullo modo replicetur in minori, neque secundum partem, neque secundum totum, vnde defectu huius non sequitur in Barbara, omne secundum immediate sequitur primum, omne tertium immediate sequitur secundum, ergo omne tertium immediate sequitur primum, quia ly secundũ replicatur in minori.

Termini teneantur eodem modo.

Quarta regula est, vt termini assumpti in præmissis, & conclusione teneantur æque ample, & æque stricte quia si in præmissis teneantur ample, & in conclusione stricte, siue econuerso, nunquam argumentum valebit, vt si dicamus in Camestres, omne mortuum, & corruptum est non ens, nullus homo est non ens, ergo nullus homo est mortuus, nam ly homo in minori stat pro præsentibus tantum, in conclusione pro præsentibus, & præteritis.

Syllogismus non fiat ex quatuor terminis.

Quinta regula est, ne fiat syllogismus ex quatuor terminis, neque implicite, neque explicite, aliter accidit error, vnde non valet in Barbara, Quicũque dicit Sortem esse animal, dicit verum. Quicumque Sortem dicit esse asinum, vere dicit Sortem esse animal, quoniam asinus est animal, ergo quicunque dicit Sortem esse asinum, dicit verum; defectus enim prouenit in syllogismo hoc, quoniam virtualiter est ex quatuor terminis, nã in maiori stat tantum pro animali rationali, in minori tantum pro irrationali.

Mediũ non ponatur in conclusione.

Sexta regula est, ne medium, seu aliqua pars medij ponatur in conclusione, vnde non sequitur in Baroco Omnis homo differt ab asino, Brunellus non differt ab homine, nam hic mediũ quod est hoc, differt ab asino ponitur quoad aliquam eius partem in conclusione, scilicet, differt, vnde debet sic concludi, ergo Brunellus non est homo, quod est verum.

Septima regula est, ne fiat transi-

tus a suppositione ad suppositionem sibi repugnantem. Sciendum est autem, quod multiplex est suppositio, vnde primo diuiditur in discretam, & communem. Discreta est, quæ determinatur discreto termino, vt est Sortes, Plato, vel termino communi cum pronomine demonstratiuo, vt hic, iste, &c. Communis est, quæ non est determinata, sed accipitur pro termino communi, vt sunt homo, animal, & similia; Communis autem suppositio diuiditur in materialē, & formalem. Materialis est acceptio termini communis, secundum se, & sine aliquo addito, vt dicendo homo, vel animal. Formalis est cum suo significato, verbi gratia, vt homo currit. Formalis autem diuiditur in simplicem & personalē. Simplex est significatum termini communis substantiui, secundum se acceptī, & non prout est in suis inferioribus, vt dicendo. Homo est species, & animal est genus. Personalis est significatum termini communis substantiui pro suis inferioribus, absque aliquo signo distributiuo, vt patet in hac, homo currit. Insuper quædam est suppositio confusa, quæ est acceptio termini communis substantiui pro suis inferioribus, cum aliquo signo vniuersali, quæ si importet dici de omni Posterioristicum, dicitur suppositio rei, quæ debet omnibus suis inferioribus conuenire, & semper. Et si tantum importat dici de omni Prioristicum, sufficiet, vt facit propositionem vniuersalem, non requirendo, quod ita in re sit, vt si dicamus, Omnis homo est bonus. Insuper alia est suppositio distributiua, quæ stat pro omnibus, & singulis seorsum, & alia collectiua, quæ non stat pro illis nisi, vt simul sunt. Et alia dicitur distributiua absolute, & alia accommode, idest, ad sensum propositum, & explicatum in distributione. Si igitur fiat transitus a suppositione, ad suppositionem sibi repugnantem accidit error. Repugnant autem materialis, & formalis, simplex, & personalis, determinata, & confusa, distributiua, & collectiua, distributiua absolute, & accommode; & ideo in syllogismis hæc præ oculis sunt habenda.

Nō fiat trāsit' a suppositione ad suppositionē repugnantem

Octaua regula est, vt sincathegoremata recte disponantur in præmissis, & conclusione, vnde non valet in Darij, Omne risibile est animal. Homo præcise est risibilis, ergo præcise homo est animal, prouenit enim error, quoniam hoc sincathegorema præcise non fuit positum in maiori, & nihil amplius debet poni in conclusione, quod non fuerit assumptum in maiori.

Sincathegoremata sint recte disposita.

Nona regula est, vt conclusio trahatur tantum, prout deducitur ex præmissis, & non aliter, vnde non valet in Festino, Nullum animal præter hominē est rationale. Risibile est rationale, ergo risibile nō est animal, non valet inquam, quia in minori non debet subsumi aliquod quod sit idem cum homine, vt est risibile, sed aliquod quod sit diuersum, vt lapis, leo, & similia. Multi alij possunt esse errores in particularibus modis, sed quia hos longum esset velle notare, ideo semper ante oculos habebis supradictas regulas generales, & non errabis, sed & hanc rem in libro sequenti, qui est de fallacijs magis explicabo.


Cōclusio sit ex virtute præmissarū

LI-

LIBER TERTIVS, DE FALLACIIS.



LECTIO PRIMA.



Cognitio fallaciarũ necessaria.

QVANTVM sit necessaria cognitio fallaciarum hæc vna ratio maxime persuadet, quod cognita fallacia, veritas in omnium oculis apparet, & ea non cognita, etiam si luce meridiana esset clarior, nube fallaciæ obtecta obscuritas, & falsitas appareret. Vt igitur obtecta veritas in lucem prodeat & error nullus in veritate permaneat, breuiter summando quæ a S. D. dicuntur de fallacijs, seu syllogismo sophistico apperire contendam.

De syllogismo sophistico est scientia.

Primo autem generaliter notandum venit, quod de syllogismo sophistico est scientia, sed cum his conditionibus. Prima est, vt consideretur in ordine ad sua principia, passiones, & proprietates, non vero prout in vsu est, quia sic est fallax, & nõ docet, sed decipit. Secunda, vt hæc scientia dicatur speculatiua, & rationalis, quia scientia denominatur ab obiecto, & non a subiecto in quo est, vnde quamuis sit in intellectu in hæsiue, & realiter, vt accidens, non tamen ex hoc dicitur scientia, sed quia respicit ens verum, vel apparẽs verum, quod est ens rationis. Tertia, vt accipiatur syllogismus quoad formam, & non quoad materiam, quia sic consideratur a Posteriori-stico.

Secundo notandum, quod syllogismus sophisticus vocalis proprie requiritur in disputatione. Vnde sciendum, quod disputatio dicitur actus syllogisticus, vnius ad alterum, ad aliquam propositionem ostendendam. Ex qua diffinitione habemus, quod ad disputationẽ quatuor sunt necessaria. Primum, est actus disputandi, qui consistit in actione disputatiua. Secundum, sunt personæ disputantium, quæ debent esse duæ, scilicet, persona opponentis, & respondentis. Tertium est instrumentum disputandi, & hoc erit Syllogismus, vt includit etiam Enthimema, & Inductionem, & Quartum est Finis disputationis de quo infra. *Vbi multa*

Disputatio multiplex.

Tertio notandum, quod disputationis quatuor sunt species. Prima dicitur Demonstratiua, quæ facit scire, & procedit ex proprijs, veris, necessarijs, immediatis, notioribus, & prioribus, &c. Secunda dicitur Dialectica, quæ tantúm generat opinionẽ cũ tantũ ex probabilibus procedat. Tertia dicitur Tentatiua, quæ ordinatur ad sumendum experimentum de aliquo, per ea quæ videntur respõdenti, & solet fieri ad probandam scientiam eius, qui fingit scire. Quarta dicitur Sophistica, quæ sic definitur. Disputatio sophistica est illa, quæ tendit ad vanam gloriã,

vt disputans videatur sapiens,&ideo procedit ex his quæ videntur probabilia, & non sunt, & de hac vltima hic sumus acturi.

Sophista intendit decipere.

Quarto notandum, quod cū omnis actio habeat aliquem finem propter quem fit actio, disputatio sophistica habebit pro fine aliquod inconueniens, ad quod arguēs intendit reducere ipsum respondentem,& hoc inconueniens dicitur meta,seu finis sophisticę,vnde meta nō sumitur proprie pro termino alicuius viæ, vel vitæ, sed metaphorice, scilicet, pro termino disputationis sophisticę, vnde meta dicitur inconueniens, ad quod sophista opponens nititur deducere suum respondentem. Quoniam igitur sophista tendit ad vanā gloriam, q̄ putat se posse cōsequi p victoriā, deducendo suū respondentē ad aliquod incōueniens, ideo eius meta, seu finis dicitur esse inconueniens respondentis.

Quomodo hoc faciet.

De facili autem sophista deducet ad inconueniens suum respondētē, si has cautelas adhibeat. Prima, vt festinet,& vrgeat respondentem, ad hoc, vt cito respondeat, ne possit discurrendo admuenire refugium. Secunda, quærat respondentem ad iram commouere, quia ira impedit animum, ne possit cernere verum. Tertia, immisceat multas propositiones,& faciat longos syllogismos, vel cum multis consequentijs, immiscendo falsas veris, ad hoc, vt respondēs oppressus multitudine propositionum, obliuiscatur alicuius iam concessæ propositionis. Quarta est, vt propositionem concessam in particulari, vel in aliquo sensu arguat. Quinta est, quod arguens approbat dicta respondentis, vt eum minus cautum reddat,& postea illum decipiat. Sexta, vt dicat, se nolle disputare ad uincendum, sed ad discendum, vt respondentem magis facile ad sibi aliquid concedēdum habeat, ex quo tandem facilius ipsum ad inconueniens deducat. Septima erit, vt arguēs quærat deducere respōdētē ad aliq̄ materiā extraneā, in qua minus sit peritus, vt ipsum tanquam illius inscium in foueam impellat.

Incōueniēs quintuplex.

Quinto notandum, quod meta, seu inconueniens ad quod arguens intendit deducere suum respondentem quintuplex est. Primum dicitur inconueniens absolute ex parte rei, quia concessum, est absolute, & manifeste falsum, vt quod omnis canis currat, cū nec canis Cælestis, nec Marinus currant,& hæc prima species metæ dicitur falsum. Secunda species metę dicitur redargutio, quę nihil aliud est nisi negatio præconcessi, vel prænegati concessio, via argumentationis, in eadem disputatione, vnde qui concedit, impulsus vi argumentationis, illud quod prius negauit, vel negat, quod prius concessit, talis dicitur redargutus, verbi gratia, quis concedit, quod omnis homo currit, deinde coactus vi argumentorum negat quendam hominem currere, scilicet, claudum, vel ligatum, tunc hic dicitur, redargutus, quia si omnis homo currit, ergo & quidam homo. Tertia species dicitur inopinabile, scilicet, inconueniēs concessum, quod est contra opinionē, vel omnium, (verbi gratia, quod cælum non sit maius terra) vel plurium, & præcipue sapientum, vnde Thomista, qui profitetur doctrinam Thomisticam, si concedat aliquid quod sit contra sententiam. S. Thomæ, dicitur incidisse in tertia specie metæ, scilicet, in inopinabile & idem dicimus de alijs. Quarta species metæ dicitur soloecismus, scilicet error in contextu partium orationis, contrā regulas artis Grammaticæ, vt dicendo. Vir alba. Quinta species dicitur nugatio, idest, vanius, & eiusdem

secun-

secūdum idē inutilis repetitio, vt dicēdo, homo, homo est rationalis, nā ly homo primo appositum, est secūdum vocem, & secundum significatum inutiliter positum. Prima species, idest, Falsum, dicitur esse contra scientiam naturalem, & mathematicam, quæ sunt de manifestis, Redargutio est contra euidentiam primi principij dictantis contradictoria non posse simul esse vera. Inopinabile est contra Dialecticam, quæ est de probabilibus, vel apud omnes, vel apud plures, præcipue sapientes. Solecismus est contra Grammaticam, docentem rectum modum loquendi, & Nugatio est contra Rhetoricam docentem ornate loqui.

Fallacia habent suas sedes. Sexto notandum, quod omnes fallaciæ similitudinarie dicuntur habere sua loca, & suas sedes, quia argumentatio in illis fundatur, & quiescit. Locus autem sophisticus dicitur apparens habitudo termini inferentis ad terminum illatum, quia facit apparere argumētum bonum, cū tamen tale non sit. Diuiditur autē locus sophisticus in locum apparentem maximum, qui talis dicitur propter magnam conuenientiam quam videtur habere cum maximis veris, & in locum differentiæ maximum. Diffinitio autem loci sophistici, & fallaciæ vna est.

Sunt vel in dictione, vel extra dictionem. Septimo notandum, quod fallaciæ, seu loci sophistici. Primo diuiduntur in loca sophistica in dictione, & extra dictionem. Loca autem sophistica in dictione illa dicuntur, quæ sumunt causam apparentiæ ex parte vocis, vnde ex illa apparentia accidit error, putando, quod quidquid dicitur de vno, dicatur, & de altero, verbi gratia, canis terrestris, marinus, & cœlestis vocantur vno nomine, seu vna dictione canis, ideo accideret error, si putaremus, quod canis, verbi gratia, cœlestis latraret, sicut terrestris facit. Fallaciæ autem extra dictionem illæ dicuntur, quæ sumunt causam apparentiæ ex parte rei, verbi gratia, si putaremus propter coniunctionem hominis, & leonis in animali, quod quidquid dicitur de leone, dicatur etiam de homine. Dictio autem hic non sumitur tantum pro termino incomplexo, verbi gratia, nomine, vel verbo, verum etiam pro termino complexo, & pro oratione, cum amphibologia, compositio, & diuisio habeant fieri in oratione, modo imprimis agemus de fallacijs in dictione.

LECTIO II.

De fallacijs in dictione.

Fallacia æquiuocationis. Prima fallacia in dictione dicitur fallacia æquiuocationis, quæ oritur ex voce, quæ quamuis sit vna secundum sonum, tamen secūdum significatum est multiplex v. g. hæc vox Canis, est vna, sed significato est multiplex, quia significat Canem Marinum, Terrestrem, & Cęlestem, vnde si quis sic argueret, omnis canis natat, sidus cæleste est canis, ergo natat, tunc commissa est æquiuocatio in maiori, quia non omnis canis natat, sed tantum canis marinus. Cum igitur, vel in maiori, vel in minori assumitur terminus æquiuocus, .i. plura habens significata, tunc fit fallacia æquiuocationis.

Quomodo sit vitanda. Ad hanc igitur euitandam ista sūt inspiciēda. Primo quod semper terminus multiplex distinguatur, vbi reperitur, siue in maiori, siue in minori, & si in vtraque, in vtraque v. g. si arguēs arguit, Omnis canis latrat, Canis cælestis est canis, ergo latrat, nam quia æquiuocatio est tantum in maiori, ideo tantum maior erit distinguenda sic, Omnis canis latrat.

Resp.

Respõdetur triplex est canis. Vnus dicitur terrestris, & hic latrat, alius dicitur marinus, & hic nõ latrat, sed natat, alius dicitur cælestis, & hic nec latrat, nec natat. Secũdo animaduertẽdũ est, vt significatũ sit idẽ non solum in substantia, verum etiam secundum modum, aliter accidit æquiuocatio, vt si arguatur. Quidquid expedit, bonum est. Sed interficere proximum expedit, cũ fiat propter publicam iustitiam, quæ non est nisi recta, & bona, ergo interficere proximum bonum erit, nam maior venit distinguenda, Quod duplex est expediens, quoddam absolute, quod absolute bonum, & semper dicitur. Aliud dicitur expediens data aliqua circũstantia, v. g. delicti, & hoc non dicitur bonum absolute, sed solum quando adest illa circunstantia. Ita etiam committitur æquiuocatio, si in maiori medium teneatur in vno sensu, & in minori in alio, vnde semper inspiciẽda est cõformitas sẽsus, & significati. Tertio inspiciendũ est, vt fiat conatus directus ad manifestandam apparentiam, & non existentiã veritatis. Hæc autẽ fit soluẽdo, & explicando æquiuocationem in termino, & non subterfugiendo, & dicendo argumentum committere fallaciam, & non ostendendo quã, vel similia. Quarto cogitãdũ est, si significatum sit omnino diuersum, quia si vnus terminus plura significet, vel vniuoce, vel analogice, secundum quendam ordinem, non esset æquiuocatio.

Fallacia Amphibologia. Secũda Fallacia in dictione dicitur fallacia amphibologiæ. Differt autẽ hæc fallacia a fallacia æquiuocationis, quia ista est in vno termino incomplexo, sed fallacia amphibologiæ semper est in oratione & complexione. Hæc autem fallacia dicitur oratio plura significans. Huius autẽ sũt tres modi. Primus prouenit ex eo quod vna, & eadem oratio secũdum substantiam, & modum proferendi plura significat principaliter, propter diuersam habitudinem cõstruibilium in eadem oratione, v. g. hæc oratio, lib. Arist. manente eadẽ constructione & oratione potest habere duas habitudines. Prima possidentis ad rẽ possessam, vt sit sẽsus, hic liber possidetur ab Arist. Secũda, effectus ad causam. i. hic liber compositus est ab Arist. vnde accidit amphibologia sic arguẽdo, Quidquid est Arist. possidetur ab Arist. Hic liber est Arist. ergo possidetur ab Arist. nam in maiori tenetur possessiue, & in minori effectiue. Secundus modus est quando oratio plura significat principaliter propter diuersam constructionem, quia v. g. aliqua dictio potest constrni cum aliqua dictione intransitiue. i. in recto, & trãsitiue. i. in obliquo, in quo semper denotatur diuersitas, vt sic dicẽdo. Quicunque sunt Episcopi, sunt homines, sed isti asini sunt Episcopi, ergo isti asini sũt homines, nam hic error accidit ex minori, quia dupliciter potest construi. Primo intransitiue. s. in nominatiuo, vt sit sensus asini sunt Episcopi, & sic est falsa, quia Episcopi sunt homines rationales, & asini animalia irrationalia. Secundo transitiue. s. in obliquo idest, in genitiuo casu vt sit sensus. Isti asini possidentur ab Episcopo, & sic est vera, vt igitur euitetur error non debet mutari casus sed sẽper idẽ seruari. Tertius modus est, quando oratio plura significat, sed vnum proprie, & aliud metaforice, vt si dicamus. Quando litus arratur terra aratur, Sed quando indocilis docetur, litus arratur, ergo quando indocilis docetur, terra aratur. Hic enim accidit error, quia in maiori litus proprie sumitur, vt est ex elemento terræ, & in minori sumitur metaphorice scilicet, vt intel-

lectus

lectus indocilis propter suam indocilitatem dicatur durus, sicut est littus durum ad scindendum, ne ergo accidat hoc modo error; maior, & minor debent teneri tantum proprie vel tantum metaphorice, & ex his habes etiã tres species æquiuocationis.

Tertia fallacia in dictione dicit͛ fallacia cõpositionis, & diuisionis, quæ accidit ex potentiali multiplicitate vni⁹ orationis, quia.s. potest sumi, & cõiunctim, & diuisim, seu in sẽsu cõposito & diuiso, vnde cum ex sensu composito fit trãsitus ad sensum diuisum, tunc accidit hæc fallacia, sed quãdo oratio in sensu composito &c. reducitur falsa, dicitur fallacia cõpositionis, & quando in sensu diuiso dicitur fallacia diuisionis, vnde ad eam cauendam, semper maior & minor debent sumi in eodem sensu, vel composito, vel diuiso. Huius autem fallaciç tres modi esse dicuntur. Primus dicitur, quando dictũ potest supponi verbo, vel ratione totius, vel ratione partis, si enim supponatur verbo ratione totius, erit oratio cõposita, si ratione partis, diuisa, si autem in sensu composito erit falsa, erit fallacia compositionis, & in sensu diuiso diuisionis, & si in vtroque nulla erit fallacia, quod, & in alijs multiplicitatibus intelligimus. Paralogismus huius primi modi sic fieri potest. Quemcũque possibile est esse album, possibile est quod ipse sit albus, sed nigrum possibile est esse album, ergo possibile est quod album sit nigrum. Error enim fit in minori quia potest dupliciter sumi, Primo pro subiecto.i.nigro, & forma.i.albo simul, & sic facit sensum falsum, quia sit sensus, quod nigrum, vt nigrum possit esse album, ꝙ implicat Secũdo potest sumi tantum pro subiecto, vt sit sensus, quod illud quod modo est nigrum, v. g. lignum potest fieri album, & hoc est verum. Ne igitur fiat fallacia debent propositiones, vel simul pro subiecto, & forma teneri, vel tantum pro vno in vtraque. Secũdus modus prouenit ex eo, quod aliquod prædicatum in quo plura adducantur, per coniũctionem copulatiuam, vel disiũctiuam potest attribui subiecto, & coniunctim, & diuisim, v.g. duo, & tria possunt attribui numero quinque dupliciter. Primo cõiunctim, vt sit sensus, duo & tria sunt quinq̃, si simul accipiãtur, Secũdo diuisim, & seorsum, vt sit sensus, neque duo, vt duo, neque tria, vt tria sunt quinque, vnde sic fit paralogismus. Quicũque numerus componitur ex duobus, & tribus, est duo, & tria. Sed numerus quinque non componitur ex duobus, & tribus, error.n. euenit q̃a in maiori sumitur disiunctim, & in minori coniunctim. Ad euitandũ ergo errorem eodem modo debent sumi. Tertius modus est, quãdo vna dictio põt cõiũgi diuersis orationibus positis.i. quando eadem determinatio refertur ad diuersa determinabilia, vnde si coniungatur cum illa dictione cũ qua magis apta nata est coniungi sic erit composita, & si in illo sensu est falsa, erit fallacia compositionis, & e contrario erit fallacia diuisionis v.g. Quicũque viuit, sẽper erit, Iste asinus viuit, ergo sẽper erit, nam fit fallacia ex ly semper, quia si cadit supra verbum erit, facit sensum compositum, quod quicunque viuit modo, semper.i. pro quocunque differentia temporis erit, & hoc est falsũ, si vero cadit supra ly viuit, facit sensum diuisum, vt intelligamus, quicunque viuit pro eo tempore pro quo uiuit, pro eo erit, & sic est vera. Cætera patent.

LECTIO III.

Qvarta fallacia in dictione dicitur accentus, quæ sic potest definiri. Fallacia accentus est deceptio, proueniens ex diuerso significato dictionis *Fallacia accentus.*

ctionis pronunciatæ, quia scilicet ex diuerso modo pronunciandi dictionem causatur diuersum significatũ, vnde causa deceptionis materialis est vnitas dictionis, & caussa formalis est diuersitas significati eiusdem dictionis. Quatuor autem modis committitur hæc fallacia, quia quatuor modis variatur significatum dictionis pronunciatę. Primus modus est, quia dictio, vel aliqua syllaba potest variari per diuersos tonos, siue accentus, qui sunt tres scilicet acutus, grauis, & circumflexus. Acutus est qui eleuat syllabam, ut in hac dictione Martinus apparet, nam media syllaba eleuatur, Grauis dicitur qui deprimit syllabam, vt in hac dictione Dominus, vbi media syllaba deprimitur, & Circumflexus est, quia eleuat & deprimit syllabam. Si igitur vna dictio in maiori fiat in vno tono, & in minori in alio, tunc accidit fallacia fallaciæ accentus secundum primum modum, vt si dicamus, Quęcũque iustum est pendere, iustum est pati pœnam, Sed iustos viros iustum est pendere, ergo iustos viros iustum est pati pœnam, Nam in prima, pendẽte proferebatur acuto accentu, & significabat pendere a furca, vel a supplicio, & venit a pendeo, pendes, In minori vero sumitur pro ponderare, & examinare, & venit a verbo actiuo, pendo, pendis. Vt igitur euitetur fallacia, dictio in eodem tono sumi debet, vel semper acute, vel graue, vel circumflexe. Secundus modus prouenit, quia dictio uariatur in significato diuersorum temporum quæ sunt duo, scilicet productum, vt in syllaba lõga, & correptũ in syllaba breui, vt patet in hoc paralogismo. Omnis populus est arbor, Sed aliqua gens est populus, ergo aliqua gens est arbor. Nam in maiori huius dictionis populus, prima syllaba producitur, & sic significat quãdã arborẽ, & in minori corripitur, & sic significat gẽtẽ. Tertius modus prouenit q̃a vna dictio põt leniter, & aspere. i. cũ aspiratione, ꝓferri, vnde fit paralogism⁹ vt si dicamus. Quidquid hamatur, hamo capitur, Sed Deus amatur, ergo Deus hamo capitur. Et non sequitur, quia in maiori ly hamatur ponitur cum aspiratione, & in minori sine aspiratione, vnde in prima significat hamum quo piscis capitur, & in minori significat amare, & diligere. Quartus modus prouẽit, quia vnus terminus potest proferri vt vna dictio, vel vt plures, vt hic Tu es, qui es, Sed quies est requies, ergo tu es requies. Et non valet, quia in maiori sumitur, vt vna oratio, & significat esse, & in minori sumitur, vt vnus terminus orationis & significat quietem, vt ergo omnis fallacia tollatur seruanda est semper vniformitas, siue accentus, siue temporis, siue speciei, siue numeri syllabarum.

Quinta fallacia in dictione, dicitur fallacia dictionis, quæ oritur ex similitudine vnius dictionis cũ alia. *Fallacia dictionis.* Notãdum est igitur, quod in dictione tria sunt. Primum est vox, quæ habet similitudinem cum alia voce v.g. uox Catelina cum uoce fœminina, cum tamen ponatur nomen viri. Secundum est res significata, quia scilicet vna res significata habet similitudinem cum alia re significata per similem dictionem. Tertium est modus significandi, quia v.g. abstractum habet modum significandi substantiæ. i. subsistentis vt albedo vt sic, & concretum habet modum significãdi accidentis, vel inhærentis, vt v.g. album. Hæc fallacia non pendet ex similitudine rei significatæ, quia sic nõ esset fallacia in dictione, sed extra dictionem, i. ex parte rei. His stantibus dicimus tres esset species huius fallaciæ. Prima nascitur, quia dictio quæ significat masculinum genus, trahi-

ttahitur ad significandum fœmininum, vel neutrum, & econuerso, vt sic paralogizemus, Quæcũque coloratur albedine est alba. Sed Catilina coloratur albedine, ergo Catilina est alba, nam prouenit error quia Catilina videtur esse nomẽ fœminæ, cum tamen sit nomẽ viri. Secundus modus est, quando vna dictio significat per modum vnius prędicamenti, & videtur significare per modum alterius prædicamẽti. Hic autem modus, vt plurimum multipliciter fit. Primo, mutando quid, in quale, vt hic, Quicquid heri vidisti, hodie vides, Album heri vidisti, ergo album hodie vides, Nã mutatur quid, idest res visa in quale, i. in uisione, vel in videre, & ideo pullulat error. Secundo, mutando quantum in quale, vt hic, Quodcũque comedisti emisti, Carnes crudas emisti, ergo carnes crudas comedisti. Nam in maiori fit sensus, quod emptum fuit comestũ, & in minori fit transitus ad qualitatem, scilicet, quod carnes comestæ fuerunt crudæ, quod non erat assum ptum in maiori. Tertio, mutando vnam speciem in aliam, vt hic, Quot digitos olim habuisti, nunc habes. Sed paruos digitos olim habuisti, ergo paruos digitos nunc habes. Nam in maiori fit mentio de quantitate discreta, idest, de numero digitorum, & in minori de quantitate continua, idest, de magnitudine, & paruitate digitorum in quantitate, vnde serpit error. Quarto etiam, mutando concretum in abstractum, vel ecõuerso, vt hic, Sortes est albus, sed albedo est qualitas, ergo Sortes est qualitas, Vel albedo est color, sed coloratum est quantum, ergo albedo est quanta. Et concludamus generaliter, quod quando mutatur vnũ prædicamentum in aliud, vel vna species prædicamenti in aliã, vel eadem species, vt habes diuersum modum significandi in abstracto, & cõcreto, tunc fit fallacia secundi modi figuræ dictionis. Tertius modus prouenit, ex eo, quod dictio quæ significat hoc aliquid, videtur mutari in quale quid. Quãdo ergo ad aliquid ex modo significãdi mutatur in quale quid, tunc accidit hic tertius modus.

Circa autem istum modum quædam sunt notãda. Primum est, quod significare hoc aliquid est significare suppositum, v. g. Sortem, vel rem particularem, vt hunc hominem, significare vero quale quid, est significare naturã cõmunẽ generis, vel speciei, v. g. animal, vel hominẽ, de qua re agemus in prędicamẽto substãtię.

Secundum est, quod duplex est hoc aliquid, scilicet vagum, & signatum, fallacia hæc fit quando mutatur hoc aliquid signatum in hoc aliquid vagum, vnde licet arguere, Omnis calor est in corpore, ergo in aliquo corpore, sed non licet dicere, Omnis calor est in corpore, ergo in hoc corpore.

Tertium est, quod non committitur hæc fallacia, si quale conueniens naturę communi applicetur vt quale huic, vt si dicamus. Omnis homo currit, ergo Sortes currit, nam ly currit applicatur vtrique.

Quartum est, quod hæc fallacia nõ solum fit, quãdo mutatur quale quid in hoc aliquid, verum etiam dũ substantiuum mutatur in adiectiuum, vt si dicamus. Omnis prior est monacus, Dialectica est prior, ergo dialectica est monacus. Oritur etiam quãdo mutantur termini secundum diuersas suppositiones, vt si dicamus homo est species, sed Sortes est homo, ergo Sortes est species, nam ly homo in maiori stat pro natura communi, & in minori pro supposito, & ad hunc modum reducitur omnis variatio suppositionis.

LECTIO IIII.

De fallacijs extra dictionem.

Diximus supra quod fallacia ex duplici capite prouenire potest. Primo ex parte vocis, & sic dantur fallaciæ in dictione, de quibus iam actum est. Secundo ex parte rei, quia aliquæ res aliquo modo conuenientes, vel differentes accipiuntur, vt eadem simpliciter, & omnino, vel, vt simpliciter, & omnino diuersæ, & de his modo agendum erit, quæ à S. D. hic septem esse dicuntur, prout septem modis contingit ens diuidi, Primo .n. diuiditur ens, in perse, & in ens per accidens, & ex hac parte datur fallacia prima, quæ dicitur accidentis. Secundo diuiditur in ens perfectum, & imperfectum, & sic pullulat secunda fallacia, quæ dicitur secundum quid, ad simpliciter. Tertio diuiditur in ens oppositum, & non oppositum, & sic datur tertia fallacia, quæ nũcupatur Elenchi. Quarto diuiditur in idem, & diuersum, & secundum hanc accipitur fallacia petitionis principij. Quinto diuiditur in prius, & in posterius, & secundũ hãc sumitur fallacia consequẽtis. Sexto diuiditur per causam, & non causam, & secundum hanc diuisionem pensatur fallacia nõ causæ, vt causa. Septimo diuiditur in vnum, & multa, & secundum hanc sumitur fallacia secũ dum plures interrogationes vt vna. Antequam autem descendamus ad singulares has fallacias duo sunt annotanda. Primũ est, quod nõ intelligimus ens totum diuidi supradictis diuisionibus, cum etiam diuidatur in ens finitum, & infinitum, actuale, & potentiale &c. sed loquimur de diuisionib⁹ famosis entis, quæ, inseruiunt modis fallaciarum extra dictionem. Secundum est quod vna eademque fallacia potest esse in dictione, & extra dictionem propter varias eius considerationes, quia ratione vocis erit in dictione, & ratione rei extra dictionem.

Fallacia extra dictionẽ septẽ modis committitur.

Prima, ergo fallacia extra dictionem dicitur fallacia accidentis, quæ prouenit ex eo, quod vna dictio duobus assignatur, quæ sunt idem tantũ per accidens, si secundum illam rationem considerentur. Primo ergo notato, quod aliquid alicui inesse potest stare dupliciter. Primo perse, idest, secundum propriam diffinitionem, sicut rationale inest homini secundum eius propriã diffinitionem, quia homo, vt homo dicitur rationalis. Secundo per accidens, & hoc generaliter est omne quod extra propriam diffinitionem rei reperitur, In singulari vero potest esse multipliciter: Primo, quia vnum est substantia, & aliud accidens, Secundo, quia vnum est proprium, & aliud commune. Tertio, quia vnum est de essẽtia rei, & aliud nõ Quarto, quia vnum conuenit rei perse absolute, & intrinsece, & aliud extrinsece, & secundum supradictos modos fallacia accidentis fit.

Secundo notandum est quod aliqua esse idem, vel diuersa stat tripliciter. Primo, idem secundum rem, & rationem, vt vestis, & indumentum. Secundo, diuersa secundum rem & rationem, vt substantia, & accidens, v.g. vt homo, & album Tertio, idem quoad unum, sed quoad aliud, vel alia distingui v. g. homo, & animal sunt idem quoad naturam sensitiuã quam includunt, sed differunt per rationale, & irrationale. In primis nulla potest esse fallacia, quia inter illa quoad rem est tantum omnimoda identitas, vnde fallacia prouenit tantum

tantum in secundis, & tertijs, quia si prima duo sumantur secundum illud in quo conueniunt, & postea fiat transitus ad illud in quo differunt, erit fallacia accidentis, v. g. si arguamus, Animal est quadrupes, homo est animal, ergo homo est quadrupes, hic accidit error, quia quadrupes non conuenit animali, vt idem est cū hoie, sed vt ab eo differt, vnde si sumatur quoad illud in quo conueniunt nulla est fallacia, vt dicendo. Animal est substantia sensitiua, sed homo est animal, ergo homo est substantia sensitiua. Huius autem fallaciæ sunt tres modi. Primus est quando proceditur ab accidente ad subiectum, vel econuerso, vt dicēdo. Cognosco coriscum, coriscus est veniens, ergo cognosco venientem. Nam in maiori coriscus, sumitur vt est ens substātiale, & quodam suppositum, & in minori sumitur vt est veniens, i. vt habet hoc accidens, quod venit, vel deambulat. Similiter hic est fallacia, Iste canis est pater, & tuus, ergo est pater tuus, nam alia ratione canis dicitur pater, & alia ratione dicitur tuus, vnde si vnum attribuatur alteri, cum ei non per se conueniat, sed per accidens, fit hæc fallacia. Secundus modus prouenit, quādo illud quod conuenit superiori concluditur de inferiori, vel econuerso, sicut hic. Homo est animal, animal est genus, ergo homo est genus, nā hic est fallacia, quia in maiori homo & animal accipiuntur secundum, id in quo differunt, quia natura sensitiua vt dicitur de animali distinguitur a specie, & prædicatur de ea vt genus, vnde non valet argumentum a superiori ad suum inferius, vt arguendo, Est animal, ergo est homo, nam negatur consequentia, quia animal accidit ad sensum nostrum homini. Tertius modus prouenit quando proceditur a proprio ad speciem, vel econtra, vt si dicamus homo est risibilis, risibile est proprium, ergo homo est proprium, vel sic, homo est species, homo est risibilis, ergo risibilis est species. Nā hic homo & species cum sumātur secundum id in quo differunt, vnum attribuendo alteri fit fallacia accidentis.

Modi eius tres.

Secunda Fallacia extra dictionē dicitur Fallacia secundum quid, ad simpliciter. Hic simpliciter idem sonat quod sine aliquo addito, v. g. dum dicimus Sortes currit, sed secūdum quid dicitur, cum aliquo addito, vt hic Sortes bene currit, vel est albus dente. Hæc ergo Fallacia prouenit, quia dictum secundum quid accipitur, ac si esset dictum simpliciter. Huius autem Fallaciæ multi dicuntur esse modi. Primus est, quando determinatio addita quæ habet rationem secūdum quid, opponitur ei cui additur quod dicitur simpliciter, vnde non valet. Hic est bonus latro, ergo est bonus, nam ly latro habet oppositionē cum bono, quia nullus latro pōt esse bonus. Secundus modus prouenit, quando determinatio addita pertinet ad actū animæ, vnde cōparata rei existenti se habet secundū quid ad simpliciter, vt si dicamus, Cæsar est in opinione hominum, ergo Cæsar est. Nam in antecedente sumitur, vt est in intellectu, & in consequente, vt in rerum natura. Tertius modus prouenit, quando ad situm quod semper habet rationem secundum quid, significat esse in potentia, vnde non sequitur. Ouum potentiale est animal, ergo est animal. Quartus prouenit, quando determinatio importat partem, & non totum, vnde non valet. Aethiops est albus dente, ergo est albus, quia esse album secundum dentem, non est esse simpliciter, & secundum totum album. Quintus

Fallacia secundum quid, ad simpliciter.

Modi eius

est, quando determinatio addita, cogit terminum cui additur, vt stet materialiter, vt dicendo. Sapiens vult permittere malum, ergo vult malum. Nam permittere malum, non est velle malum, sed non impedire, cum non teneatur impedire.

Sciendum est aũt, quod hæc fallacia dupliciter fallere põt, ita vt additum non facit fallaciam, sed verum argumentum. Primo, quando additum nihil diminuit de ratione eius cui additur, vnde valet. Iste currit velociter, ergo currit, quia ly velociter, non minuit cursum. Secundo fallit præcipue in quarto modo, quando pars determinat totum, vnde valet. Iste est crispus secundum capillos, ergo est crispus, quia crispitudo inest tantum capillis, si vero pars nam determinat totum, erit fallacia vt supra.

LECTIO V.

Fallacia Elenchi.

Tertia Fallacia extra dictionem dicitur Elenchi, quæ dicitur fallacia ex eo, quia non obseruantur ea quæ sunt necessaria ad contradictionem, hæc autem quatuor sunt. Primum est, vt sit contradictio vnius, & eiusdem secundum rem, & nomen, & secundum idem. Si igitur contradictio non fit ad idem, erit primus modus fallaciæ Elenchi, vt si dicamus. Duo sunt duplum ad vnũ, & non sunt duplum ad tria, ergo sunt duplum, & non duplum. Nam negatur sequela, quia fit transitus a ly duo respectu vnius, ad tria, vt sunt tria. Secundo, ad contradictionem requiritur, quod sit oppositio secundum idem, vt si arguamus. Hoc est duplum ad aliud secũdum longitudinem, & non est duplum secundũ latitudinẽ, ergo est duplũ, & non duplum. Facta est equidẽ variatio dupli, a longitudine ad latitudinẽ. Tertio requiritur, quod sit oppositio eiusdem secundum idem similiter. Quarto requiritur, vt sit secundum idem tempus, vnde non valet. Magister legit heri, & non legit hodie, ergo magister legit, & non legit, variatum est enim tempus.

Fallacia petitionis principij.

Quarta Fallacia extra dictionem vocatur petitionis principij, quæ oritur, quando idem assumitur ad probandum idem sub alijs verbis. Huius autem fallaciæ quinque sunt modi. Primus est, quando petitur diffinitum ad probationem diffinitionis, vel econuerso, v. g. quis debet probare, quod homo currit, & ad hoc probandum assumit hoc, quod omne animal rationale currit, tunc enim probatur idem per idem, cum tantum sit homo, quantum animal rationale. Secũdus modus est, quando assumitur vniuersale ad probandum particulare v. g. si debeo probare quod omniũ contrariorum sit eadem disciplina, quod mihi negatur & ego id volo probare, quia omniũ oppositorum eadem est disciplina, nam oppositum, & contrarium idem sonant. Tertius est, quando petuntur particularia ad probandum vniuersale, v. g. quis mihi negat hominem esse risibilem, & ego ad hoc probandum assumo, quod Sortes, Plato, & c. sunt homines risibiles, ergo deduco, homo est risibilis; tunc nihil probatur, quia qui negat primum, negat & secundum. Quartus modus est, quando diuisim petitur quod debet probari cõiunctim. Exemplum sit, debeo probare medicinam esse scientiam ægri, & sani, & ad hoc probandum assumo hoc principium. Medicina est scientia sani, & Medicina est scientia ægri, ergo Medicina est scientia ægri, & sani. Quintus modus est, quando petitur vnum correlatiuorum ad proban-

Modi eius.

ban-

bandum aliud, v.g. volo probare Sortē esse patrē Platonis, & probo, quia Plato est filius Sortis. Notandum autem, quod hi paralogismi nō peccant contra formam argumentandi, quia illatio potest esse in bona consequentia, vel ordine; syllogistico, sed peccant contra substantiam rei probandæ, quia res non probatur, nec per causam, nec per effectū, sed idem probatur per idem.

Fallacia consequentis. Quinta Fallacia extra dictionem dicitur fallacia consequentis, quæ prouenit ex eo, quod consequens existimatur esse idem omnino cum antecedente, & tamen differunt, ita vt necessario non sequatur ex eo. Primus autem modus huius fallaciæ prouenit, quando arguitur a positione consequentis, ad positionem *Modi eius.* antecedentis in propositione conditionali, & ex consecutione magis communis, ad minus commune vt dicendo. Si aliquis est asinus, est animal. Sed tu es animal, ergo tu es asinus, & non sequitur, quia asinus est animal irrationale, & homo, est animal rationale. Et ad hūc modum reducitur argumentum a singularibus non sufficienter enumeratis vniuersale, vt si dicamus. Petrus currit, Paulus currit, ergo omnis homo currit, non valet nisi dicendo, Petrus currit, ita Paulus, ita hic, & ille, & singuli, & omnes homines, ergo omnis homo currit. Secūdus modus procedit a consequentia vnius oppositionis, ad similem consequentiam in alio opposito, vt si dicamus. Si aliquid est generatum habet principium. Sed anima non est generata, ergo nō habet principium. Non.n.sequitur, quia nō solum genitum per generationem, verum etiam productum per simplicem enarrationem habet principium. Vnde habeas generaliter, qđ qñ antecedens. & consequens non se inferunt necessario, & conuertibiliter, potest fieri talis fallacia, non autem in conuertibilibus, vnde valet, omne rationale est risibile, ergo omne risibile est rationale.

Fallacia non causa ut causa. Sexta Fallacia extra dictionem dicitur fallacia non causæ vt causa, quia sumit suam apparentiam ex parte rei, cum significatum vnius pręmissæ non causæ videtur habere similitudinem cum præmissa, quę dicit causam. Hæc autem non fit in syllogismis ostensiuis, in quibus non fit reductio ad aliquod impossibile, sed tātum fit in sylogismis ad impossibile; formatur autē paralogismus hoc modo, Putas ne anima, & vita sint idem? quo dato procedetur. Anima, & vita sunt idem, mors, & vita sunt contraria, generatio, & corruptio sunt contraria, sed mors est corruptio ergo vita est generatio, ergo viuere est generari, sed hoc est impossibile, quia viuere non est generari, quia qui viuit, iam natus est, ergo id prius quod est assumptum est impossibile, .s. quod anima & vita sint idem, vnde recurrendum est ad illud, quod mors, & vita esset contrarium, quod erit falsum, quia mors, & vita non se habent vt duo contraria proprie, sed vt priuatio, & habitus; vnde hæc fallacia peccat contra rationem causæ, & causati. Vltima fallacia extra dictionē dicitur fallacia secundum plures interrogationes vt vnum, quæ in summa cōsistit, in hoc, qđ ad plures interrogationes respondetur per vnam insufficiētē responsionem. & quia hęc non sunt multum necessaria, ideo transeo.


COM-

COMMENTARIA CVM QVÆSTIONIBVS

IN PRAEDICABILIA PORPHYRII.

F. MICHAELIS ZANARDI Ordinis Prædicatorum.

LECTIO PRIMA.



Ntequã ad textũ. Porphyrij accedamus, quædam generalia ad notitiã prædicabilium præmittenda sũt summarie, & compendiose, ne Nouitij multum grauentur longitudine, & confusione argumentorũ, & quæstionum.

Vniuersalia prædicabilia sũt tantũ quinque.

Primo ergo notãdum venit quod quinque tantum constituuntur vniuersalia prædicabilia, & non plura, neque pauciora, quod triplicitcr probari potest. Primo. Dotõne vniuersalis prædicabilis est esse in multis, & prædicari de multis. Sed omne tale aut est in multis secundum substantiam, aut secundum accidẽs. Si primum, aut ratione actus, aut ratione potentiæ. Si ratione potentiæ, erit genus, quod est quoddam totum potentiale, & confusum. Si ratione actus, vel ratione actus perficientis & sic erit differentia, quæ constituit speciem. Vel ratione actus perfecti, & sic erit species, perfecte constituta ex genere, & differentia. Si est in multis secundum accidens, aut secũdum naturam communem, & ita erit proprium, quod speciem consequitur, vt risibile, rationale. Aut secundum naturam indiuiduorum, & ita erit accidens commune, quod in indiuiduis reperitur, vt nigredo in coruo, vel albedo in pariete.

Secundo probatur. Omne quod prædicatur de altero, vel prædicatur in quid, vel in quale. Si in quid, vel de pluribus differẽtibus specie, & sic erit genus, vel de differẽtibus numero, & sic erit species. Si in quale, vel in quale essentiale, & sic erit differentia, vel in quale accidentale intrãsmutabile, & sic erit proprium, vel mutabile, & sic erit accidens cõmune.

Tertio probatur. Sicut se habet compositum naturale in naturalibus, ita se habet compositum intelligibile in intelligibilibus. Sed in composito naturali sunt materia, forma, compositum ipsum, propria, & communia. Ergo & in composito scibili erit genus, quod propter suã potẽtialitatem se habet vt materia, differentia, quę propter suam actualitatem se tenet vt forma, species quæ coalescit ex genere, & differentia,

ria, quæ composito correspondet, proprium quod formam sequitur, & accidens commune, quod in subiecto est cum mutabilitate communi.

Cum conditionib. Secundo notandum, quod quinque tantum dicuntur esse vniuersalia prædicabilia his subintellectis. Primum, quod tantum loquamur de vniuersalibus prædicabilibus, quæ de suis inferioribus vniuoce prædicantur, vnde excluditur ens quod analogice prædicatur. Secundum, quod hæc sint vniuersalia prædicabilia, simplicia, & ita excluditur definitio, quoniam etsi prædicetur de diffinitio, non tamen de eo dicitur vt prædicabile simplex, cum constituatur ex genere, & differentia. Et quamuis etiam species constituatur ex genere & differentia realiter, & quasi physice, non tamen logice dicitur prædicari vt composi tum. Nam simpliciter dicendo Homo, dico speciem, sed non dico diffinitionem nisi addam est animal rationale. Tertium, quod sint entia completa, ideo excluditur materia prima, anima, punctum, existentia, & similia quæ prædicantur vt naturæ incompletæ, de suis inferioribus. Nec officit, quod differentia & ipsa sit quid incompletum, cum non ponatur directe in linea prædicamentali, quia quamuis secundum modum significandi videatur quid incompletum, tamen secundum rem significatam quid completum est, cum v. g. tantum dicat rationale, quantum homo. Quartum, quod dicant aliquam certam formam, & per hoc excluduntur nomina infinita, vt v. g. non leo, non homo. Quintum, quod si est genus contrahatur per oppositas differentias ad species, ex quo ens non potest esse genus, quia genus est extra differentias. Ens autem intrinsece, & formaliter dicitur de suis passionibus, & differentijs, cum nihil subter fugiat naturam entis. Sextum, quod dicat naturam determinatam in actu exercito prædicationis, & ideo prædicamentum quod prædicatur in quid de omnibus prædicamentis non est prædicabile hic consideratum, quia solum nomen prædicabilis exercet, & non aliquam naturam eis communem. Septimo, quod prædicetur directe de suis inferioribus, idest quod prædicatum habeat rationem formæ, & subiectum rationem materiæ.

Vniuersale & prædicabile sunt idem realiter. Tertio notandũ venit, quod vniuersale, & prædicabile se habent sicut subiectum, & passio. Nam eadẽ natura vt habet esse in multis dicitur vniuersale, & vt prædicatur de multis prędicabile. Propterea autẽ prædicatur de multis, quia est in multis, & ideo prędicabilitas dicitur passio vniuersalis. Sed an sit passio realiter distincta ab vniuersali, quãuis multi teneat affirmatiuam, quia habent diuersas definitiones, f. esse in multis, & dici de multis, & vnũ per aliud demonstratur, dicantq; diversas intentiones: oppositum tamen verius censeo. Primo, quia distinctio realis formalis, vel virtualis fundatur, vel in diuersis naturis, vel in eadem, sed cũ diuersitate obiectiua modali reali. At eadem est res, quæ est in multis, & dicitur de multis, & per hoc, quod intelligitur esse in multis, per hoc intelligitur prædicari de multis, vnde non videntur distingui nisi secundum diversas rationes. Secundo, quia passio, quæ realiter distinguitur a subiecto debet esse alterius prædicamenti ab eo, & a subiecto realiter effici, vnde trascendentia sunt veræ passiones entis, & tamen ab eo realiter non distinguuntur, quia retinent eandem realitatem cum eo, neq; media actione effi-

efficiuntur. Modo patet quod illud, quod est vniuersale sit substantiæ, vel accidentis, illud idem est prædicabile. Tertio, quia sic intellectus aliquid poneret in re reale, quod falsum est. Ideo ad rationem in contrarium dicitur, quod habent eandem diffinitionem realiter, vnumque de altero non demonstratur nisi respectu nostri, dicuntque diuersas intentiones rationis, & non reales.

Prædicabile est hic subiectum. Quarto ergo loco deducendum venit, quod cum res denominetur a sua ratione formali, sub qua consideratur, & vniuersale hic, idest in isto opusculo Porphyrij non consideretur ut est in multis, sed vt prędicatur de multis, ideo nō vniuersale vt vniuersale, sed vt prædicabile erit obiectum huius scientiæ prædicabilium. Secundo, quia sciētia nō denominatur a subiecto vt materialiter subiectum est, sed vt per passionem scibile est, vnde non ens vt ens, sed vt est mobile ponitur subiectum in Physica, & vt quantum in Mathematica; ergo pariter scientia vniuersalium, prædicabilium denominabitur non ab vniuersali, quod est subiectum, sed a prędicabili, quod est eius passio. Hinc habes, quod quinque vniuersalia, non vt vniuersalia hic formaliter considerantur, sed vt prædicabilia, cū prædicari de multis se habeat ad esse in multis, vt formale ad materiale, scientia autem a formali denominationem capit.

Vniuersale prædicabile est genus ad quinque prædicabilia. Quinto obseruādum venit, quod cum vniuersale prædicabile sit superius ad quinque prædicabilia, oportet quod ad ea se habeat vt genus, quod de eis prædicatur in quid, quia uere, & essentialiter genus, species, differentia, proprium, & accidens sunt uniuersalia prædicabilia. Sed quod sit genus ad ista bifariam intelligi potest. Primo proprie, & hoc est falsum. Primo, quia genus sic immediate solum de speciebus prędicatur in quid, & non de differentia, nec de proprio & accidente, quæ intelliguntur esse extra eius rationem formalem. Vniuersale autem prædicabile immediate, & essentialiter dicitur de quinque prædicabilibus. Secūdo, quia genus proprie sumptum dicit determinatam naturam abstractam a speciebus, non sic vniuersale prædicabile, cum multum hæc differant, & nō possint in vno coire. Tertio, quia genus dicit vnum conceptum formalem, & obiectiuum: vniuersale autem respectu quinque prædicabilium non potest dicere vnum conceptum formalem ab ipsis expressū, cū a dissimilibus nō possit causari obiectiue, cū dissimilia vt dissimilia intellectui obiecta, vnū conceptū similem non causent: Nā conceptus formalis trahitur ab obiectiuo, & si intelligantur secundum aliquid, in quo conueniunt, illud tale erit secundum proportionē quandam, & ita sequitur, quod vniuersale prædicabile non sit genus, quia esset analogum, & non vniuocum. Secundo ergo potest intelligi, quod sit genus modaliter, idest quia induit modum generis, cum magis accedat ad eius rationem, quam ad rationem cuiuscunque alterius prædicabilis, & hoc verum est, cum prædicetur in quid de quinque prædicabilibus, vt de speciebus, prout inferius vniuersale potest dici species magis vniuersalis. Et sic logice habebit rationem generis vniuoci, cum esse in multis, & prædicari de multis æqualiter conueniat omnibus prędicabilibus, physice tamen erit analogum, quia intelligitur habere maiorem nobilitatem in vno prædicabili, quam in alio, & quia physice non potest dari aliquid commune vniuocū ad substantiam, & ad accidens, sed tantum analogum.

Sexto notandum est, quod ista quinque vniuersalia multipliciter considerari possunt. Primo vt entia sunt, & naturæ vniuersales, in singularibus singularizatæ, & sic ea considerat Metaphysicus, qui de ente agit. Secundo vt sunt excogitata ab anima per intellectum, quoniam intellectus est qui facit vniuersalitatem in rebus, & sic ea intuetur Animasticus, quasi opera suæ scientiæ. Tertio vt stant sub intentionibus secundis prædicandi in quid, vel in quale, & ita ea speculatur Porphyrius in præsenti suo Tractatu.

LECTIO II.

Cum sit necessarium Chrysaori & ad eam quæ est apud Aristotilem prædicamentorum doctrinam, nosse quid sit genus, quid differentia, quid species, quid proprium, & quid accidens: & ad definitionum assignationem, & omnino ad ea, quæ de diuisione, vel demonstratione sunt: vtili existenti istarum rerum speculatione, compendiosam tibi traditionem faciens, tentabo briuiter velut introductionis modo, ea, quæ ab antiquis dicta sunt aggredi: altioribus quidem quæstionibus abstinens, simpliciores vero mediocriter coniectans.

In huius textus explicationem tria facienda veniunt; primo, quidem in claritatem rei annotabimus aliqua; secundo ponemus quasdam conclusiones, & probabimus; tertio proponemus quædam dubia, & diluemus.

Quoad primum primo notandum est, quod Porphyrius in initio huius opis quatuor facit, & omnia iustis de causis. Primo, ostendit necessitatem dicendorum inquiens: Cũ sit necessarium &c. & hoc, vt reddat auditorem attentum; cũ maxime attendamus his, quæ nobis necessaria sunt; Secundo, proponit vtilitatem, dum inquit. Vtili existenti istarum rerum speculatione, & hoc vt alliciat ad amorem huiusce disciplinæ; cum maxime ardeat animus aggatq. ad assecutionem vtilium. Tertio, ostẽdit breuitatem dicens: Tentabo breuiter, & compendiose &c. vt inde trahat voluntatem; cum maxime ea, quæ pulcra sunt, & facilia diligat. Quarto, promittit se seruaturum stilum facilem; a difficilioribus &c. Vt tandẽ cõfirmet addiscentes ad procurandam hanc scientiam. *Porphyrius quatuor facit.*

Secundo notandum est circa ly Necessariũ; quod pro nunc quatuor modis sumi potest. Primo pro necessario absolute, & simpliciter, cuius oppositum impossibile est naturaliter, tam ex partæ formæ, vt quod homo non sit rationalis; quam ex parte materiæ, vt quod omne compositum ex contrarijs non sit corruptibile. Secundo pro necessario respectu finis; & hoc dupliciter, vel simpliciter; vt cibus est necessarius volenti viuere, ad conseruandum humidum radicale Secundo ad bene esse, vt equus est necessarius volenti Romam petere; & si enim pedester ire posset, non tamen ita commode. Quarto sumitur pro necessario, quod est coactum, & violentum; vt quod suspensus, suspensione intereat; quo antem horum modorum sumatur, di- *Necessariũ quadruplex.*

cemus in sequentibus.

Chrysaorius nomen est. Tertio Aduertendum est circa ly Chrysaori, quod omnes in hoc cōueniunt, hunc quendam Porphyrij discipulum fuisse; in cuius gratiam hoc opusculum edidit; sed discriminantur circa patriam, officium, vel deriuationem. Nam Caietanus videtur asserere hunc fuisse patricium Romanum, cui cum Prædicamenta Aristotelis multis difficultatibus inuoluta viderentur, Porphyrium rogauit, vt ei breuem, ac facilem tractatum proponeret; quo mediante doctrinam prædicamentorum assequi posset. Alij autumant Grecum fuisse, ita vocatum non a nomine, sed a gradu; nā Chrysaorius grece, idem sonat latine, quod auratum ferens ensem. Alij defendunt Siculū fuisse, vbi tunc temporis Porphyrius Philosophiam profitebatur, & ita nūcupatum a Grysa fluuio, apud Siragusas. Alij contendunt probare fuisse Phrygium, cuius prouinciæ erat & Porphyrius, & ita dictum a Grysa ciuitate Phrygiæ; sed quid ad rem. Si Romanus, vel Grecus vel Siculus, vel Phryx fuit.

Disciplina quid sit. Quarto notādum, quod Porphyrius vsus est nomine doctrinæ, & nō disciplinæ, quia hoc est interstitium inter doctrinam, & disciplinā, quod & si idem habitus, & doctrina, & disciplina vocari possit realiter, non tamen secundum eandem rationem; nam doctrina dicitur quatenus est in docēte, & disciplina, vt est in suscipiente, seu discipulo. Vt igitur ostenderet difficultatem prædicamentorum, quorum doctrina illucusque solum per magistrum habebatur, ideo dixit: quæ est apud Aristotelem prædicamentorum doctrinam.

Vtile duplex. Quinto notandū est circa ly vtili existenti &c. quod duplex est vtile, quoddam vtile, & delectabile, vt sunt diuitiæ, honores, & sodalitia amorosa; Quoddam vero est vtile, sed non delectabile, vt potio amara, studia &c. Vel dicendum, quod duplex est vtile, quoddam quod non est gratia sui, sed alterius, vt seruus dicitur Domino vtilis, & hoc vtile proprie reperitur in practicis; Aliud vocatur vtile cōmuniter, pro quanto adiuuat vel intellectum, vel affectū, vt sunt scientiæ, de quorum numero est præsens opus, quod & intelligentiam prædicamentorum gignit, & artem diffinitiuam, & diuisiuam iuuat; & si propter suam difficultatem in principio delectationem non pariat.

Sexto animaduertendum, quod multa Porphyrius in hoc suo prohemio promittit, quæ omnia ad hæc capita reduci possunt.

Compendiū textus. Primo, quod compendiose procedere intendit, vt Chrysaorium animaduertat nolle omnia, & singula adamusim limare, sed ea per modum compendij pertractare.

Secundo dicit traditionem (vt quidem existimo) quia & si ante Porphyrium nullus luci prodierit tractatus de prædicabilibus, opinor tamen, ꝙ multi Filosofi vtilitati, & facilitati studentium cōsulentes aliquē tractatum ediderint, quem reformatum, & auctum iam ab alijs imperfectum sibi traditum, pertum Chrysaorio mandauerit; traditione enim aliqua dicuntur haberi, cum ex longa antiquorum authoritate ita esse fatentur.

Tertio inquit breuiter, quia multa etiam sub compendio tractare possumus, sed nō breuiter; vnde ly breuiter restringit ly compendiosam.

Quarto dicit introductionis modo: ad differentiam eorum quæ dicuntur principaliter causa docendi; illa etenim, nec compendiose, nec breuiter

breuiter tractantur, sed distinctè, & singillatim.

Vltimo loco duas intentiones habuisse in his tractandis affirmat. Vnā quoad exequēda, inquiens se aggressurum quę ab antiquis dicta sunt de genere, specie. &c. Aliam quoad repellenda; dicendo se abstenturum tractatione difficillimarum quęstionum; sed & minus difficiles nolle exactè pertractare, sed mediocri modo.

Circa secundum principale, Prima conclusio est: Notitia prædicabilium est necessaria ad cognitionem prædicamentorum, probatur.

Conclusiones probātur. Impossibile est cognoscere coordinationem plurium, nisi prius cognoscamus coordinabilia, ex quibus coordinatum coordinatur. Sed prædicamenta nō sunt nisi coordinationes plurium prædicabilium secundum sub, & supra; ergo &c. Maior patet respectu ordinantis. Minor ēt nō ꝓbatione, sed ostēsione est digna, nam v.g. substantia, vt significat per se esse est genus, substātia corporea, & incorporea: rationalis, & irrationalis &c. sunt species, sed non constitutę nisi per diuersas differentias, habetque substātia aliqua propria v. g. successiue suscipere contraria, & habet aliqua communia cum aliquibus prædicamentis, vt non suscipere magis, & minus.

Secunda conclusio, Notitia prædicabilium est necessaria ad artem diffinitiuam, probatur.

Illud est necessarium ad notitiam diffinitionis, & diffiniti, sine quo nec diffinitum diffinitur, nec diffiniri potest, nec quæ illi proficiunt possunt cognosci, & quę officiunt euitari. Sed sine notitia prædicabilium nō possumus habere nec diffinitū, nec diffinientia &c. ergo, Maior patet. Minor probatur. Nam quod diffinitur est species, ex quibus constat diffinitio sunt genus, & differentia; propria autem magnam partem cōferunt ad cognoscendum quod quid est: accidentia autem communia in diffinitionibus euitanda sunt.

Tertia conclusio: Notitia prædicabilium est necessaria ad cognitionem artis diuisiuæ, probatur.

Ad cognitionem artis diuisiuæ est necessaria cognitio diuidentium, & diuisorum. Sed sine cognitione prędicabilium nequimus cognoscere diuisa, vel diuidentia; quia diuisio quandoque est generis in suas species per differentias, quandoque subiecti, in accidentia propria, & quādoque in accidentia cōmunia, vel accidentis in subiecta, ergo notitia prædicabilium necessaria est ad cognitionem artis diuisiuæ.

Quarta conclusio. Notitia prædicabilium est necessaria ad notitiam artis demonstratiuæ, probatur.

Medium in Demonstratione est diffinitio, quæ (vt diximus) constat ex gnē, & differentia. Illud aūt, quod proprie diffinitur est species, quæ etiam ponitur tanquā minor in demonstratione, & maior extremitas est proprium, accidentia autem communia vitanda sunt.

Dubia.

Qvoad tertium principale tria modo occurrunt dubia. Primū, circa inscriptionem; nam hic liber inscribitur: Isagoge Porphyrij, id est introductio, nil aliud addendo. At hæc inscriptio nullam notitiam parit, cum tamen detur causa innotescendi, igitur mancus.

Secundum dubium est: Cum habeamus ex sacris paginis, quod omnino memoria hęreticorum sit abolenda, eradicandaque a mentibus fide-

deliũ, & Porphyrius fuerit accerrimus hostis christianorum, (vt eius opera testantur,) nescio qua ratione hoc opusculum admittatur. Nã volũt eũ ad Christianã religionẽ fuisse cõuersum a Santa, Chaterina Alexandrina, sed ob quasdam iniurias a quibusdam christianis, in Cęsarea Palestinæ receptas, apostatasse a fide.

Tertium dubium est. Quomodo intelligatur ly necessarium in textu: Vel enim sumitur necessarium absolute, vel ad bene esse: Non primũ: Primo, quia mancus fuisset Aristoteles, non agendo de prædicabilibus tam necessarijs.

Secundo, quia sequeretur nullum ante Porphyrium adeptum fuisse notitiam prædicamentorum; immo nec Aristotelem, nec Porphyrium ipsum.

Ex altera vero parte videtur simpliciter: Impossibile est cognoscere quid sit genus prædicamentum, nisi prius cognoscamus quid sit genus prædicabile, species, differentia &c.

Dubia soluuntur. Ad Primum, respondetur, quod Græci sine addito aliquo legunt Isagogen Porphyrij: Latini vero addũt ad prædicamenta Aristotelis, &c. Vnde apud Latinos dubium nullum est. In fauorem tamen Græcorum primo dicimus, quod & si explicite non habeatur ad prędicamenta, &c. Implicite tamen subintelligendum venit, & hoc omissum fuit causa breuitatis, qua gaudere debet Titulus præcipue, quia addendum esset ad artem diffinitiuam, demonstratiuam &c. Vel dicendum secundo, quod Titulus legendus est cum prohemio, & quia in illo satis abunde explicat ad quæ sit necessaria horum prędicabilium notitia, ideo sufficit.

Ad Secundum dicendum, quod memoria hæreticorum est eradenda in his, quæ fidei repugnant, vel quãdo imminet aliquod periculum: modo in presentiarum nullum est periculum, &c.

Ad Tertium, & si multa dicenda essent, tamen his breuibus fundamentis satisfacimus; Primo dicimus, quod hic loquimur de necessario non simpliciter, sed ad finem.

Secundo dico, quod hæc prædicabilia dupliciter cõsiderari possũt: Primo respectu ordinantis, & constituẽtis prędicamenta, & sic sunt necessaria simpliciter, quia ordinare nescit, qui rationes ordinabilium ignorat: Vel secũdo, respectu addiscentis prędicamenta iam ordinata, & sic sunt necessaria solum ad bene esse, quia ea iam in promptu habet, si scit discurrere.

Vel tertio dicimus, quod aliud est loqui de prædicabilibus, vt sic, & aliud de prædicabilibus a Porphyrio ordinatis. Primo modo eorum notitia est necessaria absolute, quia prædicamentum non est nisi coordinatio pluriũ prædicabiliũ secũdũ sub, & supra, secundo vero modo solum ad bene esse, quia Porphyrius ad breuiatem ea reduxit.

Vel tertio dicere possumus, quod hæc notitia respectu nouitiorum, & incipientium, multã habet difficultatem: non autem respectu eorum, qui iam in studijs totius Philosofiæ versati sunt ex eo, quia de his Aristoteles in Topicis, & in quinto Methaphisicæ multa scribit, & eo tempore magis erant nota addiscẽtibus, qui loco Grammaticę Mathẽmaticę studebant, & ex ea hæc confuse cognoscebant.

Mox de generibus & speciebus, illud quidem siue subsistant, siue in solis nudis purisque intellectibus posita sint: Et siue subsistentia corporalia

lia sint, an incorporalia: & vtrum separata, an in sensibilibus posita: & circa hæc consistentia, dicere recusabo. Altissimum enim negocium est huiusmodi, & alius maioris egēs inquisitionis. Illud vero quemadmodū de his, ac de propositis magis probabiliter antiqui tractauerunt, & horum maxime peripatetici, tibi nunc tentabo monstrare.

Hic Porphyrius quęstiones difficillimas proponit quæ cum ingenia Nouitiorum excedant, vsque ad septimum Methaph. retrahemus.

LECTIO. III.

Videtur autem neque genus, neque species simpliciter dici. Genus enim dicitur & aliquorum quodammodo se habentium ad vnum aliquod, & ad se inuicem collectio. Secundum quam significationem Romanorum dicitur genus, ab vnius scilicet habitudine (dico autem Romuli) & multitudinis habentium aliquo modo adinuicem eam, quæ ab illo est, cognationem, secundum diuisionem ab alijs generibus dictum.

Dicitur autem & aliter rursus genus, quod est vniuscuiusque generationis principium: uel ab eo qui genuit, vel ab eo loco in quo quis genitus est. Sic enim Orestem quidem dicimus a Tantalo genus habere, Hylum autem ab Hercule, & rursus, Pindarum quidem Thebanum esse genere, Platonem vero Atheniensem, etenim patria principium quoddam est vniuscuiusque generationis, quemadmodum & pater.

Hęc autem videtur promptissima esse significatio. Romani enim dicuntur qui ex genere descendunt Romuli, & Cecropidæ qui ex genere descendunt Cecropis & eorum proximi. Et quidem prius appellatum est genus vniuscuiusque generationis principium: de hinc etiam multitudo eorum qui sunt ab vno principio: vt a Romulo, quam diuidentes & ab aliјs separantes, dicebamus omnem illam collectionem Romanorum genus.

Aliter autem & rursus dicitur genus, cui supponitur species ad horum fortaße similitudinem dictum. Etenim principium quoddam est homini genus earum, quæ sub ipso sunt specierum. Videtur etiam multitudinem continere omnium, quæ sub eo sunt specierum.

Hęc est secunda pars huius opusculi, quæ scientifica dicitur, in qua incipit Porphyrius de genere determinare. In præsenti igitur lectione primo multa adnotabimus circa textum, deinde multas dubitationes proponemus, & dissoluemus.

Primo igitur notandum circa ordinem, quod Porphyrius prius de genere, quam de quocunque alio prædicato egit, propter multas rationes, quarum Prima est; quia ab vniuersalioribus est incipiendum; at genus est vniuersalius quocunque alio Prædicabili; vt patet in Arbore, igitur. Secunda, quia genus est prius via generationis; nam prius generatur animal, antequam generetur animal rationale. Tertia, quia cum prædicabilia ad cognitionem prædicamentorum ordinentur, & primum occurrat nobis genus prædicamentale, quā occurrat species, &c. ideo de eo prior est tradenda cognitio. *Genus est primū prædicabile.*

rio. Quarta, quia totum præcedit partes, at genus se habet vt quoddam totum uniuersale; puta animal, species vero vt partes, vt puta: Rationale, & Irrationale, in quas diuiditur, ergo &c. Quinta est, quod genus virtualiter.s. vt continens plura est nobilius specie, & differentia & si in ratione actus sit imperfectius, quia differētia a latere collocata habetur vt causa actualitatis generis.

Videtur, quomodo sumatur. Secundo, animaduertendum est circa ly videtur, quod bifariā sumitur: Primo pro re, quæ quandoque talis videtur, sed non ita est; vt v. g. quod terra sit maior Sole. Secundo pro re, quæ ita videtur esse, & ita est, pro vt hic sumitur, vt sit sensus: Videtur autem & ita est, quod nec genus, nec species simpliciter idest, vno modo solum dicantur.

Simpliciter Tertio animaduertēdū est circa ly simpliciter, quod multipliciter sumitur; Primo vt idem sonat, quod absolute, prout solemus dicere: quod Sortes albus non differt a seipso nigro simpliciter, sed solum secundum quid. Secundo prout idem significat, quod secundum omnes partes, vnde dicimus, quod Aetiops nō est simpliciter niger; quia habet dentes albos; Tertio vt denotat ens in actu, & non in potentia, prout Aristoteles in quinto Physic. inquiebat, quod generatio est de non ente simpliciter. i. de ente in potentia ad ens simpliciter. i. in actu. Quarto prout idem importat, quod non vno modo solum, & sic accepit ly simpliciter Porphyrius, vt supra explicuimus.

Genus tripliciter sumitur. Quarto igitur notandum, quod famotiores acceptiones generis tres esse dicuntur. Prima sumitur pro aggregatione multorum hominum ordinem inter se habentium, & ad vnum aliquod principium; vbi animaduertendum, quod tres conditiones necessariæ requiruntur ad hoc genus sic sumptum; Prima, quod ibi adsit multitudo; vnde duo, tres, vel quatuor homines non faciūt genus, sed multitudo, vt multitudo Hebræorum, Eraclitorum, Romanorum. Secunda, quod hi multi homines habeant ordinem adinuicem, vel parentelæ, vel officiorum &c. dum alij sunt patres, alij filij, alij aui. &c. vel alij sunt rectores & alij subditi. Tertia, quod non solum hi habeant ordinem adinuicem; sed ad vnum aliquod principium, a quo ducant originem, vt Dominicani a D. Dominico, Franciscani a D. Francisco.

Sēdo modo sumitur genus apud ciuilē pro principio cuiuscunque generationis, vt sunt pater, & patria, vnde & hoc genus sibi has conditiones vendicat. Prima, quod sit primū principium; vnde pater Sortis in geneologia Romanorum non est eius genus, sed Romulus; Secunda, quod sit primum principium vniuocum; vnde defectu huius, Deus, Cælum, & Sol non dicuntur genera inferiorum, quia sūt principia æquiuoca, seu analoga. Tertia, qđ sit conseruatiuū, vel generatiuū, & excludamus hoies impotentes, vt patriam violentam, ex maligno aere homines interficientem.

Tertio modo sumitur genus apud logicum, pro eo, cui supponitur species, de quo infra agemus.

Quinto notandum circa genus secundo modo sumptum, quod non æqua lance pater, & patria dicuntur genera; sed pater tanquam principium virtutis generatiuæ diffusæ in posteros; patria vero, vt principium conseruatiuum genitorum; vnde videmus, quod hi, qui geniti sunt in vna patria assimilantur, vt in pluribus in lingua, colore, inclinatione, in longitudine, & breuitate vitæ, &c. *Pater & patria sunt genus.*

Sexto notandum, quod dupliciter

ter possumus intelligere, quod pater, vel patria dicantur genera; Primo materialiter, considerando rem, quę est pater, vel patria; Secundo formaliter, considerando virtutem insitam in patre, vel patria, primo modo non dicimus, quod pater, vel patria sint genera; sed secũdo modo; vnde Porphyrius loquitur in obliquo, quasi velit dicere: Non pater, & patria, sed aliquid patris, & patriæ. s. virtus generatiua patris, & conseruatiua patriæ est genus secundo modo.

Quomodo.

Septimo non est transeundum absque annotatione id quod Porphyrius asseuerat. s. esse magis in promptu, & in vsu secundam generis significationem, cuiusce rei possummus adscribere causas; Prima, quia ab hoc primo principio generatiuo, magis proprie fit denominatio, vt ab Heber denominatur genus Hebreorũ, a Romulo, Romanorũ; Scd̃a qa scd̃a acceptio generis est principiũ primæ, nam ex eo, quod primum principium in generatione dicitur genus; inde deriuatum est, vt multitudo ordinatorum adinuicem, & ad vnum aliquod dicatur genus; Vel addas, quod genus dicitur a generando, & a primo principio generationis.

Magis in vsu.

Octauo notandum occurrit, quod Porphyrius adstruit; genus apud logicum dici ad similitudinem generum apud ciuilem, quæ similitudo non est totalis. i. quoad omnia, quia hæc esset identitas; sed est partialis. i. quoad aliqua; vnde non est mirum si in aliquo conueniant, & in aliquo discriminentur.

Genus logicũ dicitur ad similitudinem.

Nono & vltimo notandum est, quod istæ acceptiones in aliquo conueniunt, & in aliquo differunt; Primo conueniunt, quia sicut genus ciuile est principium descendentiũ ab illo vno; ita genus logicum est principiũ specierũ. Scdo, quia sicut datur ordo inter multitudinem ab vno procedentium, ita & inter species. Differunt vero, quia genus primo modo sumptum est quoddam totum integrale ex multis constitutum; genus vero logicum est quoddam totum vniuersale, non compositum ex speciebus; Secũdo, quia genus ciuile non prædicatur in recto de contentis sub ipso; non. n. Romulus est totum genus Romanorum, sed pars; genus vero logicum prædicatur in recto de omnibus speciebus; Differt etiam a genere secundo modo sumpto, quia tale est principium extrinsecũ descendentium; genus vero logicum est principium intrinsecum specierum.

Quomodo.

Quoad secundum principale. Sunt aliquæ dubitationes proponendæ, & dissoluendæ; Prima est, quia cum genus apud Aristotelem quinto Methaphysicę quatuor modis sumatur, omissus est quartus modus. s. ex quo res fit, & præcipue, cum habeat aliquam similitudinem cum genere logico, quia species fiunt ex genere.

Secunda dubitatio est, quia cum apud Grammaticũ plures sint acceptiones generis. v. Masculini, Feminini, & Neutri; de his tamen nulla facta est mentio.

Tertia dubitatio, est quia Mater & ipsa est principium in generatione, & magis, quam patria, & tamen silentio inuoluta est.

Ad has difficultates, de facile occurrimus his fundamentis. Primum quorum est; quod tractare de acceptionibus generis stat dupliciter. Primo ex professo, omnia sigillatim explicando, quæ ad eorum intelligentiam necessaria sunt; Secundo ex incidenti; pro quanto solum ad aliquam partem faciunt; Tractare primo modo spectat ad scientificum accuratissimum; secũdo vero modo ad quẽlibet artificem, maxime cum adducantur gratia exempli; sicut contingit

git in proposito, pro quãto generant cognitionem generis logici.

Secundum fundamentum est, quod Porphyrius hic solum intendit recensere vulgares, & acceptatas significationes generis.

Dubia soluuntur. Ad primum igitur respondetur, quod illa acceptio generis multas continet difficultates, a quibus se abstenturum promiserat in prologo; Secundo dicitur, quod hoc non erat necessarium, quia non omnia similia sunt adducenda. Tertio respondetur, quod implicite continetur in alijs significatis. Vel quarto & melius dicitur, quod nulla ibi intercidit similitudo, quia magis dicẽdum est, quod species fiant ex genere; cum ad eas comparetur, vt materia, quam, quod genus fiat ex speciebus.

Ad secũdum, primo dicitur, quod genus masculinum, fœmininum &c. nullam habent similitudinem cum genere logico, & ideo illa tacuit. Secundo dicitur, quod cum hæc gratia exempli fuerint adducta non erant omnino dicenda.

Ad tertium respondetur, quod mulier est solum principium passiuum in generatione, vt erit videndum in primo Metaphysic. Porphyrius autem solum intendebat tractare de principio actiuo, vel generatiuo, vt est pater, vel conseruatiuo, vt est patria, & in hoc Patria vincit in hac acceptione Matrem. Vel secundo dicendum, quod nomine patris intelligimus etiã Matrem, quia concurrit in eadem generatione. Sed & tertio applica fundamenta superius allata.

LECTIO IIII.

Tripliciter igitur cum genus dicatur, de tertio apud philosophos sermo est, quod etiam describentes assignauerunt, genus esse, quod de pluribus dicentes, differentibus specie in eo, quod quid est prædicatur, vt animal.

Eorum enim, quæ prædicantur, alia quidem de vno dicuntur solo, sicut indiuidua, vt Socrates, & hic, & hoc: alia vero de pluribus, quemadmodum genera, & species, & differentia, & propria, & accidentia communiter, sed non proprie alicui. est autem genus quidem, vt animal: species vero, vt homo: differentia, vt rationale: proprium, vt risibile: accidens, vt album, nigrum, sedere. Ab his ergo, quæ de vno solo prædicantur, differunt genera: eo quod hæc de pluribus prædicantur. Ab his autem rursus, quæ de pluribus: a speciebus quidem, quoniam species, & si de pluribus prædicatur, non tamen de differentibus specie, sed numero, homo enim cum sit species, de Socrate & de Platone prædicatur, qui non specie differunt, sed numero solum: animal vero cum sit genus de homine, equo, & boue prædicatur, qui differunt a se inuicem specie, non numero solum. A proprio vero differt genus: quoniam proprium quidem de vna sola specie, cuius est proprium prædicatur, & de his quæ sub ipsa specie sunt indiuiduis: quemadmodum risibile de homine solo, & de particularibus hominibus; genus autem non de vna specie prædicatur, sed de pluribus & differentibus. A differentia vero & ab his, quæ communiter sunt accidẽtia, differt genus: quoniam etsi de pluribus & differentibus specie prædicantur

differentia & communiter accidentia, non tamen in eo quod quid est prædicantur, sed in eo quod quale. Interrogantibus enim aliquibus, quid est illud, de quo prædicantur hæc, genus respondebimus, differentias autem & accidentia non respondebimus. non enim in eo quod quid est prædicantur de subiecto, sed magis in eo quod quale quid est. Interroganti enim qualis est homo: dicimus rationalis, & qualis est coruus: dicimus quod niger est, est autem rationale differentia, nigrum vero accidens, quando autem quid est homo interrogamus animal respondemus est autem genus hominis animal. Quare de pluribus prædicari diuidit genus ab his, quæ de vno modo dicuntur, sicut indiuidua. hoc vero de differentib. specie, separat genus ab his, quæ sicut species prædicantur, vel sicut propria, in eo quod quid est prædicari, diuidit a differentijs & communiter accidentibus, quæ non in eo quod quid est prædicantur, sed magis in eo quod quale quidem, vel quomodo se habet vnumquodque prædicatur de his, de quibus prædicatur.

Nihil igitur superfluum, neque minus continet generis dicta descriptio notionis.

IN præsenti lectione duas difficultates examinabimus, quæ veram intelligentiam definitionis generis pariunt. Primo igitur proponemus difficultates. Secundo loco aperiemus ipsam veritatem quibusdam annotationibus. Tertio proponemus conclusionem, & probabimus. Vltimo tandem satisfaciemus omnibus argumentis, præcipue circa primam quæstionem.

Quoad primum igitur videtur, quod non recte fuerit genus definitum, & Primo probatur, quod non prædicetur de speciebus, quia illud, quod prædicatur de alio debet se habere, vt forma totius, respectu illius de quo prædicatur, sed genus se habet, vt pars materialis speciei: nã species cõstituitur ex genere & differentia, ergo.

Secundo, quia genus est pars definitionis speciei: igitur non dicit totum speciei.

Tertio, sensibile verbi gratia, est genus ad rationale, & irrationale, & tamen non prædicatur de pluribus differentibus specie, ergo genus non prædicatur de pluribus differentibus specie. Probatur assumptum, quia quæ differunt specie, differunt diffinitione: sed vltimæ differentiæ non differunt definitione cum sint conceptus omnino simplices Metaphys. ergo.

Quarto, sic vniuersale esset genus ad quinque prædicabilia, quia est superius quidditatiue ad omnia, sed hoc est falsum, quia aliter genus differentia, &c. essent species, ergo.

Quinto probatur, quod genus nõ prædicetur in quid, quia ens, prædicatur de omnibus specieb. in quid, & tamen non est genus, ergo.

Sexto, quia hæc definitio non est quidditatiua, cũ sola species sic definiatur, eo quia definitio constat ex genere, & differentia, generis autem non est genus, ex quo constare possit, & hæc est secunda difficultas examinanda.

Quoad secundum, Primo sunt declarandæ omnes particulæ positæ in definitione. Prima igitur particula est ly, quod, quæ fuit posita ad hoc vt intelligeremus, quod genus est vnum de numero quinque prædica- *Genus est quod.*

 bilium,

bilium, & vniuersalium.

Prædicatur. Secunda particula est ly prædicatur. Prædicari vero idem significat, quod determinare, seu formalizare subiectum: nam tria reperiuntur in quacumque propositione scilicet, subiectū, quod se habet, vt materia, prædicatū, quod se habet, vt forma partis, & copula verbalis, q̄ se hēt vt forma totius. Genus ergo prędicatur de speciebus, idest, determinatur ad spēs, medijs differentijs essentialib.

De pluribus differentib. specie. Prædicari vero de pluribus differentibus specie idem sonat, quod prædicari de pluribus naturis essentialibus, communicabilibus pluribus indiuiduis, sicut apparet, quod natura hominis communicatur Petro, Antonio, &c.

In quid. Prædicari vero in quid idem sonat, quod prædicari essentialiter, pro quanto quodlibet genus siue substāntiæ, siue accidentis essentialiter prædicatur de suis speciebus, sicut, verbi gratia, albedo de omnibus habentibus albedinem.

Prædicatio duplex. Secundo animaduertendum est circa ly prædicatur, quod duplex est prædicatio. Quædam actualis, quando natura generica reperitur in duabus speciebus, in rerum natura existentibus, sicut modo natura animalis reperitur in homine, & leone existentibus. Alia est prædicatio aptitudinalis, verbi gratia, quando genus prædicatur de vna specie exitente in actu, de alia vero solum in potentia. Ad saluandam igitur naturam generis sufficit, quod prædicetur de pluribus speciebus, vel actualiter, vel aptitudinaliter: vnde non minus animal erit genus post diem iudicij, post quem nullus erit leo, bos, vel aliud irrationale animal, quam modo prædicetur de his, & de hoïe existentib. in rerū natura.

Aduertendum tertio, quod tres conditiones requiruntur ad hoc, vt aliquid prædicetur de alio. Prima, quod illud, quod prædicatur se habeat vt forma, vnde materia, ꝑ parte de nullo prædicatur. Secunda, quod prædicatum se habeat vt forma totius, vnde hæc non est vera propositio: homo est anima rationalis, quia anima est pars ipsius hominis. Tertia conditio est, quod illa forma etiā secundum modum significandi se habeat, vt forma totius: vnde defectu huius hęc non est vera: homo est humanitas, quia & si homo realiter sit quædam humanitas, tamen secundum modum significandi se habet, vt forma partis. *Prædicabile debet habere tres conditiones.*

Aduertēdum quarto, quod in definitione generis istæ particulæ sunt apponendæ, & subintelligendæ: genus est, quod prædicatur vniuoce, immediate, & per lineam rectā prædicamentalem, & non a latere, de pluribus differentibus specie, &cæt. *Particulæ subintelligēdæ in definitione generis* Diximus vniuoce, quia æquiuoca propriæ non sunt genera, quia non significant vnam naturam secundum vnam rationem, vt animal non est genus ad canē terrestrē, & cælestem, quia nō sunt eiusdē naturę. Diximus secundo immediate, quia, & si genus prædicetur de indiuiduis, non tamen immediate: sed mediate, idest, mediantibus speciebus. Diximus per lineam rectam prædicamentalem, vt excludamus differentias, quæ collocantur a latere prædicamentorū, vt patebit in arbore porphyriana.

Quinto annotandum venit, quod differre specie, authore Aristotele quinto Diuin. contingit tribus modis. Primo, quando species habent distinctas definitiones realiter differentes, quæ species sunt vltimæ, nec possunt diuidi in alias species, vt sūt verbi gratia, homo, & leo, & istæ species proprijssimæ distinguuntur, quia distinguuntur, per vltimas differentias, saltem cognitas. Secundo *Genus tripliciter prædicatur de differentibus specie.*

modo

modo aliqua dicuntur differre specie, quæ ex æquo continentur sub genere, & sub ipsis dantur aliæ species, quia sunt subalternæ, sicut corpus diuiditur per animatum, & inanimatum. Tertio modo aliqua differunt specie sub eodem genere, sed vna species est altera vniuersalior: sicut viuẽs prędicatur de homine, & de planta, patet autem, quod planta in plus se habet, quam homo, quia repetitur in omnibus habentibus animam vegetatiuam, homo vero solum in habentibus animam rationalem, & his tribus modis prædicatur genus de differentibus specie.

Cum duabus conditionibus. Aduertendum sexto, quod duæ conditiones requiruntur ad hoc, vt aliqua dicantur differre specie; Prima quod differãt diffinitione, vnde defectu huius, Petrus, & Andreas non differunt specie, quia eadem diffinitione diffiniuntur, sunt enim ambo animalia rationalia. Secunda, quod illę duæ species contineantur sub eodem genere, quia duæ species diuersorum generum, non proprie differunt speciebus diuisiuis eiusdem generis, & constitutiuis illarum v. g. adamans, & homo; sed bene leo, & homo differunt specie.

Prædicari in quid tripliciter. Aduertendum septimo, quod tribus modis aliquid dicitur prædicari in quid. Primo secundum rem, & secundum modum; quando prædicatum secundum rem, & secundum modum se habet vt per se stans, & sic genus prædicatur de speciebus, & species de indiuiduis in quid; Secundo secundum rem quidem, sed non secundum modũ, & sic differentia predicatur in quid; (essentialis inquam) vt rationale quidem prædicatur de homine; induit tamen modum accidentis. s. qualitatis; vndę non in quid, sed in quale quid prædicari dicitur, Tertio modo aliquid dicitur prædicari in quid secundum modum, quia induit modum substantiæ; non tamen secundum rem: quia est accidens, & sic conuenit omnibus prædicamentis accidentiũ; Melius tamen dicitur, quod ly prædicari in quid non idem sonat, quod per modum substantiæ; sed essentialiter, & sic conuenit omnibus prædicamentis, quia quodlibet superius essentialiter prædicatur suo modo de contentis sub ipso per se.

Dupliciter complete, et incomplete. Aduertendũ octauo, quod prædicari in quid stat dupliciter. Primo cõplete ita ut prædicatum explicet totam naturam rei, & sic diffinitio prædicatur in quid; Secundo modo incomplete, ita tamen, quod prædicatum se habeat vt intrinsecum ei, de quo prædicatur: & non vt adiacens, vel qualificans; & sic genus prędicatur in quid, non autem cætera prædicabilia, quæ se habẽt, vt supra.

Cum conditionibus. Vltimo. Ad hoc quod aliquid dicatur prædicari in quid duæ requiruntur conditiones. Prima, quod prædicatum sit intrinsecum, & pars quidditatis eius de quo prædicatur, sed hæc conditio sola non sufficit, quia etiam differentia essentialis est rei intrinseca, & pars quidditatis; sed adhuc requiritur secunda conditio videlicet, quod habeat modum per se stantis, & determinabilis & non qualitatis determinantis, vt differentia habet, vel alteri inhærẽtis, sicut accidentia propria, & communia.

Conclusio probatur. Quoad secundum, Conclusio est: Recte Porphirius genus diffinituit dicendo: Genus est quod prædicatur de pluribus specie differentibus in quid. Probatur. Illa est bona diffinito, quæ sufficienter explicat naturam diffiniti, & facit ipsum differre a quolibet alio, neque continet aliquid superflui, vel diminuti; sed talis est diffinitio generis; ergo.

Maior patet; Minor probatur. Natura generis cum sit natura vniuersalis supra species sufficienter explicatur per ly prædicatur; cæteræ vero particulæ ponuntur ad differentiam alicuius; nam ly prædicatur de pluribus, ponitur ad differentiam indiuidui, quod de vno solo predicatur, idest, de seipso ly differentibus specie ponitur ad differentiam speciei, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero, ly in quid, ponitur ad differentiam differentię, accidentis proprij, & cōmunis, quæ non in quid, sed in quale prędicantur. Quod vero non contineat aliquid superflui, vel diminuti, non probat sed ex se patet. Teneas autem per ly quod, explicatum fuisse vniuersale quod modaliter dicitur genus generis, vnde genus sic se tenet vt eius species. Sed hoc mirabile est, quod illud vniuersale sit species generis, prout prædicatur in quid.

Ad primū dicendum, quod genus bifariā considerari potest. Primo secundū esse suum cōfusum, quatenus indistincte, & confuse omnes comprehendit, & sic prędicatur per modum totius, quia totum esse specierum dicit; Secundo, vt iam genus determinatum est per vnam differentiam: & sic se habet solum vt pars speciei; sed hoc secundo modo non dicitur prædicari; sed esse pars diffinitionis ipsius; vnde neque sic prædicatur in recto; sed solum primo modo. Animaduertendum tamen est, quod genus vt quoddā superius ad species, eis comparatur tanquā forma; quia habet rationem magis abstracti: sed in quantum species cōtinet, quia formæ est continere genus sic consideratum, quatenus scilicet est quoddā vniuersale confusū, determinabile per differentias habent rationem materiæ determinabilis.

Ad Secundum iam patet per respōsionem datam. Vel dicatis, quod duplex est totū, totū diffinibile, & totum vniuersale. respectu totius diffinibilis genus se habet vt pars, in ratione tamen vniuersalis, se habet vt totum.

Ad Tertium primo negatur quod sensibile prędicetur vt genus de homine & leone, quia si formaliter sumatur, differentia est, & non vt idē est quod animal; quia genus prædicatur de pluribus, &c. directe; differentia vero a latere; vnde nec materia, nec forma, nec pūctum, &c. sunt species, sed principia specierum. Secundo dicitur, quod vltimæ differentiæ habent diffinitionem, & si non absolute vt differentiæ sunt, tamen vt genus includunt, & species realiter sunt, sic deffiniri possunt.

Ad Quartum respondetur quod genus, species, & cætera prædicabilia dupliciter considerari possunt. Primo in ordine ad vniuersale, & sic se tenent vt eius species. Secundo in ordine ad sua inferiora, & sic se habent vt genera, species, &c. prout magis, minusue abstrahunt a suis inferioribus.

Ad Quintum pro nunc sufficit dicere, quod genus dicit determinatam naturam, & determinatum modum prædicandi, ens vero, & si prædicetur in quid, non tamen dicit determinatam naturam, nec determinatum modum prædicandi, quia transcendens est, & circuit omnia genera.

Ad Vltimum respondetur, quod genus non diffinitur proprie, & absolute diffinitione quidditatiua, quia sic sola species diffinitur, quæ constat ex genere, & differentia; Diffinitur tamen diffinitione quidditatiua sibi cōuenienti, quia in eius diffinitione ponitur quod, loco generis, scilicet vniuersale, & alia loco diffe-

differentiarum; neque aliquid continet superflui, vel diminuti. Et quãuis prædicari dicatur passio generis, & non essentia quæ dicit esse in multis, & referre ad species, tamẽ est eius propria, & adæquata passio, quę potest & equiualenter nũcupari eius ratio & differentia formalis logice, quia esse in multis differentibus specie, non aptius exprimitur, quam per de ipsis prædicari in quid.

LECTIO. V. & VI.

Vtrum quando diffinitur genus, diffiniatur pro re substrata, vel pro secunda intentione, vel pro aggregato.

Videtur enim quod genus pro re substrata, & non pro secunda intentione, diffiniatur. Nam illud diffinitur, cui conuenit diffinitio; sed rei substratæ conuenit diffinitio generis, & non secundæ intentioni, ergo. Maior patet; Minor probatur. Quia secunda intentio non prædicatur de speciebus, non enim possumus dicere: homo est genus, sicut dicimus homo est animal.

Secundo. Quia illud quod prædicatur de aliquo, vere affirmatur de illo, sed genus sumptum pro secunda intentione non uere affirmatur de specibus, quia non vere affirmamus quod species sit genus, sicut vere dicimus, quod homo est animal ergo, &c.

Tertio. Nullum accidens prædicatur in quid de substantia, sed secunda intentio est accidens, cum in intellectu existat tanquam in subiecto, ergo.

Præterea videtur, quod diffiniatur pro aggregato, quia logica est de secundis intentionibus adiunctis primis, vt dicit Auicen. Sed primæ sunt substantiæ, secundæ accidentia, igitur ex ipsis fit aggregatum.

Ad dilucidandam hanc quæstionem arduam, & sũme necessariam, ad hoc, vt plura intelligamus quę faciunt ad logicum negotium, operę prætium est, vt primo iaciamus multa fundamenta, deinde probemus tres conclusiones, & vltimo diluamus argumenta iam facta.

Intentio prima, & secunda qd sint. Quoad primum primo declarandum venit, quidnam sint prima, & secunda intentio, ne per incognita procedamus. Prima igitur intentio est illa operatio intellectus, qua rem realem considerat, quoad ea, quæ sibi competunt, quatenus talis naturæ est, præcisa etiam quacunque operatione intellectus, vt quod homo sit animal rationale, nam etiam nullo intellectu considerante esset homo rationalis. Secunda vero intentio est operatio intellectus, qua rei reali aliquid attribuit, pro quanto ab ipso intelligitur v.g. quod homo dicatur species, seu subiectum, animal, genus, seu prædicatum, &c.

Intētio secunda dupliciter sumitur. Secundo notandũ venit, quod secunda intẽtio dupliciter sumi potest. Primo formaliter pro pura secunda intentione, vel pro conceptu formali, vt ens est, & ita de secunda intentione in præsentiarum non agimus, quia secunda intentio sic sumpta spiritualissima est, ad Methaphisicum attinens. Secundo sumitur pro quodam conceptu ab intellectu nostro fabricato, qui est ens rationis. i. fabricatum ab intellectu, nullum habens formaliter esse in rebus, formaliter tamen respiciens res, & de hac secunda intentione in præsenti loquimur.

Ens rationis duplex. Tertio sciendum, quod duplex est ens rationis, quoddam nullum habens fundamentum in rebus, sed sistens in simplici apprehensione intellectus, quia est pura negatio, vel priuatio, vt cæcitas, & tenebræ, quæ nihil sunt, & hoc vocatur ens rationis formaliter, & fundamentaliter.

taliter. Quoddam vero est ens rationis fabricatum scilicet, ab intellectu, quod tamen habet fundamentum in re, quod dicit relationem intellectus ad rem intellectam, sicut est genus, Nam genereitas, & si sit ens rationis, quia omnis vniuersalitas est ab intellectu ex tertio de anima, tamen ipsa fundatur in aliqua natura reperibili in pluribus speciebus, sicut natura animalis reperitur in brutis, & in hominibus, & ideo merito hoc ens vocatur rationis formaliter, fundamentaliter tamen ens reale. Quærimus igitur vtrũ genus, quod dicit naturam cõmunem substratam v. g. animal naturam animalis, & insuper dicit genereitatem, idest, talem vniuersalitatem diffiniatur, an pro primo, an pro secundo.

Secunda intentio consideratur formaliter, & obiectiue. Quarto notãdum occurrit, quod secunda intentio bifariam etiam cõsiderari potest. Primo formaliter, pro illa re, quæ est secunda intentio formaliter. Secũdo obiectiue, idest, pro illa re, quæ secunda intentione concipitur, videlicet, vt stat sub illa relatione, & conuenientia illius, quod rei attribuitur per intellectũ, vnde nomina secundæ intentionis vocantur illa, quæ mediante secunda intellectus attentione relationẽ significant, vt subiectum, prædicatum, & copula, quæ sunt nomina adinuenta ab intellectu significantia relationem rei prædicabilis cum subiecto, vnde nomina, quæ referuntur ad sua significata prima intentione nihil habent secundum se considerata ab intellectu, vt homo, bos, leo, &c. & hoc secundo modo genus dicit secundam intentionem respicientem primam.

In nominibus secũdarum intentionum est relatio & res substrata. Quinto animaduertendum est, quod in nominibus secundarum intentionum duo inueniuntur, quia eiusmodi nomina fundantur in rebus, non absolute, sed vt sic intellectis. Primum est relatio, & conformitas inter intellectum, & rem intellectam. Secundum est ipsa res subiecta intẽtioni, verbi gratia. In hoc termino genus, est ibi relatio genereitatis, quæ vocatur intentio generis in concreto, & est ibi res substrata, seu subiecta, puta animal. Inter hæc autem talis est differentia, quod relatio est illa, quæ significatur, vnde genus genereitatem significat cõcretione tamen, quia sic tantum formaliter prædicatur; res vero subiecta est illa, quæ copulatur mediante ista relatione, genus autem definitum, cum talem modum vniuersalitatis importet, scilicet, genericũ, & non specificum genereitatem quidem significat, sed fundatam, & copulatam cum re substrata.

Prædicata formaliter. Sexto notandum venit circa ly prædicatur, quod dupliciter aliquid dicitur prædicari. Primo formaliter, & tunc prædicari sumitur pro illa intentione, quæ nihil aliud est, quam quædam relatio adinuenta ab intellectu inter extrema complexionis verbalis, idest, inter prædicatum, & subiectum. Secundo sumitur fundamentaliter, pro illa re, quæ subijcitur illi intentioni, & relationi. Do exemplum. Dum dico Sortes est albus, hæc est prædicatio fundamentalis, quia vere, & realiter Sortes albus existit. Dum vero conficio propositionem, & attribuo Sorti rationem subiecti, albedinis, prædicati, & est copulæ verbalis, & dico Sortes est albus, & penso significatum abstrahere ab esse actualis existentiæ, tunc hæc prædicatio vocatur formalis, necessaria, & scibilis, ex eo, quod connexio quoad significatum inuariabilis est, & sempiterna, res igitur substrata habet, quod fundamentaliter, & subiectiue prædicatur, Secunda vero intentio formaliter.

maliter, & obiectiue.

Et per se. Septimo notandum, quod in hoc omnes conueniunt, quod genus principaliter definiatur non pro re substrata absolute, i. pro re, quæ est genus, v.g. p aiali, sed pro re substrata, vt stat sub scda intentione, verbi gratia, animal, nō definitur, vt aial, sed in quantum habet rationem generis. Sed differentia est in hoc, nū genus sumptum pro secunda intentione sit id, quod definitur, vel solum ratio formalis, qua genus sumptum pro secunda intentione definiatur, nam multi, & inter hos præcipui sunt Dominicus Soto, & Franciscus Toletus in pñti loco autumant secūdam intentionem definiri solum, vt quo, & vt ratio denominandi, faciens, quod res substrata dicatur genus. Ex altera tamē parte Doctissimus Caieta. asserit in præsenti, quod non solum definitur, vt quo, sed etiam, vt quod. Et videtur etiam opinio Scoti, quæst. 14. vniuersaliū. Eique recipiunt Sanchez lib. 3. quæst. 3. & Petronius lib. 5. suæ Logicæ, q. 1. 2. 3. & 4. & est S. D. 4. de ente & essentia.

Et quidditatiue. Aduertendum est ergo octauo, quod prędicari de aliquo adhuc stat dupliciter. Primo quidditatiue, sumendo prædicationem pro illa relatione, quæ cadit in definitione rei significatę nomine generis. Secundo denominatiue, pro illa re, quæ denominatur genus a genereitate. Et vt res clara appareat pono exemplum. Definiamus album, dicemus vnque, album est disgregatiuum visus; hæc inquam definitio albedini formaliter, & quidditatiue conuenit, quia non Petrus verbi gratia albus, vt Petrus, disgregat visum, sed vt albedinem habet, quasi sit albedo Definiamus modo niuem; dicemus. Albedo est qua nix disgregat visum, videte, quod ibi nix denominatur alba, & dicitur disgregare visum ex albedine. Sic contingit in proposito; nam quidditatiue, & formaliter conuenit generi, vt genus est prædicari de pluribus differentibus specie, rei vero substratæ non conuenit nisi quatenus substernitur, & copulatur cum genereitate.

Vt quo & vt quod. Sed quia ex hoc videtur, quod sequatur, si genus est quo res substrata prædicatur, quod ipsum non prædicetur, vt quod, sicut non videtur, qđ albedo disgreget visum, vt quod, sed sit id, quo nix alba disgregat visum.

Ideo aiaduertendum est nono, quod hæc est falsa imaginatio eorum, qui rei profunditatem non capiunt, nam illud, quod est formaliter, & quidditatiue prædicatum prædicatur, & vt quo, & vt quod; vt quod, quia habet, quod inquantum est vniuersale sit in pluribus, & prædicetur de pluribus, vnde etiam dato, quod nulla esset res substrata, & daretur secunda intentio, adhuc secundum significatum prædicaretur de pluribus, sicut albedo est ens disgregatiuum visus secundum se, & exinde oritur, quod nix non disgreget visum, nisi quia albedinem habet.

Formaliter. Attamen speculandum est decimo, quod intentio generis dicatur prædicari vt quod, potest dupliciter intelligi. Primo formaliter, & secundum se, ita vt nullam inuoluat repugnantiam, immo dicat maximam conuenientiam per se, in primo modo dicēdi, per se, idest, essentialiter, quia dicit vniuersalitatem essentialiter, quod quidem apparet, si fingamus vnum genus prædicabile de pluribus speciebus, ipso non existente. Secundo realiter, & sic secunda intentio non potest prædicari, vt quod quia se habet, vt ratio formalis, qua res substrata generica prædicatur, seu (quod in idem redit) in actu signa

to

to habet, quod prædicetur de pluribus speciebus, quia nomine genereitatis in concreto, idest, nomine generis intelligimus rem referibilem ad plures species, vt quod, non tamē ei conuenit prædicari in actu exercito, quia res substrata generica est illa, quæ exercet hanc secundam intētionem, scilicet, genereitatem. Rō tñ huius exercitij prouenit a secunda intentione, vnde in exercitio se habet non vt quod, sed vt quo, & inde patet error illorum, qui ad pauca respicientes de facili proruperūt in impugnationem opinionis Domini Caietan.

Relatiue. Aduertendum est pro vltima manu huius quæsiti, quod alia, & alia est conditio generis, dum quidditatiue, & formaliter prædicatur, & alia dum denominatiue: Nam quando genus prædicatur quidditatiue, & formaliter non est necessarium, quod realiter insit illis, de quibus prædicatur, ita vt possint formari istæ propositiones: homo est genus, animal est genereitas, quia istæ propositiones, & sunt de inesse, & quærunt de inesse, sed solum sufficit, vt referatur essentialiter ad suas species, vt genus, vel genereitas talis ad tales species, sed qn̄ illud prædicatur denominatiue, oportet, vt & realiter insit, & realiter p̄dicetur, quia in terminis primæ intentionis valet consequētia de inesse, & p̄dicari. In terminis vero secundarum intentionum solū relatio, vel referibilitas sufficit. Et ita hęc relatio, seu referibilitas generis est vna vnitate specifica respectu specierum ad quas refertur, & si fundamenta eius sint plura, i. duo prima genera, relatio enim sumit speciem a termino formaliter.

Quoad secundum principale, pono hanc conclusionem primam negatiuam. Qñ definitur genus formaliter, & quidditatiue, vt quod, nō definitur pro re substrata. Probatur primo. Illud definitur formaliter, & quidditatiue, &c. cui quidditatiue, & formaliter conuenit definitio, sed rei substratæ non conuenit quidditatiue, & formaliter, sed solum denominatiue, prædicari de pluribus, &c. nam ideo animal dicitur de pluribus, & vocatur genus ex genereitate, ergo. Confirmatur primo, prædicari formaliter est relatio rationis; res autem substrata formaliter non est ens rationis. Secundo, quia genus pro re substrata sumptum dicit gradū naturę talis, non vero referibilitatem, ad species, vt facit genus sumptum sine secunda intentione. Tertio, naturæ substratæ accidit prædicari, non sic secundæ intentioni.

Secundo, si res substrata quidditatiue prædicaretur, ergo secunda intentio denominatiue; hoc falsum. Primo, quoniā nō datur vniuersale obiectiuum, denominatum ab vniuersali separato, cum vniuersalitas primo, & per se ab intellectu fiat secundum Aristotelem, & Com. in tertio de anima.

Secundo, quia prædicatio cum sit opus intellectus proprium, ei formaliter conuenire debet,

Tertio, quia secundæ intentioni formaliter, & quidditatiue conuenit abstractio, ergo & prædicatio, quia secundum diuersos modos abstrahendi procedunt diuersi modi prædicandi. Confirmatur, quia nulla res substrata potest esse communis decē prædicamentis, at secunda intentio, idest, prædicabilitas vtique.

Secunda conclusio similiter negatiua est. Neque definitione generis, diffinitur aggregatum ex prima, & secunda intentione. Probatur.

Quia complexorum non est definitio, neque esse per se, sed per accidens,

dens, quia aggregatum constituitur ex diuersis praedicamentis, sed haec definitio per se conuenit generi, &c. ergo.

Tertia cõclusio affirmatiua. Quãdo definitur genus formaliter, definitur pro secunda intentione. Probatur. Eo modo res definitur, quo modo consideratur in scientia, vt ens est, sed consideratio Logici est circa entia rationis, seu circa secundas intentiones, non solum, vt rationes formales sunt rerum substratarum, verum vt entia sunt obiectiua ergo. Secundo, quia quaero, vbi nam sit genus definitum, vt ens rationis est in Logica, cum tamen ens definibile sit, & considerabile, vt quod a Logico, non enim apparet alius locus, nisi praesens.

Decipiuntur igitur Aduersarij in quantum putant nos negare, quod definitio generis conueniat rei substratae, quod quidem non somniauimus, sed solum negamus, quod ei cõueniat formaliter, & quidditatiue, absolute tamen, quia res substrata denominatur genus a genereitate, concedimus tamen gratis, quod res substrata praedicetur quidditatiue, i. essentialiter, & formaliter pro quanto inducit, secundam intẽtionem, & non absolute.

Ad primum iam responsum est, primo, quod illud definitur, cui quidditatiue conuenit definitio, modo negatur minor, quia rei substratae non conuenit nisi denominatiue.

Argum. Soluuntur. Secundo respondetur ad minorem, quod illud, quod formaliter prędicatur non est necesse, vt significetur illis inesse de quibus praedicatur, sed quod solum essentialiter referatur, vt explicuimus in vltima annotatione, & per hoc patet ad secundum.

Ad tertium dicitur, quod secunda intentio bifariam considerari potest. Primo in esse reali, vt est accidens, seu qualitas quaedam spiritualis existens in intellectu, & sic non consideratur, nec definitur a Logico, sed ab Animastico. Secũdo in esse obiectiuo, in quantum est ens rationis referibile ad plures species, & sic abstrahit ab omni substantia, & accidente, quia sunt entia realia, &c. praedicatur in quid.

Ad vltimum dicendum, quod aggregatum proprie illud dicitur, qđ ex aequo duas res importat, quarum vna non fundatur in alia, modo hic non considerantur prima, & secunda intentio ex aequo, sed quatenus secunda fundatur in prima. Secundo dicitur, quod eadem res potest definiri pluribus definitionibus, constantibus ex pluribus praedicamentis, sed si definiretur vnica definitione, quoad omnia, tunc diceret aggregatum, vnde homo, quandoque definitur, vt est substantia animata, sensitiua, rationalis, & quandoque, vt risibilis, vt bipes, vt albus. Sed haec nõ ingrediuntur priorem definitionem nisi per accidens, quia accidentia sunt. Ita in proposito, haec definitio generis, secundae intentioni applicatur quidditatiue, & formaliter, primae vero intentioni denominatiue, & materialiter.

LECTIO VII.

Ad maiorem notitiam naturae generis, oportet quasdam quaestiones examinare.

QVAESTIO I.

Vtrum genus possit saluari in vna specie.

PRimo enim dubitatur circa ly praedicatur de pluribus differentibus specie, an sit necessarium, quod

genus prædicetur de pluribus speciebus, ita vt in vna specie non possit saluari; videtur enim quod in vnica specie possit saluari.

Primo, Quia eadem est habitudo generis ad species, cum habitudine speciei ad indiuidua. Sed vna species in vno indiuiduo potest saluari, vt natura Solis, in vno Sole. Ergo est genus.

Secundo. Genus conseruatur in vna specie sufficienter. Quid enim ob stabit, quod non detur animal, si tantum homo reperiretur?

Tertio. Genus vt est quoddam totum potentiale dicit naturam sensitiuam. Sed hæc potest saluari in solo homine, nam verum esset dicere. Homo est substantia animata sensitiua, & rationalis. Ergo.

Quarto. Ad relationem sufficit vnus terminus eam terminans. Vt sufficit quod pater habeat vnum tãtũ filiũ, ad hoc vt dicatur pater. Sed genus relatiue refertur ad species. Ergo vna sufficit.

Quinto. Demus omnium animalium species corrumpi. Quæro an tunc animal prædicetur de homine, vt genus de specie, aut non? Secundum non est dicendum, cum sit eo superius, ergo erit primum verum, scilicet quod genus possit saluari in vnica specie.

Sexto. Materia prima potest esse sub vna tantum forma, ergo est genus sub vna specie. Probatur sequela. Quia sicut materia est in potentia ad plures formas, ita & genus ad plures species.

In contrarium est Sanctus Doctor in primo distinct. 19. quæstione quarta, artic. secundo, quamuis Scotus cap. de specie, q. 18. teneat oppositum, scilicet quod genus possit saluari in vna specie.

Notandum est ergo, quod genus bifariam considerari potest, Primo vt est quoddam totum actuale, id est vt secundum suam quidditatem, & propriam definitionem consideratur. v. g. quatenus animal dicit tantum naturam sensitiuam, præscindendo ab omni ordine, & respectu ad species. Secundo vt est quoddam totum potentiale, idest, vt est vniuersale tale, quod potest per plures differẽtias ad plures species determinari. Si primo modo consideretur, indubie affirmamus, quod non potest saluari in vnica specie, quia dato, quod tantum esset homo in vniuerso, adhuc verum esset, quod animal esset substantia animata, sensitiua, & ita dicitur de omni alio genere pro re substrata sumpto, de genere enim loquimur pro re substrata considerato, & non pro secunda intentione accepto. Si autem de eo sit sermo secundo modo, idest vt est quoddam totum potentiale dicimus, quod per nullam potentiam fieri potest, quod in vna tantum specie tota eius amplitudo potentialis restringatur. Primo, quia genus est tale vniuersale, quod diuidi debet per formales differentias oppositas, hæc enim est natura generis vt contra alia prædicabilia distinguitur. Secundo, quia si saluaretur in vna tantum specie nulla esset differentia inter amplitudinem generis, & speciei: Si enim tantum animal contineret hominem, & non alia bruta, animal esset tantum homo, nam sic tolleretur omne animal irrationale. Si ergo genus continet plures species, & eis est superior, ergo in eas debet diuidi, vt diuidens exhauriat naturam diuisi. Tertio, si genus est totum potentiale determinabile ad plures species, ergo oportet quod eas contineat. Caue igitur errorem, scilicet ne intelligas nos velle affirmare, quod genus actualiter non possit in vna specie saluari;

Genus consideratur, & vt totũ diffinibile, & vt totũ potentiale.

hoc

hoc enim est extra intentum nostrũ, sed hoc quod affirmamus est, quod generis potentia tota non possit exhauriri ab vna specie, ita vt possit saluari genus, quod prædicetur actualiter, & aptitudinaliter etiam, tantum de vnica specie.

Argumenta soluũtur Ad primum ergo dicunt aliqui, quod genus, & species non possunt conseruari in vno, his intellectis. Primum, quod genus & species sumantur vt tota potentialia, & non vt tota actualia vt supra. Secundum, quod loquamur de specie rerũ corruptibilium, vt excludamus Solem, Astra, Angelos, & omnia incorruptibilia, quæ in vnica specie conseruãtur. Tertium, quod de specie loquamur secundum potentiam physicã, secundum quam contrahitur ad diuersa indiuidua per diuersa principia indiuiduantia, quæ in vno non possunt saluari: si enim sunt diuersa principia indiuiduorum diuersorũ, in vno coactari non possunt. Ceterum potentia logica, idest in esse obiectiuo quælibet species rerum etiam incorruptibilium potest multiplicari, idest vt est species, non vt est talis species constans ex toto suo esse. His autem libenter me subscribo cum distinctione, scilicet quod necessarium sit quoad potentiam physicam, quod genus contrahatur ad plures species, ad plura indiuidua bifariam stare potest. Primo actuali existentia, ita vt opus sit, quod genus habeat sub se plures species in actu existentes, & species, plura indiuidua in rerum natura existentia, & hoc falsum censeo, quia genus abstrahit ab actuali existentia, & ita species, & quodlibet vniuersale secundum Aristotelẽ cap. de substantia. Neque enim implicat, ꝙ Deus destruere valeat omnes species brutorum, & omnia indiuidua præter vnum in qualibet specie, sicut facit in phœnice. Secundo potentia physica, & reali aptitudine, & ita volumus quod potentialitas generis necessario saluetur in duabus speciebus per duas differentias diuisibilis, quoniam si vna datur, altera non implicat dari, & eodem modo philosophamur de indiuiduis specierum plurificabilium per diuersa principia indiuidualia.

Ad secundum & tertium patet, quia procedunt de genere vt est quoddam totũ definibile, & existẽs. Nam vt est totum potentiale sibi vendicat amplitudinem diuisionis in plures species, per reales differentias. Hoc autem fundamentaliter, & virtualiter ex se habet, & sic virtualiter a speciebus realiter secernitur, sicut secernitur determinabile realiter, non tamen actualiter, nisi per opus intellectus, diuersas formalitates attribuentis generi, & speciebus.

Ad quartum dicendum, quod duplex est terminus relationis. Primus dicitur adæquatus, quia adæquat totam rationem alterius correlatiui, & sic est tantum vnus. Secundus dicitur inadæquatus, quia nõ coarctat totam rationem sui correlatiui, & hic multiplicatur prout accidit in proposito in genere respectu suarum specierum, nam vna non adæquat totam eius virtutem, plures vtique.

Ad quintum dicitur, quod actualiter tunc tantum de vna specie prędicaretur, aptitudinaliter de pluribus.

Ad sextum dicimus argumenta currere quo ad actualem existentiam, non autem quo ad totam potentialitatem vtriusque.

QVÆSTIO III.

Vtrum genus sumatur a materia, & differentia a forma.

Videtur quod genus non sumatur a materia, & differentia a forma. Nam in substantijs separatis reperitur vna ratio generis, sub qua Angeli specie distinguuntur. At in his non est materia proprie, vt docet S.D.1.par.q. 50. art.3. Ergo genus non sumitur a materia.

Secundo. Sic quæ different materia, different genere, quia causa diuersa diuersum producit effectum. At hoc est falsum, quia corpora cælestia, & inferiora differunt materia, vt probatur 8. Metaphysic. & tamen non differunt genere, cum ista, & illa sint de genere substantiæ.

Tertio. Accidentia quæ sunt in subiecto tanquam in materia, vt albedo Petri, & albedo Pauli non differunt genere vt patet. Ergo generis diuersitas non sumitur a materia.

In contrarium est S.D. cum Caiet. cap.6. de ente & essentia.

Quoniam hæ quæstiones solent excedere ingenia Nouitiorum, ideo breuiter, & summarie sunt perlustrandæ. Vel ergo hic loquimur de genere, & differentia in rebus materialibus, vel de his loquimur in rebus seiunctis a materia. Si primo modo, dico quod in materialibus genus desumitur a materia propria, & differentia a forma. Hoc tamen bifariã intelligi potest. Primo, quod genus sumatur a materia propria, vt est pura potentia; & hoc non dicimus, quia talis materia nullum dicit actum, genus vero importat naturam definibilem, & actualem. Secundo, vt sumatur a materia, prout dicit ordinem ad formam, vt determinabile ad determinatiuum, & ita verum est, quia genus comparatur differentiæ vt potentia actui, seu vt determinabile determinatiuo, considerando semper genus vt est res substrata, & quoddam totum potentiale. Si autem sermo sit de rebus spiritualibus, tenemus genus desumi a materia non propria, sed similitudinaria, quia ratio generis, & differentiæ in eis sumitur ab earum essentia, prout habet aliqua, in quibus omnes Angeli conueniunt. v. g. immaterialitas, & spiritualitas, & differentia sumitur a propria natura secundum quod habent maiorem conuenientiam, vel differentiam cũ actu puro, qui est Deus, prout ab eo magis, vel minus accedunt, vel recedunt secundum maiorem, vel minorem eorum perfectionem.

Genus sumitur a materia, & differentia a forma.

Secundo tamẽ obseruandum est, quod genus in sensibilibus sit sumptum a vera materia bifariam intelligi potest. Primo radicaliter, & fundamentaliter, & hoc verum est, quia prima origo potentialitatis generis a materia prouenit; ipsa enim est prima radix omnis potentiæ passiuę. Secundo formaliter, & proxime, & hoc falsum est, quia vt ait S. D. 1. par. q.76. art.3. ad 4. ab anima prout vegetatiuam, & sensitiuam continet, desumitur genus, prout secundum gradum imperfectum. v. g. animæ sensitiuæ, est in potentia ad animã intellectiuam, quæ dicit gradum perfectum, a quo desumitur specifica differentia. *Quomodo.*

Ad primum ergo dictũ est, quod in Angelis genus se habet vt materia, & gradus perfectionis vniuscuiusque illorum, vt forma.

Ad secundum dicendum, quod superiora incorruptibilia, & inferiora corruptibilia differunt genere proximo, & physico, secundum esse, vt docuit Aristoteles, decimo Metaphysicę non vero differunt

genere

genere logico, ideſt vt genus logicum dicit ſimpliciter trinam dimenſionem conuenientem ſuperioribus, & inferioribus.

Ad tertium dicendum, quod eſſe in materia ſtat dupliciter. Primo vt in vniuerſali potentiali ad plures ſpecies, & ſic quæ ſunt in illa conueniunt genere, & differunt differentijs formalibus ſpecificis. Secundo vt in quoddam ſubiecto materiali, & ſubſiſtente incommunicabiliter, ideſt in compoſito, & ita quæ in ſubiecto ſunt, tanquam non in materia, ſed vt in quoddam materiali differunt tantum numero, vt exemplificatum eſt in accidentibus communibus.

Corollaria. Ex ſupradictis autem quædam quaſi corollarie deducimus. Primũ, quod ex genere, & differentia componitur ſpecies ſicut compoſitum componitur ex materia, & forma. Non quod iſta compoſitio ſit phyſica, & duarum naturarum in eſſe reali, ſed quoniam poteſt vocari cõpoſitio Metaphyſica, quia ex conceptu generis, & ex conceptu differentiæ cõponitur conceptus ſpeciei, vt docet S. D. de verit. q. 27. ar. 1. ad 6. & 3. cap. de ente & eſſentia. Vnde genus, ſpecies, & differentia non diſtinguuntur vt diuerſę res, quia realiter vnum aliud includit, quamuis illud non exprimat.

Secundum corollarium eſt, quod diſtinctio tamen generis, & differentię poteſt vocari realis virtualis, quia ſumitur a diuerſis rationibus in vna, eademque eſſentia actualiter repertis. Nam alia eſt ratio determinabilis ſecundum ſe, & non tantum ex parte intellectus noſtri, & alia determinantis ex ſua natura.

Tertium eſt, quod ſi genus ſine præciſione ſumatur, non diſtinguuntur realiter, quia dicunt vnam eſſentiam. At ſi genus vt pars ſumatur ſpeciei, & differentia vt altera pars, diſtinguuntur realiter, quia ſic vnũ nõ includit, ſed excludit aliud.

LECTIO VIII.

QVAESTIO IIII.

Vtrum genus prædicetur per ſe de differentia.

Videtur quod ſic. Primo. Quanto magis aliqua ſunt vnum, tanto magis de ſe inuicem prædicantur, quia ſic vnum eſt in alio, vnde de eo dici poteſt. Sed genus, & differentia magis ſunt vnum, quam ſubiectum & ſua paſſio, cum genus & differentia ſint eiuſdem prædicamenti, non ſic ſubiectum, & paſſio vt patet & tamen paſſio per ſe prædicatur de ſuo ſubiecto. Ergo & genus de dfia.

Secundo. Hæc propoſitio eſt per ſe. Rationale eſt animal. Nam demoſtrato homine per ſyllogiſmum expoſitoriũ poſſumus dicere. Hoc per ſe eſt animal. Hoc per ſe eſt rationale: ergo genus per ſe prædicatur, Nam quicquid dicitur per accidens de aliquo prædicato, dicitur etiam per accidens de ſubiecto illius prædicati, ſed in ſupradictis propoſitionibus genus prædicatur per ſe de differentia, & de ſpecie, Ergo.

In contrarium ſtat Ariſt. 4. Topicorum, cap. 3. & 3. de anima, tex. 10.

Reſpondetur, quod genus per ſe non prædicatur de differentia, cum non prędicetur per ſe de ea in primo modo, quia animal. v. grat. non eſt de diffinitione rationalis, vt rationale eſt. Nec in ſecundo, quia genus non eſt paſſio differentiæ, cum ſit prius differentia. Nec in tertio, cum ille modus ſit per ſe eſſendi, & non per ſe prædicandi. Nec in quarto, cum genus non ſit effectus differentiæ. Hi enim ſunt quatuor modi *Genus non prædicatur per ſe de differentijs.*

per

per se explicandi in 4. capite primi Post.

Cum conditionibus. Sed quod genus per se non prædicatur de differentijs verum est his seruatis; Primum, quod loquamur hic de prædicatione logica, & formali, idest explicatiua conceptus formalis differentiæ. Non enim sensitiuum, quod est conceptus formalis animalis explicat, vel per se conuenit differentię, scilicet rationali, vt rationale est, cum aliud sit esse sensibile, & aliud rationale formaliter. Identice tamen & materialiter vnũ dicitur de alio, quia vere & realiter in rationali includitur animal. Secundum est, quod sumantur secundum gradus, quos formaliter exprimunt, & secundum conceptus, secundum quos distinguuntur. v. g. vt animal significat sensibile tantum, & rationale, rationale tantum. Sic enim genus per Aristotelẽ est extra essentiã differentiæ, intellige vt formaliter, & cũ præcisione sumuntur, nam materialiter identice, seu entitatiue differẽtia includit genus, quia non datur rationale, quod non sit animal. Tertium est, quod semper sumantur secundum id, quod vt vltimum dicunt. v. g. vt animal dicit vltimam suam formam sensitiuum, & rationale discursiuum. Nam secundum id, quod supponunt, vel includunt sicut superius includitur in suo inferiori, ita de se inuicem prædicantur.

Argum. Soluuntur. Ad primum ergo dicitur, quod minor est falsa, si subiectum & passio logice, & prædicatiue sumantur, quia accidens proprium in sua diffinitione includit subiectum, & ita de eo prædicatur. At genus in sua diffinitione non includit differentiam.

Ad secũdum dicimus, quod dum per syllogismum expositorium pronunciamus. Hoc per se est animal. Hoc per se est rationale, entitatem animalis rationalis inspicimus, & tãtum dicere volumus, quantum rationale per se est sensitiuũ, vnde est prædicatio entitatiua, & non logica.

Ad tertium dicimus omnia adducta esse vera entitatiue, nõ vero logice. Nam accidit, verbi gratia, animali, vt sensitiuum tantum dicit, quod sit rationale.

Dubia.

Sed adhuc primo dubitatur. An species per se prædicetur de sua differentia. Videtur enim quod sic, quia hæc propositio est per se. Rationale est homo, cum adæquate de se inuicem dicuntur.

Secundo dubitatur, An species potestatiue dicatur continere genus, sicut genus continet species. Videtur enim quod sic, quia species virtualiter continet genus, vt perfectum virtualiter continet imperfectum, continentia autem veritatis est potestatiua.

Tertio dubitatur. An genus possit prædicari, vt pars de specie. Videtur enim quod sic, quia est pars componens speciem.

Quarto dubitatur. An omnia entia rationem generis, vel speciei suscipiant

Ad primum dicitur vt supra, quod entitatiue de ea prædicatur, non formaliter, vt intelligitur pars eius separata.

Ad secundum respondetur negatiue, quia species includit genus, vt eius actualitas, genus vero speciem, vt eius potentialitas, vnde continentia generis dicitur, potestatiua, idest potentialis, & continentia speciei dicitur formalis, quia actuat, & formalizat potentialitatem generis, vnde nuncupatur continentia virtualis, actualis, & generis potentialis.

Ad tertium respondet S. D. in 3. distinct. 25. & de ente & essentia capit. 3. Dicendum ergo est, quod si genus sumatur, vt est quoddam totum diffinibile, & vt præscindit a speciebus, de eis nō prædicatur per se, vt diximus sup. Si vero sumatur vt quoddam vniuersale, & potentiale prædicatur vt totum, quia continet potentialiter totum esse specierum.

Ad quartum respondetur negatiue, cum S. D. in secunda distinct. 28. quæst. prima. artic. primo, & prima, secundę, quæst. 72. artic. sexto, & ibidem Caietan. Nam prædicari in quid dicit entitatem positiuam, quæ non conuenit negationibus, & priuationibus, sicut nec multiplicatio substantiua, quæ fit in speciebus. Sed dicas quod vere, & realiter nullum ens rationis potest esse genus, quia non est secundum se res substrata generica, tamen potest induere rationem generis, vt diuiditur in diuersas inferiores rationes, & veluti species.

LECTIO IX.

Caput secundum de specie.

Species autem dicitur quidem & de vniuscuiusque forma, secundum quam dictum est Priami quidem species digna est imperio. Dicitur autem species, & ea, quæ est sub assignato genere, secundum quam solemus dicere hominem quidem speciem animalis, cum sit genus animal album autem coloris speciem, triangulum vero figuræ speciem.

Quod si etiam genus assignantes speciei meminimus dicentes, quod de pluribus & differentibus specie in eo quod quid est prædicatur, & speciem dicimus id quod sub assignato genere est.

Nosse oportet quod, quoniam & genus alicuius est genus, & species alicuius est species, vtrumque vtriusque: idcirco necesse est vtrorumque rationibus vtrisque vti.

POstquam Porphyrius egit de genere, modo tractat de specie, qui tractatus diuiditur in tres partes principales. In prima diffinit speciē pluribus diffinitionibus. In secunda coordinat ipsa prædicabilia secūdum ordinem magis vniuersalis, & minus vniuersalis. In tertia diffinit indiuiduum, quod vltimum sortitur locum in prædicabilibus.

Primo autem venit notādum circa ordinē, quod hac ratione motus est Porphyrius ad tractādum de specie, post tractationē de genere, quia genus, & species correlatiua sunt, vnum autem correlatiuorum, neque diffiniri potest, neque cognosci, nisi ex suo correlatiuo, quod autem genus, & species correlatiua sint, ex eo liquet, quia in diffinitione generis ponitur species, & econuerso, & hęc ratio pro nunc sufficiat, quia in capite de differentia alias assignabimus. *Ordo.*

Secundo videndum est, quot modis sumatur species, ad hoc, vt sciamus, quæ nam sit species logica, & quæ nam sint, quæ habeant similitudinem cum ipsa. Varia igitur, ac multiplex est nominatio speciei, ita vt quælibet scientia videatur habere propriam denominationem. In primis igitur apud Grammaticos sumitur pro originali dispositione dictionis, prout originatur a priori dictione, vel non, sicut cælum apud ipsos dicitur primitiuæ speciei, quia a nullo originatur, cæleste vero dicitur *Spēs multipliciter sumitur.*

deriua-

deriuatiuę spẽi, quia originatur a cę lo. Secũdo modo sumitur apud Rethores, pro dispositione vultus, & totius personæ, quam orator ostendit dum orat. Tertio modo sumitur apud Naturalem, pro similitudine existente in sensu rei sensibilis, vel pro similitudine rei intellectæ, existentis in intellectu, vnde prima vocatur species sensibilis, secunda vero intelligibilis. Quarto sumitur apud Medicos pro inclinatione, seu dispositione corporis secundum illud Poetæ: mille hominum species, &c. Quinto sumitur apud Metaph. pro Idea, seu exemplari, de qua in secundo Metaph. disputabimus. Sexto sumitur apud Iuristas vt idem sonat, quod in particulari. Septimo sumitur secundum famositatem, pro pulcritudine, seu formositate alicuius, secundum illud, species Priami, seu secundum textum græcum, species primi digna est imperio. Octauo, & Vltimo sumitur apud Logicum, pro ea, quæ ponitur sub assignato genere, &c. Sed hic, quis quæreret pōt, cur Porphyrius omiserit superiores significationes, & solũ meminerit septimæ acceptionis, cui de facili rñdemus, ꝙ superiores significationes vel hñt similitudinẽ cũ spẽ logica, vel non; Si detur secundum, non erant memorandæ, vt non facientes ad rem. Si primum sufficiebat vnum exemplum dare, vt discipuli intelligerent. Dedit autem exemplum de pulcritudine, tum primo, quia dicitur ad similitudinem speciei logicę, quia species est pulcritudo generis, cum genus sit quoddam confusum, & indeterminatum, determinetur autem per speciem, tum etiam, quia talis significatio speciei erat in promptu, & magis vsitata; & ideo eam, in medium produxit. Tum etiam, quia species denotat perfectionem naturæ, & ita solet secundũ Philosophos pulcra aĩa, esse in benecõposito corpore, vnde Martialis. i Zoilo. Crine ruber, nigerore, breuis pede, lumine luscus. Rẽ magnã pstas Zoilo si bonus es. Ex opposito loquẽdo.

Tertio notandum circa ly sub assignato genere, quod hæc verba duplicem sensum possunt habere. Primus est, vt referantur hæc verba ad genus logicum, iam in tertia acceptione, nominatum: videlicet, quod prædicatur de pluribus differentibus, &c. Scds, vt referantur ad determinationẽ generis, vt sit sensus: species est quæ ponitur sub determinato genere, & non sub quocumque genere, vt homo ponitur sub genere animalis, & non sub genere lapidis, vel plantæ, &c. Vtramque conditionem debet habere species, ponenda est inquam species logica, sub genere logico, & non sub quocumq; genere logico, sed sub determinato, & ideo vtrumque putandum est, ꝙ inferant verba Porphyrij. *Species ponitur sub determinato genere.*

Quarto notandum circa ly sub genere, quod denotat duplicem ordinem subiectionis, scilicet, naturalis, & participationis; Naturalis, qa species est posterior genere, cum homo generandus prius viuat vita animalis, quam hominis. Participationis, quia species participat naturam generis, & est quasi eius pars, vt homo participat naturam animalis, & est, vt eius pars, in quantum animal diuiditur in rationale, & irrationale. *Sub genere.*

Q V AE S T I O V.

Vtrum vnum relatiuorum cadat in diffinitione alicuius, & vtrum genus & species sint correlatiua.

Videtur ꝙ vnũ correlatiuum non diffinitur ad reliquum. Nam diffinitio datur causa innotescendi ex Aristo-

Aristotele sexto Topicorum. Sed vnum correlatiuum non facit cognoscere reliquum, ergo. Probatur minor, quia vel vnum correlatiuorum est notius altero, vel non; si secundũ, habemus intentum, si primum, ergo idem erit notius, & ignotius dum mutuo se definiunt.

Secundo. Sequeretur, quod idem definiret seipsum, quia licet loco definiti ponere eius rationẽ, verbi gratia definiamus Speciem, vt correlatiuum, dicemus, species est quæ ponitur sub assignato prædicabili de pluribus differẽtibus specie: ecco, quod species cadit in suimet definitione; quod est magnum peccatum in arte definitiua secundum Aristotelem.

Tertio. Relatiua sunt simul natura; sed genus est prior specie, quia non conuertitur subsistendi consequentiã, valet enim est homo, ergo est animal, sed non conuertitur, vt dicendo est animal, ergo est homo, quia potest esse leo, vel bos.

Quarto. Quia genus, & species nõ solum ponuntur in genere relationis, sed in quocumque alio genere.

In contrarium est Porphyrius, qui in præsenti definit speciem per genus, sicut superius definiuit genus per speciem; & hæc vocat correlatiua.

Ad dilucidationem huius quæstionis. Primo adnotabimus quædã. Secundo ponemus vnam conclusionem, quam probabimus. Vltimo diluemus argumenta.

Circulus tollitur in absolutis. Quoad primum, primo notandũ venit, quod non sit admittendus circulus in diffinitionibus, ita vt vnum cadat in diffinitione alterius, & ecõuerso potest duobus modis intelligi. Primo in absolutis, secundo in relatiuis. In absolutis quidem inconueniens est, ex eo, quia absoluta, quatenus absoluta non habent necessariam dependentiam adinuicem, in relatiuis vero hoc necessarium est, quia relatiua sunt simul intellectu, & natura, & vnum formaliter non potest intelligi sine altero, non enim capiam quid sit pater, vt pater, nisi eum filium habere intelligam. Ratione ergo relationis prius actum est de specie antequam sit tractatum de differentia etsi ordine generationis differentia præcedat speciem, vt pars eius constitutiua.

Relatiuũ ad reliquũ definitur. Secundo notandum, quod aliud est dicere, quod vnum correlatiuum definiatur per reliquum, & aliud, qđ definiatur ad reliquum, nam primum causalitatem, & prioritatem importat, quæ aliena sunt a correlatiuis, vt correlatiua sunt; secundum autem importat, quod vnum correlatiuum habet necessariam dependentiam in esse, & in intelligi ab alio correlatiuo, verbi gratia, pater non dicitur pater, nisi quia habet filium, nec filius dicitur filius, nisi quia habet patrem. Et ita genus sumptum non pro re substrata, quia sic est absolutũ, & ita species, sed pro intentione secunda dicitur ad speciem, quia genus, non est nisi speciei genus, & ideo talis relatio est secundum esse.

Vt sunt correlatiua. Tertio animaduertendum ergo venit, quod correlatiua dupliciter considerari possunt. Primo materialiter, vt res sunt, verbi gratia, genus, quatenus est secunda substantia, & species pariter. Secundo modo possunt considerari formaliter, vt correlatiua sunt, vt genus est speciei genus, & species generis species. Primo modo non se diffiniunt, sed gaudẽt proprijs definitionibus, quia vt sic absoluta sunt. Secundo vero modo, vnum cadit necessario in definitione alterius, & se definiunt, & ita collocantur in prædicamento relationis, & hoc secundo modo Porphyrius vocauit genus, & speciem correlatiua. Et hæc vt species dicit respe

ctum ad superiora, scilicet, ad genus, quia vt prædicatur de indiuiduis alia est ratio.

Formaliter Quarto notandum, quod non omnia, quæ in vno relatiuorũ sunt ad aliud dicuntur, vnde verbi gratia, pater non secundum omnem rationẽ per filium diffinitur, sed pro quanto correlatiuum respicit secundum esse correlatiui, vnde vera est semper propositio, non absolute, sed proportionaliter sumpta, quod vnum relatiuorum ponitur in definitione alterius, inquantum ipsum respicit, vt correlatiuum, non solum secundum quid nominis, v. g. qđ pater dicatur pater, ex eo, quia habet filium, sed ẽt secundum esse quid rei, inquantum esse vnius correlatiui in vno repertum, necessario ab alio dependet, sistendo tamen semper in esse relationis, vt esse relationis est.

Quoad secundum conclusio est: Vnum relatiuorum necessario cadit in definitione alterius, probatur. Vnumquodque diffinitur, eo modo, quo sibi quidditatiue vendicat diffinitionem. Sed correlatiua, quatenus correlatiua nõ definiũtur nisi ad alterum, quia in hoc discriminantur ab alijs prædicamentis, ergo.

Secundo. Nõ minus dependet relatiuum in esse relatiuo a correlatiuo, quam accidens a subiecto. Sed accidens non potest definiri sine subiecto per Aristotelem secundo Metaph. ergo.

Probatur maior, quia relatiuum, vt relatiuum non est absolutum a subiecto, nec a termino, quantitas vero, qualitas, &c. definiuntur per subiectũ, q̃a nõ sũt absoluta a subiecto.

Tertio. In definitione formæ ponitur subiectum, quia est connotatum, igitur in definitione vnius relatiui cadit aliud, quia est cõnotatũ.

Vltimo. Philosophus in prædicamentis vnum correlatiuorum diffinit per aliud, immo in hoc consistere asserit quidditatem relationis, & Porphyrius in præsenti diffinit genus per speciem, & econuerso.

Ad primum respondetur ad maiorem, quod valet in absolutis, & nõ in relatiuis. Secundo, quod diffinitio vtiq; facit innotescere naturam diffiniti, nõ quocumque modo, sed pro natura diffiniti. De ratione autem relatiuorum non est quod vnum sit notius altero, sed quod sint simul connota, quod est dicere, quod simul cognoscantur. Vel tertio dicendum ad probationem minoris, non esse incõueniens, quod vnum relatiuum sit notius altero vt est terminus, quia tunc terminat & esse relatiui, & cognitionem.

Ad secundum dicitur ad assumptum, scilicet, quod loco nominis definiti licet ponere totam rationem, verbi gratia, si diffiniamus hominẽ dicemus homo est animal, loco ly animal possumus ponere totam eius rationem, scilicet, quod sit substantia, animata, sensitiua, valent hęc (inquam) in absolutis, quæ intrinsece se includunt, non autem in relatiuis, quia vnum relatiuum ponitur in diffinitione alterius, vt additum, sed & alias expositiones dabimus in septimo Metaph. propositæ propositioni, quia ex illo libro sumpta est.

Ad alia duo argumenta patet responsio ex tertia & 4. adnotatione.

LECTIO X.

Assignant ergo & sic speciem. Species est, quæ sub genere ponitur: & de qua genus in eo, quod quid est prędicatur.

Amplius aũt sic quoque species est quæ de plurib. et differẽtib. numero in eo, quod quid est prædicatur.

Sed hæc quidẽ assignatio specialissima, & quæ solũ species est; alia vero erunt etiam non specialissimarũ

IN his duabus lectionibus primo examinabimus hanc definitionē: species est quæ ponitur sub genere. Secundo, alteram examinabimus. s. species est quod prædicatur de pluribus, &c. Tertio ponemus multas dubitationes, tum contra primam, tum contra secundam definitionem.

Species duplici definitione definitur.

Quoad primum sciendum est, quod aliqui tenent, quod Porphyrius tres assignauerit definitiones ipsius speciei. Primam iam in præcedenti lectione examinatam. Secundam in præsenti positam, dum dicit: assignant, ergo sic speciem, &c. Tertiam dum dicit: species est quod prædicatur de pluribus, &c. & mouentur hac rōne, quia circa primā dubitat, quomodo genus definiatur per speciem, & econuerso, alias alijs verbis explanat. Alij vero, vt Soto, &c. dicunt, quod tantū Porphyrius bimembri diffinitione diffiniuit speciem. Primo in ordine ad superius, scilicet, ad genus, quod quidem apparet in præcedenti diffinitione, & præsenti. Secundo in ordine ad inferiora, dum dixit, species est, quod prædicatur &c. Sed facilius est conciliatio, dicendo, quod sunt definitiones partiales, plures respectu nostri, non secundum se, sed nec in his est immorandum, quia facillima sunt, nec digna longa digressione.

Species est sub genere & sub prædicato.

Secundo notandum quod species dupliciter sumi potest. Primo vt ponitur sub genere in recta linea prædicamētali. Scdō vt ponitur sub prædicato in propositione; primo modo vocatur inferius subijcib. secundo modo subiectum prædicati. Has duas speciei rationes complectitur Porphyrius in hac secunda diffinitione. Primā dum dicit, species est quę ponitur sub determinato genere; secundā dū subinfert: & de ea genus in eo quod qd est prędicatur.

Immediate, & directe.

Tertio notandum, quod in præsenti diffinitione duæ particulæ sunt subintelligendæ, scilicet directe, & immediate. Directe ad discrimen ipsius differentiæ, quæ immediate ponitur sub genere, non tamen directe, sed a latere, & per lineam trāsuersalem. Immediate, ad differentiam indiuidui, quod ponitur sub genere mediante specie, vt Petrus sub animali, mediante homine; sed de hac re magis erit agendum infra.

Explicatur secunda definitio speciei.

Quoad secundum primo notandū venit, circa hāc diffinitione: Spēs est quod prędicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid; quod omnes particulæ subtili Minerua (vt dicunt) sunt appositę; nam bona diffinitio dēt constare ex genere, & differentia, & explicare naturam diffiniti, quę omnia conspiciuntur in hac diffinitione, nam ly quod, habet rationem generis, & infert, quod species est vnum de quinque prædicabilibus; vnde male leguntur illi textus, qui habent: species est quæ prædicatur, &c. ly de pluribus, ponitur ad differētiam indiuidui, quod prædicatur de vno solo; ly differentibus numero, ponitur ad differentiā generis, quod immediate prędicatur de pluribus differentibus specie; ly in quid, ponitur ad differentiam differentiæ, proprij, & accidentis, quę prædicantur in quale.

Differre multipliciter.

Secundo notandum venit, quod oēs particulæ positæ in diffinitione claræ sunt, præter hanc: de pluribus differentibus numero. Vnde pro intelligentia huius sciendum est, quod multipliciter aliqua dicuntur differre; quædam quidem differunt genere, v.g. sensibile & insensibile, & hæc in nullo vniuoco conueniunt; sed in quodam analogo scilicet in ente: quædam autem differunt specie, per di-

uersas differentias specificas notas, vel non, ex quibus sumuntur diuersæ diffinitiones; vt differunt homo, & leo quę tamen conueniunt in vno, genere scilicet in animali, & ita etiam si Deus vniret vnam animam rationalem cęlo et aliā mixto ex elementis, different enim specie. Quædam autem differunt numero, non specie; & hæc differunt per diuersa principia indiuiduantia, vt sunt carnes, & ossa v.g. Petrus differt a Paulo, quia habet alias carnes, & alia ossa, quę distinctio vocatur materialis, & numeralis, sicut prior vocatur specifica. Prædicatur igitur species de pluribus habentibus vnam essentiam specificam differentibus vero solum per diuersa principia materialia, & ideo excluditur hic Deus qui dicitur de patre, filio, & spiritu S. nō vt de differentibus numero materiali, sed formali.

Species tripliciter cō siderattur. Tertio notandum, quod species tripliciter considerari potest; Primo vt est quoddam inferius subijcibile in recta linea prędicamentali. Secundo vt est subiectum in propositione, & secundum hos duos respectus fuit prius diffinita. Vltimo consideratur in ordine ad inferiora scilicet in ordine ad indiuidua, qua ratione vocatur secundum prædicabile, & hoc pacto fuit hic diffinita, vt scilicet natura comunicabilis pluribus differētib. numero & non solum nomine vt est nomen personæ, sed re & natura.

Dubia.

QVoad tertium principale dubitatur primo circa primam diffinitionem, v. quod species subijciatur generi. Contra. Vniuersale comparatur ad sua inferiora, & non ad superiora, quia hac ratione dicitur vniuersale, sed species est vnum de quinque vniuersalibus; igitur non subijcitur generi, sed solum prædicatur de pluribus differentibus numero, &c.

Secundo dubitatur circa eandem diffinitionem inquantum in ea dicitur, quod species ponitur sub genere directe ad differentiam indiuidui. Contra. Ad interrogationem factā v. g. quid est Sortes? possumus respondere per indiuiduum generis, & dicere, est hoc animal; Sed hoc animal ponitur directe, & immediate sub genere animalis, ergo.

Tertio dubitatur circa alterā diffinitionem scilicet, Species est quod prædicatur de pluribus &c. Contra. Multæ sunt species, quæ in vno solo indiuiduo saluantur, vt sunt Ang. quorum quilibet cōstituit vnā speciem, vt sunt Sol, Astra omnia, Foenix, &c. ergo hæc diffinitio non conuenit omni speciei.

Quarto dubitatur circa eandem diffinitionē; Quia illa diffinitio non est bona, quæ competit alteri a diffinito; hæc est huiusmodi, quia conuenit animæ, & puncto; nam anima prædicatur de illa, & ista anima, & punctum de hoc, & illo puncto; & tamen non sunt species, cum non habeant rationem totius: ergo.

Confirmatur, quia materia prædicatur de hac, & de illa materia, quæ differunt numero, & tamen materia non est species, cum non sit actus; & forma; ergo.

Quinto. Illa, quę numero differunt, solum pertinet ad prædicamentum quantitatis, quia numerus est quantitas discreta; sed non solum in prædicamento quātitatis reperiūtur species, verum etiam in quolibet prędicamento; ergo.

Sexto. Prædicari de pluribus differentibus numero etiam conuenit generi, quia v. g. animal prædicatur de Sorte, & de Platone differentibus numero; ergo.

Septimo prætere a probatur, quod non

non prædicetur in quid. Nam illud prædicatur in quid de aliquibus, quod dicit totam naturam illorum; sed species non dicit totam naturam indiuiduorum, ergo. Probatur minor; quia species solum dicit principia formalia, & specifica; in quibus conueniunt indiuidua, & non dicit principia materialia, quibus distinguuntur.

Ad has difficultates oportet singillatim respondere. Circa igitur primā difficultatem sciendum est, quod Alpharabius, Auicena, Albertus, & Caietanus in præsenti loco aiunt speciem non intrinsece, essentialiter, & in primo modo dicendi per se prædicari de indiuiduis; sed secundum quandam proprietatem inseparabilem, & necessario concomitantem subiectum, vnde secundum hos, species, vt species generi subijcitur; secundario autem de pluribus numero differentibus prædicatur, vnde concedunt, quod species, vt species non sit vniuersale quoddam.

Ex altera parte plurimi insurgūt, qui defendunt speciem, vt speciem, prædicari de pluribus, & esse quoddam vniuersale, inter quos est Franc. Toletus in præsenti loco.

Hic igitur, & respondet argumento, & probat suam intētionem. Ad argumentum primo respondet; quod prius est in specie esse quoddā vniuersale, antequam referatur ad genus, quia species non refertur ad genus, nisi vt quoddam vniuersale. Secundo respondet, quod species bifariam cōsiderari potest, primo præcise, pro vt refertur ad genus, & sic formaliter non significat vniuersale, sed subijcibile, secundo vt habet esse in multis, & sic formaliter dicitur vniuersale, & prædicatur de multis.

Scdo probat suā sniam duabus rationibus præcipuis. Prima est: Prius est esse vniuersale in specie, q̄ referri ad genus, quia vniuersale est communius quid, quam esse speciem, ergo prius est species vniuersale quoddam, antequam subijciatur generi, & referatur ad genus.

Secundo. In hoc differt species ab indiuiduis, quod species generi subijcitur, vt vniuersale quoddam, & ideo immediate, indiuidua vero, vt singularia, & mediata, igitur in specie est prius esse vniuersale quoddā, antequam referri ad genus.

Sed quia ego potius declino ad opinionem Caietani, ideo ponam primo aliqua fundamenta. Secundo rationes pro opinione Caietani. Vltimo fiet satis argumentis vtriusque partis, quia nec totaliter deuenio in sententiam Caietani.

Primum igitur fundamentum sit, quod diffinitiones speciei, quibus definitur. Primo per referri ad genus. Secundo per prædicari de pluribus: istæ inqnam diffinitiones possunt dupliciter considerari. Primo acsi vtraque esset perfecta, & totaliter explicans totam naturam speciei. Secundo, vt ambæ dicantur definitiones partiales datæ per diuersos respectus, quorum vnus sit ad superiora, scilicet, ad genera: alius ad inferiora, scilicet, ad indiuidua. Primū quidē non est pēsandū, quia vna est natura speciei, igitur & vna debet esse diffinitio, cum diffinitio rei correspondeat; sunt igitur duæ diffinitiones partiales, datæ per duos respectus, vnam, & eandem naturam annuentes. Definitur tamen species pro secunda intentione formaliter, idest, vt refertur ad plura indiuidua, cum quo stat, quod res substrata definiatur denominatiue. *Diffinitiones speciei sunt partiales.*

Secundum fundamentū est, quod isti respectus non distinguuntur ita realiter in specie, quod vnus alium nō includat, quasi species sit quod-

Non distinctā realiter

dam æquiuocum, & non analogum analogia vnius ad alterum, & si non strictè includat. Nā aliqua sic distinguuntur realiter, qđ vnū non includit reliquum, sed contra ipsum distinguitur. Alia vero sic distinguūtūr realiter, quod vnum includit reliquum, & solū addit formalitatem iam virtualiter in priori cōtentam, sicut est in proposito, nam primo species subijcitur generi, vt eius subiectum vniuersale, habens esse in multis. Hinc secundo oritur, quod cum nulla natura possit immediate subijci generi, nisi sit vniuersalis, & prædicetur de pluribus, numero differentibus, quia necessario dicit esse in multis, propterea, tunc species explicat naturam vniuersalis, & prædicabilis de indiuiduis, vnde id, quod virtualiter continebatur sub priori respectu, formaliter explicatur per secundum. Ex quibus causatur quædam distinctio realis Metaphysica, virtualis, ex qua possumus dicere, quod subijci generi primo conueniat speciei, secundo prædicari de pluribus, quia prædicari conuenit vniuersali, vt passio eius, ideo dicitur de specie, secundum quandam proprietatem. Sed quia speculatio hæc Metaphysica est, ideo nolo immorari.

Quoad secundum, rationes Caietani &c. sunt istæ. Relatiuum non potest æquè primo referri ad diuersos terminos eadem relatione, si ergo species primo refertur ad genus, vt species, igitur non vt species primo prædicabitur de indiuiduis, sed secundum quandam proprietatem.

Secunda. Inter quæcumque ordinata, est necesse dari prius, & posterius, sed isti duo respectus in specie habent ordinē adinuicem, ergo vnus erit prior, alius posterior.

Sed ad hæc, ex præhabitis fundamentis respondetur primo ad maiorem primi, quod relatiuum eadem relatione formaliter non refertur ad diuersos terminos distinctos realiter, quorum vnus non includat alium. Res tamen absoluta, sicut est species potest habere duos respectus distinctos realiter ex terminis formaliter, qui eandem rem essentialiter referant, & ad superiora, & ad inferiora. Secundo respōdetur, quod vnus horum respectuum primo cōuenit speciei, scilicet, subijci generi, alius secundario, scilicet, prædicari de indiuiduis, non tamen secundum proprietatem, secundum se, sed secundum essentiam partialiter importatam, sunt enim prius, & posterius eiusdem naturæ in eodem prædicamento, & non diuersorum prædicamentorū & per hoc patet ad secundum, & etiam ad principale.

Ad rationes Toleti non est aliter respōdendum, nisi quod falsum est, quod species sit vniuersale quoddā, antequam sit species, non enim potest esse vniuersale specificum, nisi sit species.

Species alio modo ponitur sub genere, quā indiuiduum.

Ad secundum aliqui respondent, quod poni sub genere stat dupliciter, primo immediate, & sic species ponitur sub genere, quia post genus immediate collocata est species, secundo mediate, idest, mediante specie, & sic indiuiduum ponitur sub genere, pro quanto species, quæ de ipsis indiuiduis prædicatur ponitur sub genere. Sed hæc responsio non satisfacit Caietano ꝑpter argumentum tactum, quia indiuiduum generis, scilicet, hoc animal, seu hoc corpus immediate ponitur sub genere animalis, vel corporis. Nec valet responsio Magistri Georgij Vercellensis, quod non datur hoc indiuiduum generis in rerum natura, quia quamuis non detur per se subsistens, datur tamen singularizatum

zatum in hoc & illo indiuiduo signato,&c. verbi gratia, & si non detur Hæc natura animalis per se subsistens, datur tamen natura huius animalis, scilicet, rationalis singularizata in Sorte &cæt. Secundo, quia sufficit, quod per interrogationem hác significemus conceptum vnum realem Metaphysicũ, qui virtualiter detur in quadã natura scđm diuersos gradus essẽdi in vno, vel in pluribus.

Respondetur igitur ꝟm mentem Caietani, quod diuersa est ratio positionis speciei sub genere, & indiuidui, nam species ita ponitur sub genere, quod tota ratio positionis ab intrinseco oritur a genere, qa id totum, quod species determinate dicit, genus indeterminate continet, in diuiduum vero ponitur sub genere, non tamen omnino ab intrinseco ex genere, sed ab extrinseco, scilicet, ex principijs indiuiduantibus, & materialibus, vnde breuiter possumus dicere, quod species formaliter ponitur sub genere, indiuiduum autem materialiter per additionem principiorum indiuiduantium, vnde post speciem nulla est diuisio formalis, sed solum materialis. Sed & respondetur ad argumentum, quod indiuiduum generis non ponitur sub eo vt vniuersale sicut & species.

Ad tertium respõdetur, quod prædicari de pluribus indiuiduis stat dupliciter. Primo in actu, & sic plures sunt species, quæ non prædicantur de pluribus differentibus numero in actu, qnia constant ex tota sua perfectione. Secundo in aptitudine, & sic nulla est species, quæ aptitudinaliter non possit prędicari dę pluribus, verbi gratia, in aptitudine, possunt esse plures Soles, plures Angeli, &c. Deus aũt non est species, qa in eo natura non differt a supposito

Prædicatur de pluribus vel actu uel aptitudine.

Contra tamen hanc responsionem sunt duo argumenta. Primum, quia Porphyrius videtur diminutus non tractando de hac specie, vel non insinuando hanc speciem, quæ aptitudinaliter de pluribus prædicatur. Secundũ quia falsum est, ꝙ aptitudine quadã plures possint esse Angeli in vna spẽ, plures Soles, cum cõstent ex tota sua perfectione, & non possint multiplicari, secundum maiorem perfectionem indiuidualem, nam v.g. materia Solis nõ est in potentia ad aliam formam Solis, quia totaliter est satiata a forma Solis.

Ad primum respondetur, quod Porphyrius non est diminutus propter duas causas. Prima, quia prædicatio generis, & speciei, intelligenda est ꝟm aptitudinẽ. Secunda, quia recensebat solũ modos famosos prædicandi, arduũ aũt, & difficile esset, & excedẽs limites logici negocij tractare quõ sint aliquæ species, q̃ non sint multiplicabiles ꝟm indiuidua.

Ad secundum dicendum, quod duplex est aptitudo, seu potentia, quædam phisica, quæ habet ordinem ad actum, cuius est susceptura, & talis potentia debet reduci ad actum, aliter esset frustra. Alia est potentia logica, seu non repugnantiæ in esse obiectiuo tantũ, quia potest intelligi multiplicabilis, & si realiter non possit multiplicari, & hæc non est reducibilis ad actum. Tunc ad propositum dicitur, quod & si vere, & realiter non possint multiplicari Angeli, nec Soles, &c. cum constent ex tota sua perfectione; & vt sunt tales species, possunt tamẽ multiplicari, si considerentur vt species sunt, & non vt tales species. Secundo dicitur, quod prædicari de pluribus in diffinitione speciei intelligitur permissiue, quia multæ sunt species, quæ prædicantur de pluribus differentibus numero potitiue, nõ autẽ intelligitur necessario rõne adducta.

Ad quartum primo respondetur, quod prædicari de pluribus stat du-

Cõpleta vel incõpleta. pliciter. Primo cõiter, & ſic quodlibet prædicatum habens modum ſpeciei poteſt dici ſpecies. Secundo proprie, pro ea ſpecie, quæ ſignificat rationem formalem diuiſiuam generis ex oppoſito, quæ de pluribus eſt prædicabilis. Anima, & punctum habent rationem ſpeciei primo modo, non autem ſecundo modo, quia Anima proprie non eſt rationalis vt quod, ſed homo ſcilicet compoſitum ſpecificum, nec punctum quid amplius habet, nec materia. Secundo reſpondetur, quod in diffinitione ſubintelligenda eſt hæc particula. Naturæ completæ, ideſt ſpecies quæ eſt completæ naturæ, prædicatur, &c. modo anima non eſt natura cõpleta, ſed pars, ſcilicet hominis. Tertio reſpondetur, quod ſubintelligenda eſt etiam alia particula, ſcilicet, formaliter, quia ſpecies diuidit genus per differentias formales, quæ comparatæ ad inferiora ſe habent, vt quod prædicatur, & non vt quo aliquid prædicatur. Modo anima ſe habet, vt quo homo de ſingularibus prædicatur formaliter, & non, vt quod. Punctum vero quod ſe habet vt principium vel materiale, vel effectiuum lineæ, & alterius puncti nullo modo, ideo non poteſt vocari ſpecies, ſicut nec materia, quia ſe habet vt principium materiale, & per hoc patet ad confirmationem.

De diffe. entibus numero materiali Ad quintum reſpondetur, quod duplex eſt numerus, ſcilicet, numerans, quo entia numerantur, vt vnum 2.3.4.5.6.&c. Alius eſt numerus numeratus, ſcilicet, vnus homo, duæ albedines, tria aialia, &c. Primus numerus ſolum pertinet ad ſpeciem quantitatis diſcretæ, numerus vero numeratus poteſt reperiri in quolibet prædicamento, de quo loquimur. Vel ſecundo dicendum, quod ibi ſufficit, quod ſit quantitas, vel radicaliter, ſicut materia dum eſt principium indiuiduationis, vel formaliter, vt in omnibus materialibus iam indiuiduatis, vel ſaltem aliqua quantitas virtualis, & ſi hæc proprie non fundet numerum indiuidualem, ſed formalem. ſ. ſpecierum, vt patet in Angelis.

Ad ſextum. Primo reſpondetur, quod genus non ſolum prædicatur de pluribus differentibus numero, ſed & de pluribus differentibus ſpecie; ſpecies vero ſolum prædicatur de pluribus differentibus numero, ideo ly ſolum non finit, vt hæc definitio conueniat generi. Secundo reſpondetur, quod genus prædicatur, &cæt. mediate, quia immediate de ſpecie prædicatur. Species vero immediate prædicatur de indiuiduis. *Solum.*

Sed quis replicare poſſet, quod genus immediate prædicetur de pluribus differentibus numero, eo quia prædicatur, immediate de duabus ſpeciebus differentib. numero: exempli gratia de homine, & de leone. Sed reſpondemus, quod duplex eſt numerus, ſcilicet, formalis, ſeu tranſcendentalis, qui rebus a materia ſemotis conuenit, vt ſunt duo Angeli, duæ eſſentiæ, duæ ſpecies, & hic numerus potius vocatur multitudo, quam vere numerus. Alter eſt numerus materialis, qui ſolum conuenit rebus materialibus, & quantis, & de hoc numero loquitur Porphyrius, argumentum vero procedit de numero formali.

Ad ſecundum dicendum, quod ſignificare totum eſſe indiuiduorum ſtat dupliciter. Primo abſolute, ſcilicet, oẽ eſſe, & hoc eſt falſum in ſpecie, vt eſt probatum reſpectu indiuiduorum. Secundo, totum eſſe formale importatum per differentiam formalem, & ſic ſpecies dicit totum eſſe, vt rationalitas dicit totum eſſe omnium hominum rationalium, & hoc ſufficit, quia poſt ſpecialiſſimam *S e. ntũ totũ eſſe formale.*

nulla

nulla est diuisio formalis, sed solum materialis. Vel dicendum secundo, quod si prædicatur de pluribus differentibus numero, cum quæ differunt numero, differant solum per principia materialia, consequenter dicendum est, quod explicet esse indiuiduorum.

LECTIO XI.

Planum autem erit quod dicitur hoc modo. In vnoquoque prædicamento sunt quædam generalissima, & rursus alia specialissima, & inter generalißima & specialißima sunt alia quæ genera & species dicuntur eadem. Est autem generalissimum quidem, supra quod non sit aliud superueniens genus. Specialissimum autem est post quod non est alia inferior spẽs. Inter generalißimũ aũt & specialissimum alia, quæ genera, & species sunt eadem: ad aliud tamen & ad aliud sumpta.

Fiat autem manifestum in vno quidem prędicamento quod dicitur. Substantia est quidem, et ipsa genus: sub hac autem est corpus: sub corpore animatum corpus: sub quo animal: sub quo homo: sub homine vero Socrates, Plato, & qui sunt particulares homines.

POstquam Porphyrius diffiniuit speciem, hic secundam partem principalem aggreditur, in qua constituit primo, & ordinat seriem prædicabilium in quadam figura arborea, deinde secundo definit singula, quæ ponuntur in hac arbore, nos autem in præsenti lectione duo agemus. Primo eliciemus quædam digna annotatione ex verbis Porphyrij. Secundo, circa illa proponemus quædam dubia, & dissoluemus.

Quoad primum, primo igitur est notandum, quod Porphyrius in quolibet prædicamento tria esse affirmat, scilicet, generalissima, quæ collocantur in suprema parte, ideo supra ipsa non datur aliud genus, specialissima, quæ sunt in imma parte, & ideo sub se non habent aliam speciem, & inter media, quæ & binonima vocantur, quia habent duplicem respectum, s. & ad suum superius, & ad suum inferius. *Tria sunt in quolibet prædicamento.*

Aduertendum secundo, circa illã propositionẽ, qd in quolibet prædicamento sunt quædam generalissima, quod potest dupliciter intelligi. Primo distributiue, vt distribuat pro quolibet prædicamento, & hoc est falsum, quia in vno prædicamento datur solum vnum generalissimum. Secundo collectiue, i. sunt plura generalissima, sicut plura sunt prædicamenta, quia quodlibet prædicamentum habet proprium generalissimum, & sic intelligenda est propositio Porphyrij. *In eo sunt quædam generalissima.*

Tertio est animaduertendum, quod hoc declarat Porphyrius in prædicamento substantiæ, vbi ponit substantiam genus generalissimum, quia supra substantiam non datur aliud genus, asinum vero, & hominem ponit species specialissimas in genere substantię, quia sub his non continentur inferiores species, corpus autem, viuens, & animal ponit intermedia, quia habent duos respectus, ex vno quorum, scilicet, ex superiori habent, quod vocentur species, ex alio vero, scilicet, inferiori habent, quod vocentur genera. Propter duas rationes, puto autem, quod exemplificauerit de prædicamento substantiæ. Prima *Explicatur in prædicamento substantiæ.*

quarum est, quia inter prædicamenta, primum obtinet locum, vnde prę oculis erat habenda. Secunda, quia substantia est perfectissimum ens, & nobilissimum inter alia prædicamenta, a nobilioribus autem, & perfectioribus ordine naturæ est inchoandum.

ARBOR PORPHYRIANA.

	Substantia	
Corporea	Corpus	Incorporea
Animatum	Viuens	Innanimatum
Sensibile	Animal	Insensibile
Rationale	Homo	Irrationale.
Indiuidua	Supposita	singularia
Aliquis homo	Sortes	Iste homo
Aliquis Asinus	Brunellus	Iste Asinus.

Errores cauendi. Quarto adnotandum, quod in hac serie prædicabilium duo sunt cauendi errores. Primus Auerrois, negantis, quod substantia sit genus generalissimum, cum secundum ipsum, substantiæ spirituales, immo & corpus cæleste escludantur a prædicamento, dicitque quod corpus generabile, & corruptibile est genus generalissimum, & substantiam vt sic esse positam exempli gratia, quæ opinio tamen falsi conuincitur, ex eo quod, omnes substantiæ creatæ in prædicamento collocantur, vt videbimus prima parte q.3.ar.5.& q.50. ar. 2. Secundus error cauendus, est Porphyrij, ponentis animal rationale esse genus ad Deos, & homines; quia ficticium est velle ponere animalia quædam deificata. Sed in hac

re secutus est opinionem Stoicorum, & Platonicorum ponentium Demonia esse quædam corpora aerea, mēte rationalia, tempore æterna, animo passiua de qua re agemus parte prima q.50.ar.5.

Explicatio arboris. Quinto notādum, quod Porphyrius explicat illud, quod dixerat, quod in quolibet prædicamento sint quædam generalissima, &c. subinfertque quod generalissimū solum gaudet nomine generis, & non speciei, infima, solum speciei, & nō generis: intermedia vero generis, & speciei; Additque, quod generalissima habent solum vnam habitudinē scilicet ad inferiora, specialissima ēt vnam solum, scilicet ad superiora. Intermedia vero duas, scilicet ad superiora, & ad inferiora, & omnia hęc describit suis proprijs descriptionibus, & hæc patent in litera.

Generalissimi explicatio. Sexto adnotandum circa diffinitionem generalissimi, quod dupliciter exponitur, & positiue, & negatiue, positiue, inquantum respicit inferiora, vt supremum, negatiue in quā tum supra illud non datur superius genus vniuocum.

Quoad secundum. Primum dubium occurrit circa seriē prædicabilium, & prædicamentorum, & specialiter contra intermedia; Nam medium componitur ex extremis, sicut rubedo ex albo, & nigro. Sed species subalterna, seu genus non componitur ex superiori, & inferiori vt optime docet D. Tho. in primo Physicorum Lect. prima, ergo nulla sunt intermedia.

Secundū dubium procedit contra intermedia, prout ibidem collocantur, Nam a quacūque essentiali conuenientia abstrahibile est vnum genus, vel vna species; Sed inter v. g. hominem, & equum est maior conuenientia essentialis, quam inter hominem, & leporem, & inter hominem, & elefantem, quam inter hominem, & leporem, ergo est abstrahibilis, alia species, immo multę, quę sunt omissę a Porphyrio.

Tertiū dubium est contra illud, quod species specialissima vnam tātum habet habitudinem s. ad superiora. Contra; probo, quod habeat duas habitudines sicut & omnia intermedia; Nam illud, quod cōtinet, & continetur habet duas habitudines, vnam ad continens, aliam ad contenta, Sed species specialissima continet indiuidua, & continetur a genere, ergo habet duas habitudines.

Medium quadruplex. Ad primū pro nūc dicē dū est, qd medium est quadruplex. Primum dicitur mathematicum, quod facit rem æqualiter distare ab extremis. Secundum physicum, quod est participatiuum æqualiter, vel inæqualiter de extremis, vt rubrum respectu albi, & nigri. Quoddam dicitur medium morale, quod constituit virtutem specialiter temperātiæ. Quartū dicitur logicum, quod positione est mediū in arbore Porphyriana. Nos loquimur de hoc quarto medio, quod non est necessarium esse compositum realiter, argumentum vero procedit de medio secundo modo.

Vel secundo respondetur, quod duplex est medium, scilicet methaphysicum, sicut est species subalterna, quæ componitur ex genere, vt ex materia, & ex differentia, vt ex formā, sed methaphysica, vt scilicet dicit specialem modum essendi generis. Aliud est medium naturale, compositum ex contrarijs, &c. Prima cōpositionū est aliena a specie subalterna; sed secunda de qua procedit argumentum vtique, sed de his in Methaphysica agendum erit.

Super rationale, et irrationale non datur nisi animal. Ad secūdū respondetur, quod inter hominem, & species animalium irrationalium nō est abstrahibilis

bilis alia species essentialis, ne detur processus in infinitum in prædicatis essentialibus, & specificis, contra Aristotelem in secundo Methaphysicæ, & in octauo, tex. 60. Tū quia nō pōt esse, alia essentialis rō intrinseca conuenientiæ, quā in animalitate secundum magis, & minus; vnde ad Minorem argumēti respōdetur, qd potest esse maior conuenientia inter hominem, & leonē &c. quam inter hominem, & leporem &c. non tamen erit alia essentialiter, ita vt non sit conuenientia vel disconuenientia animalis, vel animalitatis; vnde, si Deus crearet aliam speciē mediam inter hominē, & leonem, non conueniret cum homine, nisi in ratione animalis.

Super rationale, et irrationale nō datur nisi animal.

Ad tertiū primo respondet Porphyrius, quod species specialissima respicit, & superiora, & inferiora nō duabus habitudinibus, sed vna eademque.

Species habet duas habitudines.

Contra tamē argumētatur Caiet. quia species in ordine ad superius habet rationem correlatiui; in ordine ad inferiora absoluti; diuersę autem sunt habitudines, absoluta, & respectiua. Vnde respondet ipse, quod vere, & realiter sunt duę habitudines, sed nō duæ habitudines extraneę, quia vna pullulat ex alia. Ego autem putarē melius dicendum esse; quod Porphyrius non negat speciei conuenire duas habitudines; immo per subijci, & prædicari, eas duas esse affirmat. At solum negat, quod sint duæ secundum modum denominandi; nam intermedia habent duas habitudines quidem; vnā ad superiora, ex qua dicuntur species; aliam ad inferiora, ex qua dicuntur genera. Species autem, & si habeat duas habitudines, dicitur tamen species & in ordine ad superiora, & in ordine ad inferiora, & hoc est, quod aperte docet Porphyrius.

LECTIO XII.

Sed in familijs quidem plerumque reducuntur ad vnum principium. ver. gra. ad Iouem: in generibus autem & speciebus non sic se habet, neque enim vnum commune genus omnium est ens: nec omnia eiusdem generis sunt, secundum vnum supremum genus, quemadmodum dicit Aristot. sed sunt posita, quemadmodum dictum est in prædicamentis, prima decem genera quasi decem prima principia: & si omnia quis entia vocet, æquiuoce, inquit, nuncupabit, non vniuoce, si enim esset commune omnium genus ens, vniuoce omnia entia dicerentur, cum vero sint decem principia prima, commune ens omnium secundum nomen est solum, non autem secundum diffinitionis rationem, quæ secundum nomen est. Decem igitur quidem generalissima sunt.

Specialissima vero in numero quidem quodam sunt, non tamen infinito. Indiuidua autem, quæ sunt post specialissima, infinita sunt: quapropter vsque ad specialissima a generalissimis descendentes iubebat Plato quiescere: descendere autem per media diuidentes specificis differentijs, infinita vero, inquit, relinquenda sunt, neq; enim eorum scientiam posse fieri.

Descendentibus igitur ad specialissima necesse est diuidentes per multitudinem ire, ascendentibus vero ad generalissima necesse est colligere multitudinem in vnum,

colle-

collectiuum enim multorum in vnam naturam species est, & magis id quod est genus, particularia vero & singularia econtrario in multitudinem semper diuidũt quod vnum est. Participatione enim speciei plures homines, vnus homo: particularibus autem & singularibus vnus homo & communis plures, diuisiuum enim est semper quod singulare est, collectiuum autem & adunatiuum quod commune est.

HÆc est tertia pars, in qua de numero prædicamentorũ Porphyrius determinat, & de quibusdam regulis necessarijs in istorum coordinatione; nos vero in præsenti lectione primo hęc perstringemus sub quibusdam annotationibus, deinde vltimo quasdam dubitationes proponemus, & dissoluemus.

Quoad primum, notandum est, primo, quod Porphyrius exemplificans, quod in quolibet ordine prędicamentorum detur vnum generalissimum, vnum specialissimum, & multa intermedia, exemplificat per id, quod videmus in familijs, nam in ipsis datur vnus primus pater, a quo omnes, vltimus hæres a quo nullus, & multi medij patres, & filij. Sed insuper ostendit discrimen, quod in familijs illud primũ principium potest vocari eorum genus, prædicamenta autem non possunt reduci ad vnum primum genus, quod probat, quia si reducerentur ad vnum primum genus, hoc esset ens; sed ens non potest esse genus, cum non sit vniuocum; si quis enim omnia entia vocet (dicit Porphyrius) æquiuoce noncupabit; Inde optima ratione deducit, quod decem sunt genera rerum primo diuersa.

Ens non est genus.

Aduertendum secundo circa id, quod Porphyrius affirmat, quod ens est æquiuocum, quod duplex est æquiuocum. Quoddam a casu, quod & proprie æquiuocum vocatur, & hoc tale de inferioribus prædicatur solum secundum nomen, & non secundum aliquam rationem, vt canis dicitur de terrestri, marino, & cęlesti, Aliud est æquiuocum a consilio, quod a Methaphysicis analogum vocatur, quod quidem prædicatur de inferioribus, & secundum nomen, & secũdum rationem, non tamen omnino eandem, sicut vniuoca prædicantur, sed secundum eandem rationem inęqualiter participatam, vel secundum proportionem. Ens est æquiuocum hoc secundo modo, vt late videbimus in quarto Metha.

Est analogum.

Aduertendum tertio circa illud, quod diximus, quod decem sunt prima principia rerum, quod pro nunc principia sunt in triplici differentia. Quædam vocantur principia intrinseca, ex quibus intrinsece res componitur, vt materia, & forma, & priuatio, duo prima per se, vltimum per accidẽs. Quędam vero sunt principia extrinseca, quæ reducuntur ad genera causæ effectiuæ, & finalis, vt sunt v. g. in generatione Sortis, Deus, cęlum, sol, & pater. Quædam vero sunt principia formalia, quæ ab omnibus sub ipsis contentis participantur, secundum vnam rationem generalissimam, per quam hoc tale generalissimum de illis prædicatur, vt omnes substantiæ dicuntur substantiæ ab vna substãtia, & omnia quanta ab vna quantitate &c. & de his locutus est Porphyrius, vt sit sensus verborum eius: Decem sunt prima principia formalia prædicabilia de rebus.

Principia prima prædicabilia sunt decẽ.

Aduertendum quarto circa numerum,

Indiuidua sunt indeterminata. merum prædicamentorum, seu generum, specierum, & indiuiduorum quod author inquit, genera esse determinata, & in vniuersum decem solum esse & secundum se, & secundum nos; species vero, & si secundum se sint in certo quodam numero, nobis tamen omnes non sunt notæ, quia vltimis differentijs caremus; Indiuidua autem, nec secundum se sunt determinata, cum sint infinita successiue, nec secundum nos, quia ignoramus, quot, & quanta sint; vnde merito Plato affirmabat sistendum esse in specialissimis, quia indiuidua sunt infinita, & infinita relinquenda sunt ab arte.

In potentia. Notandū est tamen quinto, quod indiuidua sint infinita potest dupliciter intelligi. Primo in actu, & hoc falsū est, & ſm magnitudinē, & ſm multitudinē, vt euidenti. rationib. probat Arist. in 3. Phys. Secundo, vt dicantur infinita in potentia, & in quadam successione, & hoc verum est, data quidem ęternitate Mundi, & generationis, damus etiam infinita indiuidua secundum successionem, quo pacto locutus est Porphyrius, & Plato in hoc est audiendus.

Descendēdo diuidimus. Aduertendum sexto, quod Porphyrius præscribit ordinem ascendendi, & descendendi, inquiens, quod ascendendo multa colligimus in vnum; vnde quanto aliquid in recta linea prædicamentali est superius, tanto magis est collectiuum. In descensu vero illud, quod est vnum, in multis partitur, vnde quāto magis ad inferiora procedimus, eo magis adunatum diuidimus, & multiplicamus; nam ascendendo multa indiuidua colliguntur in vna specie, multę species in vno genere subalterno, & multa genera subalterna in vno genere generalissimo. Descendendo vero vnum generalissimum diuidimus in multa genera subalterna, vnum subalternum in multas species, vna species in multa indiuidua; & hoc, quia participatione speciei plures homines sunt vnus homo.

Plures homines sūt vnus homo participatione speciei. Aduertendum septimo circa supra inductam propositionem: Participatione speciei plures homines sunt vnus homo, quod hæc propositio absolute nō est vera, quoad vnitatem numeralem, quia singuli homines plurificantur ex proprijs principijs indiuiduantib. Vera igitur erit cum hac condicione, scilicet, participatione speciei, quia singuli homines in vna specie conueniunt, & eādem vnitatem specificam, & formalem retinent, quæ tamen plurificatur secundum diuersitatem materiæ signatæ per ordinem ad hanc, vel illam quantitatem.

Regulæ. Aduertendum octauo, quod Porphyrius vltimo ponit tres regulas, quibus regulantur posita in serie prędicamentali. Prima est, quod genus prædicatur de speciebus, & vniuersaliter omne superius prædicatur dę suis inferioribus. Secunda nunquam inferiora de superioribus prædicantur, & ratio est, quia omnis prædicatio est superioris de inferiori, vel æqualis de æquali; Tertia regula est, quod de quib. prædicatur species, de eisdem prædicatur genus, & de quib. prædicatur genus subalternum, de eisdem etiam prædicatur genus generalissimum, sed non econuerso, & omnia clara sunt in litera.

Quoad secundum principale circa supradicta occurrunt quædam dubia. Primum accidit circa illam propositionem, quod superius est magis collectiuum, quam inferius, vt genus quam species. Contra hoc esse videtur. Quod illud magis

vide-

videtur esse collectiuum, quod magis in se est indiuisibile, & indiuisibilius contenta continens; At species cum sit atoma, nullaque diuisione formali possit diuidi, sicut genus, quod diuiditur per differentias, consequenter videtur censenda esse magis collectiua, quam genus.

Secundum dubium emergit circa alteram propositionem assumptam. s. Quod quanto aliquid est superius, tanto plura continet: Contra: Illud, quod addit aliquid superiori, illud tale superius continet, & quid amplius, quia ei addit. Sed species addit differentiam supra genus, ergo plura continet, quam genus.

Tertium dubium oritur circa aliam propositionem, v. Quod æqua de æquis, vel maiora de minoribus sunt illa, quæ prædicantur. Contra: Hæc est bona prædicatio: Animal est homo, nec tamen est maioris de minori, vel æqualis de æquali.

Species est magis collectiua intensiue. Ad primũ respondetur cum Caietano, quod esse magis collectiuũ stat dupliciter primo extẽsiue, i. plura continere, secundò intensiue .i. non tot, & tanta, sed magis vnire, genus plura continet primo modo, quia nõ solum indiuidua vnius speciei ambit, verum omnium suarum specierum, immo, & ipsas species, & de hac continentia locutus est Porphyrius, species vero non plura continet, sed magis, i. intensius, i. indiuisibilius. Nam genus se habet ut dux, habens sub se multos milites, & duces diuersarum linguarum, nationum, &c. Species vero est veluti dux exercitus vnius voluntatis, & inclinationis, &c.

Et magis sic conti- Ad secundum respondetur quod duplex est continentia .s. actualis, & potentialis, potẽtialis est illa, qua multa continentur in vno indistincte, & in confuso. Actualis autem qua plura continentur in vno determinate, & distincte. Genus plura continet continentia potentiali, sed species actuali, quia cõfusionem generis, & potentialitatem distinguit, & actuat per diuersas differentias essentiales quasi per formas.

Inferius prædicatur de superiori disiunctiue. Ad tertium. Aliqui possent respondere, quod talis est prædicatio indirecta, & non directa, quia subiectum se habet vt forma prædicati. Sed contra hanc responsionem est, quia vere, & realiter inuenimus multas propositiones, in quibus subiectum se habet in plus, quam prædicatum, vt numerus in plus se habet, quam par, vel impar. Dicendum est igitur, quod istę non sunt prædicationes in primo, vel secundo modo perseitatis absolute, & simpliciter, sed sub disiunctione, quia semper veræ sunt, & necessariæ, vt quod numerus sit par, vel impar, & animal rationale, vel irrationale, & nasus simus, vel aquilinus, vel alterius figuræ, vnde si debent esse necessariæ istæ propositiones, oportet, quod semper sub disiunctione intelligantur.

Caput Tertium de Indiuiduo.

LECTIO XIII.

POstquam Porphyrius in superioribus de genere, & specie egit, hic intendit tractare de Indiuiduo sub specie contento. Nos vero sectantes doctrinam Porphyrij primo explicabimus naturam Indiuidui, per quasdam notationes, deinde mouebimus aliquot dubia circa ipsum, & dissoluemus.

Ordo. Quoad primum, primo notandũ est quod Porphyrius põst tractatum de specie posuit tractatum de Indiuiduo, primo quia in diffiniendo speciem

speciem dixerat, quod prædicatur de pluribus indiuiduis: Explicanda igitur erat natura ipsorum ad hoc, vt perfectam intelligentiam de ipsa haberemus. Secundo, quia indiuiduum cum aliquo pacto prædicetur, non tamen sicut vniuersale de inferioribus, hoc erat explicādum, quomodo, & qualiter contingeret, antequam ad vlteriora procederet.

Indiuiduum duplex vagum, & signatū. Secundo notandum; quod duplex est indiuiduum. s. signatum, & vagum: Vagum illud dicitur, quod de pluribus prædicari potest, non vt quod, i. vt natura vniuersalis; sed vt quo, i. inquantum dicit modum existendi plurium sub vna specie; Signatum vero illud nuncupatur qd ita est determinatum per principia indiuiduantia, vt non possit prædicari de pluribus, nec vt quo, nec vt quod, sed solum dicatur de seipso: Nos in præsentiarum intendimus solum loqui de indiuiduo signato, quia de modo prædicandi indiuidui vagi sermonem habebimus in prædicamentis, capite de substantia.

Signatū quadrupliciter ostēditur. Tertio animaduertendum, quod indiuiduum signatum dicitur res illa singularis, quæ in se est indiuisa, quia non habet vnde possit diuidi, & est diuisa a quolibet alio per sua principia materialia .i. per has carnes, & hæc ossa, quatuor autem modis potest nominari hoc tale indiuiduum. Primo proprio nomine, vt dicendo, Socrates, vel Plato. Secundo per determinationem termini communis cum aliquo pronomine demonstratiuo, vt iste homo .s. est Sortes, vel Plato. Tertio modo per determinatas proprietates indiuiduales circumlocutiuas, vt dicendo Petrus, qui est coloris albi, magni capitis, &c. Quarto per circumlocutionem originis, patriæ, vel patris, vt Dominicus filius Cælij Calcagnini ex Vrgnano, &c.

Habet septem accidentia. Quarto notandum quod septem sunt accidentia, quæ indiuiduum commitantur. Primum est forma .i. complexio, s. calidæ, vel frigidæ, siccæ, vel humidæ. Secundum est figura, puta paruæ, vel magnæ staturæ. Tertium est locus, a quo originem trahit. Quartum est tempus eius natiuitatis, .s. natus in tali anno, mense, die, & hora. Quintum est sanguis .i. ex quibus parentibus. Sextum est proprium nomē. Septimum patria .i. natus in tali climate, &c. & hæc omnia continentur sub his versibus, sed hæc supponas semper pluribus non conuenire eodem modo, & si secundum rem eis conueniant.

Forma, figura, locus, tempus, cum nomine, sanguis.
Patria, sunt septem, quæ non habet vnus, & alter.

Principia induiduātia. Quinto animaduertēdum, quod principia indiuiduantia possunt & ipsa dupliciter considerari. Primo in communi, v.g. pro carne, & ossibus. Secundo in particulari, pro hac carne, & his ossibus. Primo modo spectant ad indiuiduum vagum, quia modaliter prædicantur de his carnibus, & de his ossibus. Secundo vero modo proprie spectant ad indiuiduum signatum.

Et determinationem. Vltimo sciendum, quod indiuiduum addit supra speciem differentiam quandam indiuidualem, s. hęcceitatem, qua natura constituitur hæc, nō quod hęcceitas sit primum principium indiuiduationis, quia est materia cum ordine ad talem quantitatem, sed quia hæc vnitas numeralis resultat ex re indiuiduata, & potest vocari terminus indiuiduationis. Vnitas autem hæc numeralis, seu materialis non distinguitur realiter ab vnitate speciei, seu formali, quia & ipsa plurifica-

rificatur in individuis, sed hæc videte in septimo Methaphysicę: ratio autem cur magis multiplicetur vna species per indiuidua, quam alia est, quia ei non repugnat habere multa indiuidua similia. Addo quia perfectio tota speciei non saluatur in vno indiuiduo, sicut saluatur in astris, & Angelis, sed in pluribus, quia. s. est in potentia ad plura indiuidua. Quāuis autem indiuiduum sic fuerit definitum a Porphyrio, secundum prædicari, attamen secundum esse a D. Th. 1. p. q. 29. art. 4. sic definitur. Indiuiduū est, quod est indiuisum in se, & diuisum, a quouis alio, vltima diuisione, quia de se est incommunicabile, & per principia indiuiduantia diuisum a quolibet alio, & in se indiuisum, quia si diuidatur, non diuidetur in partes eiusdem rationis, si totum diuisum sit hæterogeneum.

Sed contra supradicta emergunt tria dubia. Primum dubium emergit quia diffinitur indiuiduum. Nā singularium non est scientia, nec diffinitio. At indiuiduum est quoddam singulare, ergo de eo non potest esse scientia, nec diffinitio, ergo male Porphyrius ipsum diffinivit.

Secundum, quia male videtur diffinitum: Nam indiuiduum signatum de nullo prædicari posse videtur, Quia illud quod de aliquo prædicatur, requirit distinctionem subiecti, & prædicati in propositione, & quod prædicatum se habeat, vt forma subiecti; modo idem non post distingui a se ipso, nec potest respectu sui ipsius habere rationem formæ, & materiæ.

Tertium dubium est contra id quod Porphyrius asserit. s. quod genus se habeat, vt totum, & species vt pars, cū species possit esse totum respectu indiuiduorum contentorum, & pōt esse pars generis, vnde genus, est solum totum, indiuiduum solum pars, species & totū, & pars. Sed contra arguitur dupliciter: Primo, genus concurrit ad constitutionem speciei, vt eius pars, nam homo constituitur animali, tanquam ex parte generis, & ex rationali, tanquam ex altera parte, s. ex differentia, igitur male dicitur, quod est solum totum.

Secundo, quia indiuiduum constituitur quidem ex principio specifico, & etiam ex principijs indiuiduantibus materialibus, igitur potest esse totum, & pars. Ad primum omnes respondent indiuiduum pos se dupliciter sumi. Primo pro re singulari existenti in rerum natura, indiuiduata per has carnes, & per hæc ossa, & sic non diffinitur. Secundo potest sumi pro re illa quidem singulari, seu vt stat sub hac intentione secunda indiuidui, quæ intentio cōmunis est omnibus indiuiduis, nam omnes res singulares subsistētes indiuidua nuncupari possunt, & sic diffinitur, cum diffinitio respiciat rationem vniuersalem. Sed hæc responsio valeat quantum valere potest, dicimus nos rem singularem bifariam considerare nos posse. Primo, vt existit in rerum natura, cum conditionibus materialibus. Secundo, quoad conexionem terminorū s. vt habet vnam rationem in intellectu inmaterialem, & incorruptibilem, quamuis singularem. Primo modo indiuiduum non est diffinibile, cum sit quoddam materiale, & corruptibile, & horum non fit scientia, nec diffinitio. Secundo autem modo diffiniri potest, nam immaterialia, incorruptibilia sunt perpetuæ veritatis; Addo quod semper diffiniri possunt vt stant sub prædicato communi. Alij dicunt quod indiuiduum vt dicit secundam intentionem omnibus indiuiduis communem

Indiuiduum definitur quoad cōnexionem terminorum.

munem definitur, hæc autem pro substrato habet omnia indiuidua, p modum vnius. Caue autem ne hãc cõmunitatẽ dicas esse speciei, quia species sua natura est communis, & vniuersalis, non sic indiuidui communitas intentionalis. Neque hęc cõmunitas prædicatur ut quod substantiue, sed modaliter.

Ad secundum dubium non omnes vna respõsione respondent, Commentator .n. inquit, quod duplex est indiuiduum signatum. Primum dicitur accidentis, vt hoc album, qđ prædicatur de isto, & de illo albo Secundum dicitur substantiæ, quod de nullo prædicatur, tunc subinfert dictum Porphyrij intelligendũ fore de indiuiduo accidentium, & nõ substantiæ, nam tale melius diffinitur ab Arist. quod non prædicatur de multis & quod a prima substantia nulla est prædicatio. Sed contra Auerroem est cõmunis Schola Philosophorum intelligentium dictum Porphyrij de indiuiduo prædicamenti substantiæ. Et hoc ipsum suadet textus, qui non solum de indiuiduo accidentis, sed & substantiæ exempla producit. Caietanus ergo subinfert aliam distinctionem. s. qđ duplex est prædicatio. Prima vocatur naturalis, in qua idem affirmatur de seipso, quæ verissima est, sed non apta ad disputandum. Altera vocatur artificialis, quæ deseruit arti, in qua prædicatum distinguitur a subiecto, & se habet, vt forma eius: hæc autem secunda vocatur propria prædicatio, sed prima vocatur quidem vera, sed non propria prædicatio; vnde dicimus quod indiuiduum prima prædicatione. i. naturali, quæ nihil aliud requirit nisi veritatem propositionis eiusdem de seipso, dicitur prædicari. At ego dico duplicem esse prędicationẽ. Prima dicitur realis, quæ requirit ęxtrema

Prædicatur de seipso prædicatione naturali.

realia, realiter distincta in ratione subiecti, & prædicati. Secunda dicitur rationis, in qua membra non intelliguntur distincta realiter, sed secundum rationem, vel secundum aliquem modum significandi, & hoc secundo modo indiuiduum dicitur prædicari de seipso, inquantũ intellectus negotiatur circa illud attribuendo ei ęquiualenter & virtualiter rationem subiecti & prædicati. Alij tamen dicunt indiuiduum non prædicari de alijs substantiue, vt faciunt genus, & species, vnde hæc sola prædicatio de pluribus substantiue excluditur. s. vt de pluribus substantijs.

Ad tertium dubium dicendum est, quod triplex est totum, s. vniuersale, diffinibile, & integrale. Totum vniuersale est illud, quod est superius ad multas species, & continet illas in potentia, & in quoddam esse confuso, & sic genus hoc pacto est totum respectu specierum: Totum diffinibile dicitur totum cõtinens actu, & determinans id quod continebatur in toto vniuersali in potentia, & sic species dicitur totum diffinibile, quia determinat genus per differentiam ad standum pro vna specie, vt dum dico homo est animal rationale, nam ly homo per rationale determinat genus animalis, ad standum pro hac tantũ specie, & hoc modo genus vocatur pars speciei, & species dicitur totum. Totum vero integrale est, quod componitur ex diuersis partibus, vnde domus vocatur totum integrale, quia componitur ex cæmento, lignis, lapidibus, & ex diuersis parietibus, & per hoc patet ad argumentum. Et si quis quærat cur Porphyrius de toto diffinibili nullam fecerit mentionem. Respõdebitur, quia hic considerat genus, speciem, &c. vt vniuersalia prædicabilia, secundum quam

Totũ triplex.

quam rationem dictum est ea habere rationem partis, & totius.

Ad secundum respondetur fere similiter, quod indiuiduum si sumatur, vt pars subiectiua specierum, sic solum habet rationem partis, si autem sumatur, vt quoddam totum diffinibile, potest esse totum, sed quia Porphyrius solum hic considerabat totum vniuersale & non diffinibile, ideo dixit quod indiuiduum se habeat, vt pars. Quamuis autem indiuiduum speciei subijciatur, non tamen dictum est relatiuum subijcibile ad speciē, quia species subijcitur generi subiectione formali, eiusdem ordinis cum superioritate generis. At indiuiduum subijcitur speciei subiectione materiali & non formali, sicut species de eo prædicatur. Sed per hoc non negamus indiuiduum esse relatiuum ad genus remote, & ad speciem proxime, sed volumus dicere quod alio fundamēto subijcitur generi & speciei, quam species subijciatur generi.

Tertium Capitulum.

LECTIO XIV.

Differētia vero & communiter, & proprie, & magis proprie dicitur. Communiter quidem differre alterum ab altero dicitur, quod alteritate quadam differt quocunque modo, vel a seipso, vel ab alio. Differt. n. Socrates a Platone alteritate, & ipse a se sene vel iam puero vel iam viro, vel iam faciente aliquid vel quiescente, & semper in aliquo modo habendi se alteritatibus. Proprie autem differre alterum ab altero dicitur, quando inseparabili accidente ab altero differt. Inseparabile vero accidens est, vt nasi curuitas, cæcitas oculorum, & cicatrix cum ex vulnere occaluerit. Magis autem proprie alterum differre ab altero dicitur, cum specifica differentia differt: quemadmodum homo ab equo specifica differentia differt rationalis qualitate.

Vniuersaliter ergo omnis differentia addita alteratum facit alicui, sed ea quæ est communiter, & proprie alteratum solum facit, illa autem, quæ est magis proprie, aliud. Illę quidem quæ faciunt aliud specificę vocantur, illę vero, quæ alteratum, simpliciter differentiæ. Animali enim rationalis differentia adueniens aliud facit, & speciem animalis facit. Illa vero, quæ est mouendi, alteratum facit solum a quiescente: quare illa quid & aliud, illa vero alteratum solum facit. Secundum igitur aliud, facientes, diuisiones fiunt a generibus in species, & diffinitiones assignantur, quæ s. sunt ex genere & huiusmodi differentijs: secundum autem eas, quæ solum alteratum faciunt, alteratio sola consistit: & in aliquo modo se habentis permutationes.

Libet pro intelligentia Nouitiorum tractatum de differentia vocare tertium tractatum prædicabilium, quamuis vere sit. Secūdo quia species est inferior differentia & pars eius. Nā vt melius Nouitij retineant, quæ de prędicabilibus dicuntur, hunc vocabimus tertium tractatum, sicut, & differentiam dicimus tertium prædicabile. Tractatus autem hic in duas partes principales secernitur, nam, in prima, Porphyrius quasdam differentiæ diuisiones, *Differentia secundum esse est secundum prædicabile.*

& in secunda multas eius diffinitiones ponit. Circa ergo primam partem, primo quædam annotabimus, deinde secundo loco dubitabimus.

Ordo. Quoad primum, primo ergo notandum venit circa ordinem, quod differentia dupliciter potest considerari in ordine ad speciem. Primo vt eius principium constitutiuum, quia species differentia constituitur, v.g. homo rationalitate. Secundo potest considerari secundum se, & sic cum differentia non sit correlatiua generis, sicut species, sed de se importet quoddam absolutum, ideo post tractatum de genere, auctor posuit illũ de specie; huius ergo ordinis diuersæ sunt causæ. Prima vt diximus, quia relatiua sunt simul intellectu, & natura, vnde vnum perfecte non cognoscitur sine alio, & ideo post cognitionem vnius ponitur aliud. Genus autem, & species sunt correlatiua vt diximus. Secunda ratio est, quia species est magis generi intrinseca quam differentia, quæ est solum diuisiua generis, magis autem constitutiuum, & intrinsecum præcedit minus cõstitutiuum, & diuisiuum. Tertia est, quia genus, & species prædicantur in quid, differentia vero in quale. Quarta, quia Porphyrius seruauit ordinem doctrinæ, incipiendo a notioribus, & non naturæ, incipiendo a principijs constitutiuis formaliter, & postea procedendo ad constituta formaliter.

Differentia triplex cõis, propria, & propriissima. Secũdo notandum ergo cum Porphyrio, quod differentia dicitur tripliciter, & hæc erit prima diuisio differentiæ, s. differentia quædam, est communis, quædam propria, & quædam propriissima. Communis est accidens separabile, quo, vel differt aliquis ab alio, sicut Sortes sedens differt in sessione a Platone, non sedente, seu differt a se ipso, vt Sortes puer differt a se ipso facto sene. Propria est, qua vnum differt ab alio inseparabili accidente, v.g. si vnus homo habeat nasum curuum, & alius aquilinum, vel si vnus habet vnã cicatricem induratam in facie, & alius nõ. Propriissima vero differentia est quæ facit differre vnum ab alio specifice, sicut rationale facit differre hominem a leone; differt autem differentia a diuerso, quod differentiæ in genere conueniunt, at diuersa in nullo cõueniunt genere, sed seipsis dicuntur diuersa, vt Deus, & materia prima, passiones entis & similia, cõueniuntq; differẽtiæ in vno genere vniuoco logice. Ideo q̃ differunt genere non sunt hic tacta, quia talia cõueniunt in analogo vnde sunt diuersa, & non differentia.

Secũdum analogiã. Tertio notandum circa hanc diuisionem, quod vnum potest diuidi in multa dupliciter. Primo æquiuoce, vt quando vna vox communis diuiditur in diuersa significata, secundum naturã omnino diuersam, v.g. quando hæc vox canis diuiditur in canem cœlestem, terrestrem, & marinum. Secundo analogice, quando diuiditur analogum in sua analogata, vt quando non solum nomẽ, verum & ratio analogi participatur a membris, in quib. diuiditur analogum. Primo modo, genus est diuisum in tres acceptiones, & species in duas supra, nam tantum vox generis, & speciei erat communis, sed ratio omnino diuersa. Secundo autem modo differẽtia diuiditur, quia non tantum nomen differentiæ conuenit communi, propriæ, & propriissimæ, verum, & ratio faciendi differre, quia Primo conuenit propriissimæ. Secũdo propriæ, et Tertio cõi; probatur. Primo, quia sũt diuersorum generum, nã propriissima est de genere substãtiæ, aliæ de generib. accidentium. Substantiæ autem, & accidenti nihil est commune vniuocum.

uocum. Secundo, quia facere differre maxime conuenit proprijssime, aliæ enim secundum quid tantum differre faciunt. Tertio, quia proprijssima facit differre essentialiter in quocunque prædicamento. Aliæ vero secundũ accidens, vnde prima fluuit ab essentia, aliæ non. Caue aũt ne intelligas, quod non reperiatur nisi vox communis omnibus acceptionibus generum, & specierum, quia sic non esset similitudo inter illas acceptiones nisi in uoce, quod est falsum, concedimus enim similitudinem, sed negamus, quod similitudo inter illa genera proueniat ex participatione vnius naturæ, vnde erit analogia proportionalitatis; diuisio autem differẽtiæ est diuisio vnius rationis, inequaliter participatæ vt supra, & etiam proportionis, quia vnaquæque illarum proportionaliter, se habet ad facere differre; itaque differentia sumpta intentionaliter erit vniuocum, substrate analogum inæqualitatis, & proportionis.

Ob duas rationes. Quarto notandum, quod differentia alia vocatur communis, alia propria, & alia proprijssima ex duplici capite. Primo ex cognitione nostra, vnde quia primo nos videmus duas res differre quadam diuersitate communi, v. g. per sedere & non sedere, ambulare, & stare, ideo primo hęc differre diximus per communem differentiã, quia vere secũdo videmus aliqua differre quibusdam caracteribus, ex proprietatibus accidentalibus, sed inseparabilibus, vt claudum a non claudo, vel habẽtem nasum curuum, ab habente nasum aquilinum, ideo venimus ad secundam differentiam, scilicet propriam. Quia vero tertio videmus alia differre p essentialia, v.g. hominem per rationalitatem, a leone rugibili, ideo diximus hæc differre vltima, & proprijssima differentia. Secundo, hoc euenit ex ipsa natura rerum, nam differentia communis causatur ex ijs, quæ non sunt propria huic, vel illi, sed communia, propria vero causatur ex proprietatibus rerum, & magis propria ex constitutiuis essentialibus. Ideo ad differentiã facientem aliud, duo requiruntur, scilicet diuersitas essentiæ formalis & diuersitas essentiæ materialis si sumatur substantiue, & sic distinguuntur leo, & homo Brunellus & Sortes, id est, natura, & numero saltem formali, ideo in diuinis non est differentia faciens aliud, quia diuinæ personæ non distinguuntur nec specie, nec numero, cum sint eiusdem essentiæ, & specie, & numero.

Quo differentia dicatur cõis & ꝓpria. Quinto notãdum circa terminos, quod differentia communis dicitur communis, quia causatur, ex accidentibus separabilibus, Sed hoc potest dupliciter intelligi. Primo ex accidente communi quod est quintum prædicabile, & sic erit verum, si sit commune, & separabile, non autem, si esset inseparabile, vt est nigredo in coruo, & albedo in cigno. Secundo quia non habet causam permanentem in subiecto, & sic etiam verum est; ita differre proprio accidente bifariam intelligi potest; Primo, pro prio. i. quarto prædicabili, vel proprio, i. accidenti inseparabili quinto prædicabili, & vtroque modo potest stare, verum est tamen, quod Boetius, & cum eo Caiet. putant cõmunem, & propriam differentiam esse tantum indiuiduorum, & sic risibile, a non risibili non differt, propria, sed proprissima differentia, cum risibilitas sit proprietas sequens speciem, vnde & si directe, & formaliter non sit proprijssima differentia, est tamen talis reductiue, & radicaliter, quia fluit ab essentia.

Sexto

Sexto notandum, quod differre dupliciter stat. Primo formaliter per aliquid quod habeat rationem & modum formæ, siue sit commune, siue sit proprium, siue proprijssimũ. Secundo materialiter, per materiã cum ordine ad talem quantitatẽ, ex quo, cũ ille ordo sit de prædicamẽto substantiæ reducetur ad proprijssimam differentiam, quomodo differunt indiuidua numero distincta, per diuersa principia indiuiduantia, sed Porphyrius solum de primis intellexit & ideo, secundum membrum omisit. Hinc elicimus quod differentia bifariam considerari potest. Primo Metaphysice & pro substrato. s. vt dicit id quo aliquid ab alio differt, vel essentialiter, vel inseparabili, vel separabile accidente, sit illud vniuersale, uel particulare Secundo Logice, scilicet, vt dicit hanc secundam intentionem vniuersalem .s. prædicabile de multis faciens ea differre, accipiendo ly differre absolute, vt potest stare pro hoc, vel illo differre. Primo modo consideratur a Metaph. Secundo modo a Logico. Sed dic, quod vt diuiditur intentionaliter consideratur a Logico formaliter, sed fundamentaliter, & denominatiue eam etiam intuetur pro substrato, vt exempla Porph. indicant.

Differentia in quo conueniãt, & in quo differat. In secundo textu Porphyrius assignat id in quo omnes differentiæ conueniunt, & in quo differunt, & ait, quod omnes in hoc conueniunt, quod faciunt alteratum, i. aliquam diuersitatem, non descendendo ad hanc, vel illam. Differunt vero quia differentia communis & propria faciunt tantum alteratum. i. diuersum per accidẽs, vnde vt faciunt differre sunt in hoc tertio prædicabili, & vt habent esse fixum vel mobile in subiecto pertinent ad quartum, & ad quintum; proprijssima vero facit diuersum per se, vnde extrahitur prima diuisio differẽtiarum .s. quod aliquæ faciunt diuersitatem accidentalem, & aliquæ essentialem, subditque tria in quibus eius modi differentiæ differunt. Primum, quod differẽtiæ facientes alteratum vocantur simpliciter differentiæ, facientes vero aliud dicũtur specificæ. Secundum, quod primæ non diuidunt genera, secundæ vtique. Tertium, quod secundum primas non fit diffinitio, quia nõ ingrediuntur diffinitionem sicut facientes aliud, sed secundum eas fiunt alterationes, vt dum aqua per calefactionem ex frigida fit calida, vel per mutationem secundum locum, vt dum quis de vno loco trãsit ad alium. Quando tamen nos latent vltimæ differentię loco differentiæ assumimus proprium, quod tunc loco differentiæ succedit.

Quid sit facere alteratum, & facere aliud. Circa hoc autẽ. Primo venit notandum, quid sit facere alteratum, & quid facere aliud, alterum ergo est relatiuum diuersitatis accidentalis, aliud vero substantiæ, vnde facere aliud est constituere diuersitatem essentialem inter duo, facere vero alterum accidentalem, quod dupliciter contingit. Primo vt sonet diuersitatem in communi, & sic dicitur differentia communis. Secundo vt sonet diuersitatem accidentalem, quæ proprio nomine alteritas uocatur, & sic dicitur de differentia propria.

Formaliter, & virtualiter. Secundo notandum, quod facere alterum, & aliud stat dupliciter. Primo formaliter, sicut albedo facit album formaliter. Secundo virtualiter, quia ad ipsum sequitur naturaliter facere alium, vel aliud, sicut ad albedinem sequitur disgregatio visus, secundum primum sensum omnis differentia facit alteritatem, .i. aliquam diuersitatem, sed differentia proprijssima differt ab

alijs,

alijs, quia duo facit.

Primum alteritatem, sicut, & aliæ differentiæ. Secundum alietatem substantialem, .i. aliud, & sic planius est sensus, In secundo autem sensu differentia communis, & propria formaliter, & non virtualiter faciunt alteritatem, .i. aduersitatem accidentalē, proprijssima vero facit aliud formaliter, quia formaliter distinguit species, sed alietatem accidentalem virtualiter, quia ex differentijs essentialibus, & formalibus fluunt passiones, & proprietates secundum quas fit diuersitas accidentalis, vnde.

Differentia propria infert aliud sed nō facit.

Tertio notandum, quod aliud est facere aliquid, & aliud inferre, nam facere semper dicit causam, sed inferre potest dicere effectum, sicut de facto in proposito dicimus, quod sola differentia magis propria facit aliud, quia est constitutiua speciei, & distinctiua essētialiter ab alia specie, non vero propria aliud facit, sed bene infert aliud a posteriori, vt eius effectus, quia differre passionibus proprijs v.g. secūdum risibilitatem, & rudibilitatem infert etiam hæc differre proprijssimis differētijs .f. p rationalitatem, & irrationalitatem, quia differentiæ propriæ sequuntur necessario, vt proprietates proprijssimas differentias.

Diuiditur in has ut una res

Quarto notandū, quod bifariam potest intelligi, quod differētia diuidatur in differentiam communem, propriam, & magis propriam facientes alterum, & facientem aliud Primo materialiter, .i. secundum diuersas res, & hoc est falsum, quia vna, & eadem res v.g. nigredo, respectu diuersorum erit differentia communis, propria, & proprijssima, nā respectu ligni, & parietis a quibus potest separari, est differentia communis, respectu corui cuius est accidens inseparabile erit propria & respectu sui ipsius magis propria. Secundo modo potest intelligi, vt sit diuisio nō rerum, sed intentionum, seu modorum, etiam respectu eiusdem rei, & sic dicitur diuisa, quia vna, & eidem res, vna erit accidens commune, alteri inseparabile, & alteri essentia, vnde sic sumendæ sunt istę diuisiones. Si quis autem obijciat quod impossibile est vnum, & idem ab eadem re habere alietatem & alteritatem, & quod vni sit substantia, & alteri accidens. Respondetur breuiter, quod vna eademque res quamuis non possit partiri in plures res, eadem manens, tamen potest recipere diuersos modos, secundum quod sub diuersis rationibus concipitur, & quia v.g. albedo potest esse vni accidens separabile, alteri inseparabile, & alteri differentia constitutiua suæ naturæ, & speciei, ideo sic diuisa est, & secundum hos diuersos modos diuersimode determinata est.

Differentia faciēs aliud non dicitur simpliciter.

Quinto notandum circa illud dictum quod differentia faciens aliud vocetur specifica, & faciens alterum vocetur differentia simpliciter, hoc duobus modis posse intelligi. Primo vt ly simpliciter idē significat quod absolute. Secundo vt idē sonet quod perfecto modo primo modo intelligitur, & non secūdo, & est sensus, quod differentia faciens alterum sine aliqua additione perfectionem significante vocatur differentia, faciens vero aliud vocatur specifica, quia ly specifica denotat perfectionem, vnde dicitur differentia perfectissima Potest autē quispiam dubitare quia quando sunt duo sub aliquo communi, & vnum sortitur nomen illius sine additione, aliud vero cū additione, primum videtur nobilius secundo, sicut substantia simpliciter vocatur ens, accidens vero secundum quid, & animal viuum simpliciter vocatur animal, sed pictum secun-

cum diuisa sit animati & inanimati, differentia, sensibili & insensibili, animata & sensibilis congregatæ ad substantiam, animal perfecerunt: animata vero & insensitiua perfecerunt plantam. Quoniam ergo eædem alio modo acceptæ fiunt constitutiuæ, aliquo modo autem diuisiuæ omnes specificæ dicũtur: & his maxime opus est ad diuisiones generum & diffinitiones specierum, sed non his, quæ secundum accidens inseparabiles, nec magis his, quæ sunt separabiles.

IN textu tertio ponit Auctor secundam diuisionem differentiarum cum quaddam subdiuisione, & triplici differentia inter mẽbra subdiuisionis. Diuisio ergo est, quod quę dam sunt differentiæ separabiles, quædam inseparabiles. Primæ sunt, vt sedere, moueri, sanum esse, & ægrum. Secundæ, vt aquilinum, vel simum, rationale, vel irrationale. Subdiuisio est, quod differentiæ inseparabiles aliæ sunt per se, vt rationale, & mortale homini, & aliæ per accidens, vt habere nasum simum, vel aquilinum. Differentiæ autem inseparabiles per se, & differentiæ per accidens tripliciter differunt. Primo, quod differẽtiæ per se ingrediuntur diffinitionẽ rei substantialem, per accidens vero nequaquam. Secundo, quod per se faciunt aliud, & per accidens alterum. Tertio quod differentiæ per se non suscipiunt magis, & minus, secundæ, autem vtique. Probat autem quod differentiæ per se non suscipiant magis, & minus dupliciter. Primo, quia nec genus, nec differentia prædicantur secundum magis & minus, cum substantiam significent, quæ non suscipit magis, & minus. Secundo, quia dicunt complementum rei, & non intensionem, vel remissionem, complementum autem vltimum est, & non suscipit magis, & minus.

Differentia per se, & per accidens dupliciter cõsideratur.

Notandum est autem primo circa supradicta, qđ dupliciter differẽtia potest dici per se, & per accidens, primo in ordine ad speciem quam cõstituit secundo in ordine ad genus, quod diuidit. Si accipiatur primo modo, ly per se, verificatur tãtum de primo modo perseitatis, in quo prædicatum est de essentia subiecti, vt rationale de essentia hominis, vnde nõ verificatur de secundo modo perseitatis, ĩ quo prædicatũ est propria passio non constituens speciem, sed ex ea sequens, & ita erit sensus, quod tantũ differentiæ inseparabiles per se sunt illæ, quæ faciunt aliud &c. Siue considerentur secundo modo .s. in ordine ad genus, quod diuidunt, sic illæ tantum vocantur differentiæ per se, quæ per se genus diuidunt. Nam genus duobus modis diuidi potest, Primo per differentias accidentales, vt diuidendo animal per volatiuum, & per gressiuum, vel per masculinum, & fœmininum. Secundo per differentias ingredientes diffinitionem essentialem, & hæ sunt illæ, quæ vocatæ sunt per se.

Conditiones differentiæ per se.

Secundo notãdum, quod ad hoc, vt aliqua differentia vocetur absolute, & simpliciter per se, necessariæ sunt tres conditiones. Prima, quod per se diuidat genus, vt supra. Secunda, quod essentialiter, i. quoad essentiam, & nõ quo ad aliquam proprietatem constituat speciem. Tertia quod oriatur ex intimis generis, quia in eius essentia continetur, quamuis in genere nõ explicetur, sed extra genus. Differentia ergo per se debet respicere genus & speciem per se, quamuis eius inseparabilitas solam speciẽ

attingat, nam v. g. rationale, & si per se diuidat genus animalis, non dicitur tamen differentia separabilis a genere, sed tantum a specie .i. ab homine.

Quomodo suscipiant magis, & minus.

Tertio notandum circa tertium discrimen, repertum inter differentiã per se, & differentiam per accidens .s. quod differentia per se non suscipit magis, & minus, per accidens vero sic. Suscipere ergo magis, & minus est habere aliquam formam variabilẽ, vel in diuersis temporib. eiusdem formæ pati intensionem, & remissionẽ, v.g. quod aqua modo sit calida, & modo frigida, modo magis calida, & modo minus. Non suscipere vero magis, & minus, est habere semper eandem formam inuariabiliter, sicut homo semper eodem modo est rationalis, quoad naturam. Differentiæ ergo per se sunt veluti naturales, & substantiæ rerum, & ideo non suscipiunt magis; vel minus secundum illam naturam; & si secũdum operationes, in vno magis operentur, quam in alio.

Explicatur.

Quarto notandum, quod differentia per se dupliciter sumi potest. Primo materialiter, i. pro re, quæ est differentia, & sic potest suscipere magis, & minus, prout etiam diximus quod materialiter vna differentia respectu diuersorum põt vocari communis, propria, & magis propria. Secundo modo, potest sumi formaliter, i. vt stat, sub hac, vel illa secunda intentione, & sic differentia per se, vt stat sub hac intentione secunda, differentia per se non suscipit magis, & minus. Hoc autem habet differentia ex trib. Primo ex hoc, quod per se diuidit genus. Secundo quia per se, & essentialiter cõstituit speciem, Tertio quia per se vnam speciem ab alia distinguit. Differentia vero per accidens, cum communicetur secundum magis, & minus, ideo potest suscipere magis, & minus.

Differentia per accidens suscipit magis, & minus permissiue.

Quinto notandum, quod non omnis differentia per accidens suscipit magis, & minus, vt patet in differentijs numerorum, v.g. vnum, duo, tria &c. ideo discrimen in hoc consistit, quod differentia per se nullo modo suscipit magis, & minus, differentia autem per accidens, vtique in multis.

Sexto notandum, quod ratio præcipua, quare differentia per se non suscipit magis, & minus est, quia esse quidditatiuum rerum in indiuisibili consistit, cum se habeat vt numerus, qui alteri numero additus, vt duo addita vni variat speciem numeri. Cũ igitur differentia sit illa, q̃ est cõplementũ, & terminus esse quidditatiui, necessario consistit in indiuisibili, propterea, quod eandem naturã sortiuntur constitutum, & constituẽtium essentiale.

Differẽtiæ per se aliæ sunt diuisiuæ generũ, aliæ constitutiuæ specierum.

In textu vero quarto reassumit diuisionem superius traditã, & subdiuidit alterum membrum subdiuisionis .s. differentias per se Ait ergo differentiæ aliæ sunt inseparabiles, aliæ separabiles Inseparabilium aliæ sunt per se, & aliæ per accidens. Per se aliæ diuisiuæ generum, & aliæ constitutiuæ specierum. vt patet in arbore Porphyriana. Notandum est autem pro horum intelligentia cum Porphyrio, & Caietano, quod hoc membrũ subdiuisionis, s. quædam sunt differentiæ diuisibiæ generum, & quedam constitutiuæ specierũ, hoc inquam posse dupliciter cõsiderari. Primo absolute, & sic non est proprie diuisio rerum, nec differentiarum, quia vna eademque res, et differentia genus diuidit, et speciem constituit, v.g. rationale diuidit animal in rationale, & irrationale, & constituit animal rationale .s. hominem, & ideo potius

est

est diuisio actuum eiusdem differentiæ. Secundo modo in ordine ad aliquod subalternum,& sic alia est differentia diuisiua generis,& alia constitutiua speciei,nam v.g. sensitiuum constituit animal, vt differentia superior, rationale vero,& irrationale diuidunt animal,& ideo sunt differentiæ, vt sic ipso genere inferioris per superiorem differentiam constituto.

Notandum est autem circa supradicta,quod differentia separabilis,& inseparabilis possunt esse res diuersę, sed differentia diuisiua generis,& cōstitutiua speciei eadem res est,sed sub duobus actibus considerata, nam aliud est dicere,quod differentia constitutiua subalterni sit diuisiua subalterni, & aliud, quod differentia diuisiua generis sit constitutiua specierū.Primū n.est falsum,Secundum autem est intentum,& supra explicatum.

Dubia circa supradicta.

Contra autem supradicta. Primo dubitatur,qa tractare de re reali ad Metaphysicum spectat,& nō ad Logicum, Sed differentia est res realis,cùm sit actus,& forma,& de ea agit Arist.5. Metaph. cap.9. Ergo male agit de ea hic Porphyrius.

Secundo. Dubitatur contra exemplum in prima diuisione differentiæ assignatū,s.quod Sortes senex differt a se ipso puero communi differentia. Nam contra stat, quod senex constat ex noua materia,a se ipso puero,differre aūt per diuersam materiā est differre non communi,sed propria differentia.

Tertio. Dubitatur contra secundam diuisionem, quia non videtur proprium specificæ differentiæ facere aliud. Nam vnum indiuiduum differt vt aliud ab alio indiuiduo,& nō per specificam differentiam, vt patet,Ergo.

Quarto. Dubitatur contra tertiam diuisionem, in qua dicendum est,simum,& aquilinum,quæ proueniunt ex principijs indiuidui,& non speciei esse accidentia inseparabilia. Nam contra deducitur,quod solū accidens inseparabile proprium, quod fluit ex principijs speciei dicitur inseparabile.

Quinto. Arguitur contra illud,qđ sola differentia faciens aliud, non suscipit magis,& minus. Etenim propria passio ex principijs speciei fluens non suscipit magis,& minus,& tamē non est differentia essentialis faciens aliud.

Sexto. Dubitatur,an differentia faciens aliud suscipiat magis,& minus v.g. rationale, videtur enim quod sic, cum vnus homo sit magis aptus alio ad scientias, & ad ratiocinandum.

Septimo. Differentiæ priuatiuæ,vt inanimatū,& irrationale cum sint priuationes non constituunt aliquam speciem positiuam, Ergo male dixit Porph. quod differentiæ diuisiuæ generis sunt constitutiuę specierum.

Ad primum tamen dicitur primo, quod differētia dupliciter considerari potest, Primo vt secundum suam naturam habet genus diuidere,& speciem constituere, Secundo vt subest secundæ intentioni,& sic habet vniuersalitatem,& prædicabilitatem Primo modo cōsideratur a Metaph. Secundo a Logico. Vel secundo dicendum, quod Metaph. cōsiderat differentiam primo vt est quędam natura,& secundo vt est quoddā prę-

dicabile. Logicus vero primo eã considerat, vt est quoddã vniuersale prędicabile, Secundo vero, vt habet hos actus .s. diuidere, & constituere secundum suam naturam, hæc .n. mutuo se consequũtur, & perfecta cognitio, vnius, ab alia dependet, & ideo vtrobique sub duplici eius consideratione de ea agitur.

Ad Secundum omissis multis, quę ab alijs dicuntur, resolutio breuis in hoc consistit, quod. Sortes senex, & puer dupliciter considerari potest. Primo secundum formam, secundum quam dicitur homo, & secundum naturam non in indiuisibili sumptam, sed in quadam latitudine, consideratam, s. vt est tali forma informabilis, & sic non differt se ipso essentialiter, vt senex, & iuuenis, aliter non esset baptizatus, senex, nec ressergeret cũ ea materia, quam primo recepit ex vtero matris, quæ sunt falsa, Secundo modo potest considerari, quo ad hanc, vel illam materiã in indiuisibili sumptam, et sic differt senex a se ipso puero, sed primum est quod intellexit Porph.

Ad Tertium negatur, quod duo indiuidua differant vt aliud, & aliud, differt .n. vt alius & alius Logice, quãuis Grãmatice dicãtur aliud, & aliud indiuiduum, nam dum quis quærit, quis est Sortes? respondemus est indiuiduum signatum, sicut ad interrogationem quid est? respondemus per differentiam specificam dicendo, est animal rationale.

Ad Quartum dicitur, quod non solum accidens proprium, sed, & cõmune fluẽs ex principijs indiuidui est inseparabile vt color oculorum, forma nasi, nigredo in coruo, &c. vt dicemus.

Ad Quintum Albertus, & Paulus concedunt propriam passionem suscipere magis, & minus, vnde dicunt vnum hominem esse altero risibiliorem. Sed hæc opinio est falsa, Primo, quia propria passio complet actionẽ substantiæ, vnde se habet, vt terminus indiuisibilis. Secundo quia propria passio non est sicut accidẽs cõe inseparabile, quod habet causam variabilem .i. complexionem indiuidualem, fluit .n. ab essentia inuariabili, v.g. risibilitas fluit ab inuariabili rationalitate. Hinc Dominicus a Soto censet Prophyrium esse loquutum de accidentibus inseparabilib. indiuiduorum, & non de proprijs, consequentibus speciem, repositis in quarto prædicabili. Sed hęc respõsio nõ subsistit, cum pateat Porphyrium vocasse differentiam, non suscipientem magis, & minus, differentiam facientem aliud, Propria autem differentia non facit aliud, sed alterum. Ideo videtur dicendum, quod non solum proprijssima differentia quæ aliud facit, sit illa, quæ nõ suscipit magis, & minus, verum etiam in aliquibus propria differentia, vt supradictum fuit. Vel erit dicendum, quod per propriam differentiam nõ accipimus propriam passionem, sed accidens inseparabile indiuiduale, quod potest suscipere magis, & minus.

Ad Sextum Soto concedit vnum hominem esse magis aptum ad sciendum, non ratione animæ, vt substantia est, sed ratione complexionis indidualis magis, & minus aptæ ad sciendum. Hoc autem verum censeo, quoad vsum scientiæ, vt pro hoc statu, phantasmatibus pendet, non vero quo ad aptitudinem animæ secundum si consideratæ, quia quælibet anima intellectiua suapte natura apta nata est eo modo scire, quo alia.

Ad Septimũ Boetius, negat, quod differentiæ primatiuæ non constituãt speciem, Quia v.g. irrationale constituit

ſtituit equum. Auicenna vero, & Albertus oppoſitum tenent. Ego vero cenſeo diſtinguendum eſſe,& dicendum, quod differentiæ priuatiuæ dupliciter conſiderari poſſunt. Primo, vt priuatiuæ ſunt, & ſic quia priuationē ſignificant, poſitiuum conſtituere nō poſſunt, Secundo, vt loco poſitiuarum nobis ignotarum ponuntur, eas circum loquendo,& ſic dicuntur conſtitutiuæ ſpecierum, nam irrationale ponitur vt differentia circūlocutiua inhibilitatis equi, & rugibilitatis leonis &c. Vnde quamuis ſecundum vocem videatur priuatiua, tamen ſecundum ſenſum, & virtutem eſt poſitiua.

LECTIO XV.

Quas etiam determinantes dicunt. Differentia eſt qua abundat ſpecies a genere, homo enim plus habet quam animal rationale & mortale: animal enim nihil horum eſt.

Nam vnde haberent ſpecies differentias, nec vero omnes oppoſitas habet: quoniam idem ſimul habebit oppoſita, ſed quemadmodum probant, poteſtate quidem habet omnes differentias ſub ſe, actu vero nullam. ac ſic, nec ex his quæ non ſunt aliquid fit, nec idem ſimul habebit oppoſita.

Haec eſt Secunda pars principalis tractatus de differentia, in quo Porphyrius quintuplici diffinitione eam diffinit, & Primo ſic Differentia eſt, qua abundat ſpecies à genere v.g. homo abundat ab animali, quia habet has differentias videlicet rationale,& mortale, quæ generi non conueniunt. Dubitat autem auctor vnde ſpecies habeat differentias, per quas abundat a genere. Nam vel eas habet a genere, vel a nullo. Non a genere, quia nemo dat, quod non habet,& inſuper, quia ſi haberet differentias, omnes haberet, cum non ſit maior ratio de vna, quam de alia, & ſic eum differentiæ ſint oppoſitæ, idem haberet oppoſita, Oppoſita autem non poſſunt eſſe in eodem, ſicut patet, quod idem non poteſt ſimul eſſe calidum, & frigidum. Si a nullo, ergo ex nihilo aliquid fieret, contra communem ſētentiam Philoſophorum. Reſp. autē, quod ſpecies habet differentias a genere, ſed quod genus cōtineat differētias oppoſitas, ſtat dupliciter. Primo, in actu, & hoc eſt falſum, vt probat argumentum. Secundo in potētia, & virtute, & hoc eſt verū, nec hoc eſt inconueniens. Platonici vero dicebant, genus continere differentias in actu, negabantque quod eſſent contrariæ. Quod Ammonius platonicus dixit Platonem intellexiſſe, vniuerſale genericum continere differentias actu, vt eſt vniuerſale ante multa.i. Deus, non autem vt eſt vniuerſale in multis, vt eſt genus prædicamentale. Sed quamuis verum ſit, quod Deus contineat omnia inferiora eminenter, & virtualiter, non tñ ea continet formaliter, i. vt in ſuo genere ſunt vnde interpretatio Ammonij non eſt ad propoſitum Porphyrij.

Species abundat a genere, & differentia.

Dubia contra ſupradictam diffinitionem.

Contra tamen ſupradicta ſunt aliquæ dubitationes. Prima eſt, quia

quia falsum videtur, quod genus nõ contineat differentias simul in actu. Nam v.g. animal simul, & coniunctim continet rationale, & irrationale. Nec valet respondere, non esse idem animal, quod est rationale, & irrationale, quia Porphyrius non solũ negat idem numero non posse habere duo opposita simul, sed nec idem genere.

Secundo. Quia forma vniuersalis particulare continet, vt genus differentiam, & speciem, & species continet differentiam, vt partem sui, Sed continentia formæ est actualis. Ergo differentiæ dicuntur contineri in genere in actu.

Tertio. Si species sunt a genere, vel hoc erit i genere causæ materialis, vel formalis, vel effectiuæ, vel finalis. Nõ in genere causæ materialis, quia prædicabile habet rationem formæ, & nõ materiæ, genus autem est quoddam prædicabile. Si secundo modo, habemus intentum, non tertio, nec quarto modo, quia genus non agit, nec differentia ordinatur ad genus vt ad finem.

Differentia est causa abundãtia speciei. Pro resolutione huius quæstionis. Primo notandum venit circa(ly, qua) quod duo annuit, quæ differentia habet. Primum, quod sit causa, quod species abundet a genere. Secũdum, quod species habeat differentiam, quod genus nõ habet, vt sit sensus, Differentia est qua, & vt causa abundantiæ, & vt re abundante species abundat a genere.

In actu. Secundo notandum, quod abundare ab altero stat dupliciter. Primo in actu, Secundo in potentia. Genus quidem abundantia potentiali abundat a specie, quia species vnam tantũ differentiam dicit, & genus multas importat, sed abundantia actuali species a genere abundat, quia genus nõ habet differentias in actu, sed in potentia, res autem non denominatur ab eo quod habet in potentia, sed ab eo, quod habet actu. Vnde ille non dicitur diues, qui habet multos nummos in potentia, sed bene ille, qui eos possidet in actu.

Et distinctio. Tertio notandum, quod habere differentias in actu bifariam intelligi potest; Primo continentia quidditatiua, in generali tamen, & confuse, & sic verum est, quod genus habet differentias in actu essentiali, vniuersale enim continentia reali ea omnia habet, quæ eius inferiora important, aliter, daretur aliqua entitas in inferioribus a superiori non recepta, quod est inconueniens. Secundo continentia formali constitutiua suæ naturæ formaliter, & expresse, & ita species continet differentias, vt sui constitutiuas formaliter, Vna autem differentia inferior superiores includit virtualiter, sed non formaliter, vt explicatũ est 7. Metaph. q. 17.

Sub formali conceptu. Quarto notandum ergo, quod genus, & species eandem naturam important, sed sub diuersis conceptibus realibus denominatiue concepiam; vnde id, quod genus vere, & realiter habet, illud non exprimit, sicut facit differentia, & species, quæ a genere originantur, & sic hoc modo reali conceptiuo obiectiue species potest dici abundare a genere.

Conclusio probatur. Secundo loco principali ponitur hæc conclusio. Species mediante differentia abundat a genere. Probatur. Illud in actu abundat ab alio, quod habet aliquid in actu, quod illud alium habet in potentia, talis est species, quæ continet differentiã in actu, quam genus continet solum in potentia, Ergo species abundat a genere differentia.

Ad Primum primo dicimus, quod & si genus contineat differentias, non tamẽ eas exprimit, sicut facit species. Secundo respondetur, quod genus cõtinet differentias continentia virtuali, &

li, & confusa, sed species eas continet continentia formali. Vel tertio dicendum, quod genus eas continet continentia quidditatiua, & confusa, sed species eas continet continentia quidditatiua, & formali sui ipsius constitutiua, nam species constituitur per differentiam, non vero genus nisi originaliter, & causaliter. Ad replicam dicendum, quod continere duo opposita bifariam stat. Primo per modum coniunctionis informatiuæ, ita, vt vna res simul in actu, & coniunctim dicatur informari duabus oppositis formis v.g. aqua caliditate, & frigiditate, & sic tantum idem numero non potest habere duo opposita, simul, & in actu perfecto, cum informantia, non autem hoc repugnat eidem genere, vel specie prout argumentum probat. Secundo per modum formalis denominantis, vt intelligamus vnum & idem simul, & in actu duas formales rationes oppositas dicere, quibus denominetur formaliter v.g. quod animal, vt genus simul dicatur rationale, & irrationale, & sic idem numero, specie, & genere non potest includere duo opposita. Scias tamen duo contraria posse esse in eodem, non in actu completo, sed incompleto, seu in actu primo, vt sunt plures species intelligibiles in intellectu, sed non in actu. Secundo .i. in actuali intellectione, quia intelligere fit, est per vnam speciem.

Ad Secundum dicendum, quod genus bifariam considerari potest, Primo vt est quoddam totum vniuersale diffinibile .i. vt dicit vnam rationem formalem quidditatiuam de pluribus prædicabilem. Secundo vt est quoddam totum potestatiuum, & vt continet species, & differentias. Primo modo potest dici continere actualiter, prout importat actualiter quidditatem prædicabilem, de inferioribus, & sic sumitur, vt quoddam totum diffinibile, Secundo vero modo dicitur continere potentialiter, & actuari in speciebus per differentias, sicut actuatur animal per rationale in homine, & concurrit, vt pars speciei.

Ad Tertium similiter dicitur: quod si genus sumatur, vt quoddam totum vniuersale de speciebus, prædicabile se habet, vt causa formalis specierum, quia prædicatum, semper comparatum subiecto habet rationem formæ; si autem accipiatur, vt quoddam totum potestatiuum, sic comparatur ad species, vt causa materialis, prout eas potentialiter, & indistincte continet. Sed caue ne credas genus esse naturam specierum dicitur, enim materia modaliter .i. se habere ad modum materiæ, quia sicut materia determinatur formis, ita etiam genus differentijs.

LECTIO XV.

Diffiniut autem eam, & hoc modo, Differentia est quæ de pluribus differentibus specie in eo quod quale quid est prædicatur. rationale enim & mortale de homine prædicatur in eo quod quale quid est, homo dicitur: sed non in eo quod quid est, quid est homo interrogatis nobis conueniens est dicere animal: quale autem inquisiti, quoniam rationale & mortale conuenienter assignabimus.

Rebus enim ex materia & forma constantibus, vel secundum proportionem ad materiam & formam, constitutionem habentibus, quemadmodum statua ex materia est æris, forma autem figura. sic & homo communis & specialis, ex materia quidem similiter proportionabiliter consistit ex genere ex forma au-

autem differẽtia: totum autem hoc, sci. animal rationale mortale, homo est, quemadmodum illic statua.

HIc, Auctor secundam diffinitionem differentiæ ponit, quæ naturam eius explicat, vt quoddam prædicabile est, & dicit, quod Differentia est, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in eo, quod quale, & quia difficultas solum videtur in vltima particula. s. ly quale, ideo, eam dupliciter explicat. Primo, quia si interrogemur de quid hominis, respondebimus est animal, sed si interrogator instet, quale sit animal, respõdebimus p differentiam dicendo, est animal rationale mortale. Secundo hoc declarat tali ratione, quando vnum duobus cõstituitur, quorũ vnũ se habet, vt materia, & aliud, vt forma, id quod se habet vt forma, in qua le prædicatur, v.g. statua Cæsaris ex ære componitur tanquam ex materia, & ex figura Cæsaris, tanquam ex forma, & ideo figura prædicatur in quale, sed differentia comparata generi se habet vt forma ad materiã, ergo prædicatur in quale.

Differentia predicatur de pluribus differentibus specie in quale.

Circa supradictam autem diffinitionem. Primo notandum venit, quod duplex est quale. Primum dicitur quale absolutum, & secundum hoc quale prædicantur de subiecto accidens proprium, & commune. Secundum dicitur quale quid, quod vere, & realiter dicit essentiam, & si modaliter videatur importare qualitatem v.g. rationale veram naturam hominis denotat; Sed quoniam determinat, ly hominem, ideo dicitur prædicari de homine in quale, sed in quale essentiale, quod solet dici quale quid.

In quale quid.

Secundo ergo est notandum, quod differentia dicitur prædicari in quale essentiale, quia est veluti forma determinatiua generis, nam sicut materia determinatur forma, & per eam denominatur, ita differentia determinat amplitudinem generis, & illud sub tali ratione formali denominat, v.g. rationale denominat animal, & determinat ad standum tantum pro animali rationale.

Genus determinando & determinando.

Tertio notandum, quod differentia duo denominat. s. genus, & speciem, sed diuersimode. Nam genus determinat, tamquam quoddam indeterminatum, & potentiale, quapropter differentia facit, vt tale, vel tale dicatur, speciẽ vero determinat, non vt quoddam confusum, & potentiale, sed vt eius pricipium formale, quo ab alia specie differt, vnde determinã do genus, ipsum diuidendo diuersificat, v.g. animal in rationale, & irrationale. At constituendo speciem, eã non diuersificat, nec diuidit, sed eam ab alia specie distinctam esse declarat.

Et speciẽ constituẽdo.

Quarto notandum, quod Porph. in textu comparat genus materiæ, differentiam formæ, & speciem composito. Hoc aũt põt dupliciter intelligi primo proprie, & totaliter, & hoc est falsum, qa materia, & forma sunt partes rei, pars autem non prædicatur in recto de toto, sicut facit differẽtia de specie. Secundo modaliter, & secundum hanc proportionem, quod sicut materia per formam determinatur, & ex vnione materiæ, & formæ quoddam totum resultat, ita differẽtia potentialitatem generis determinat, & ipsam speciem constituit.

Differentia comparatur formæ.

Quinto notandum, quod differentia vt est quoddam predicabile, ab alijs distinctum, speciem respicit, quã constituit. Dicitur ergo differentia est quod, vt per, (ly, quod) intelligamus eam esse de numero quinque vniuersalium, vnde (ly quod) in eius differẽtia se habet, vt genus, ly prædicatur de pluribus, ponitur ad differentiam indiuidui, quod de vno solo prædicatur si-

Diffinitio differẽtiæ explicatur.

tur ſicut(ly differentibus ſpecie)ponitur ad differentiam ſpeciei,quę prędicatur de pluribus differentibus numero(ly in quale quid,ponitur primo ad differentiam generis, & ſpeciei, quæ predicantur in quid ſimpliciter, & ſecundo ad differentiam proprij, & accidentis,quę prędicantur in quale accidentale.

Sexto igitur deducendum venit, quod differentia ſit tertium prædicabile, non vt de pluribus differentibus numero,ſed,vt de pluribus differētibus ſpecie prędicatur,etiam quod ſit differentia attoma,vt hic tenet Caietanus. Nam prædicabile tam pro re ſubſtrata, quam pro ſecunda intētione ſumptum, formaliter dicitur prædicabile, per ea de quibus immediate prædicatur,ſicut patet de genere, & ſpecie, & ſecundo quia differentia non prædicatur de indiuiduis primo, & de ſpecie ſecundo,ſed e cōtra, quia prius differentia conſtituit ſpeciem, quam per ſpeciem reſpiciat indiuidua, Vnde per hoc diſtinguitur a ſpecie, quæ immediate dicitur de indiuiduis. Nec officit,quod differentia attoma non prędicatur de multis, ſed tantum de vna ſpecie vltima, nec quod non ſit in multis, cum ſit forma ſpeciei. Nam his omnibus dicitur, quod eſt in multis, & prædicatur de multis non repugnanter vt differentia eſt,& ſic dicit ordinem ad inferiora, & quodammodo abſtrahit, vt eſt quoddam totum vniuerſale a ſpeciebus,quamuis vt ſpeciem cōſtituit intelligatur eius pars. Rerēdiſſimus tamen Magiſter ſacri palatij F.Hyacinthus Petronius bene reſpōdet, quod & ſi differentia attoma formaliter, & actualiter non prædicetur de multis &c. hoc tamen facit virtualiter, prout de ſpecie dicitur, quæ multa continet, & æquiualenter de ea prædicatur quaſi, vt quoddam ſuperius abſtractum.Sed,& tertio dicere poſſumus, quod eſſe in multis, eſſe ſuperius & prædicari de multis &c.eſt verum de prædicabili ſuperiori regulariter, vt eſt genus reſpectu ſpecierum,& ſpecies reſpectu indiuiduorum, non vero valet de prædicabili tali, i.de differentia attoma,neq; enim neceſſarium eſt, quod omnis prædicatio ſit ſemper ſuperioris de inferiori, nam quandoque poterit eſſe æqualis de æquali.

Differētia ſubalterna & attoma ſunt vnū prædicabile.

Septimo notandum, quod quamuis differentia ſubalterna de pluribus differentibus ſpecie prædicetur, & differentia attoma de vna ſola ſpecie,tamen non ſunt duo prædicabilia diſtincta, quia earum diſtinctio non eſt deſumenda ab aliquo habente rationem materialis, vt quod non ſit in pluribus differentibus ſpecie &c. ſed accipienda eſt ab eo, quod in ea ſe tenet, vt formale .ſ. prædicati in quale quid, per quod ab alijs prædicabilibus diſtinguitur. Omnis igitur differentia vt eſt formaliter differentia dicitur prędicari in quale quid, ſit modo de pluribus differentibus ſpecie, vel de vna tantum ſpecie. Nec valet, quod ſic genus,& ſpecies non diſtinguantur, quia ambo prædicantur in quid. Nam reſpondetur, quod non ſolum prædicari in quid,vel in quale quid præciſe conſtituit prædicabile, ſed iuxta naturam prædicabilis, quia autem conuenit differentiæ prædicari in quale quid qualificatiue, vt ſuperiori immediate ſpecie,vel actualiter,vel virtualiter,ideo per quale qd in eſſe differentiæ cōſtituitur. At quia generi,vt genus eſt conuenit prædicari immediate de pluribus differentibus ſpecie, & ſpeciei de pluribus differētib. numero in quid, ideo ex hoc materiali cū formali in eſſe prædicabilis diſtincti conſtituuntur.

Sed contra prædictam diffinitionem arguitur Primo,quod non ſit bona. Non enim conuenit omni diffe-

rentiæ, i.vltimæ,quæ conuertitur cũ specie specialissima, nam hæc non prędicatur nisi de vna specie secundum Arist.7. Metaph.tex.43.v.g.rationale non prædicatur de pluribus differentibus specie, sed de vna tantum specie .s. de homine.

Secundo probatur,quod non prædicetur in quale, propterea,quia se habet vt forma generis. Nam omne superius inferiori cõparatum se habet vt eius forma. Ergo sic omne superius,vt genus & non solum differentia prædicabitur in quale, quod est falsum. Ergo falsum est, quod differentia prædicetur in quale, vt forma generis.

Tertio. Vniuersale prædicabile debet prędicari de inferioribus directe, cum prædicatio indirecta non sit bona, sed differẽtia prędicatur a latere, cum a latere ponatur. Ergo.

Ad Primum aliqui respondent Porphyrium hic diffiniuisse tantum differentias subalternas, & non vltimas, quia has negauit,nam secundũ Porphyrium,rationale cõuenit Dijs, & hominib. & mortale nobis, & brutis, quæ tamen duę differentiæ, si simul iungantur vni rei .s. homini tantum conueniunt. Sed hæc sententia est contra Arist.7. Metaph. cap.12. vbi ait; vltimas differentias conuenire cum specie, & primo de partibus animalium, cap.2.habet,aliquas species non habere nisi vnam differentiam.

Secundus igitur modus dicendi fuit Burlei, & Simplicij cap.3.antepręd icamentorũ .s. quod Porph. hic tm̃ diffiniuit differentias nobis notas,& nominatas. Vltimæ autem,de quibus procedit argumentum nobis sunt ignotę. Ridet hanc responsionẽ Albertus, quia sic non essei diffinita omnis differentia. Sed a risu est abstinendum, cum Arist.D.Th.& idẽ met Alb.asserant vltimas differentias esse innominatas. Ergo non sunt diffinitę, quia diffinitio non datur nisi de noto.

Tertius ergo modus est Alb. tractatu.5.cap.6.dicentis,quod differentia bifariam considerari potest. Primo vt est vere differentia, & sic duo habet, s. diuidere genus, & duas species sub eo constituere, & sic potest prędicari de pluribus diuisis differentibus specie. Secundo potest considerari, vt vnam naturam attomam constituit, quod fere per accidens ei ascribitur, & ideo primo modo est diffinita,& non secundo modo. Hoc autem (inquit Caietanus) dupliciter considerari potest, Primo,vt dicamus hic esse diffinitam differentiam, sed nõ attomam, & hic sensus est falsus, quia & ipsa non caret actibus differentiæ, s.diuidere genus, & constituere speciem, nam quamuis accidat ei constituere naturam attomam, non tamen perdit veram rationem differentiæ diffiniendæ. Secundo, vt intelligamus non differentiam vltimam, quatenus formaliter est vltima esse hic diffinitum, sed formaliter,quatenus est differentia, cui non repugnat,vt sic .s. vt est differentia generis diuisiua,& specierum constitutiua,quod prædicetur de pluribus differentibus specie, quod est dicere differentiam vltimam,non vt vltima est positiue,sed,vt differentia est,non repugnare ei prædicari de pluribus specie differentibus. Sed hanc responsionem Caiet.multi moderni reprehendunt, Primo,quia differentia in hac secunda diffinitione, non diffinitur, vt genus diuidit,vel vt species constituit, sed vt est quoddam vniuersale prædicabile, sic autem non conuenit vltimæ prædicari de pluribus differentibus specie. Secundo,quia incompetens modus est naturis realibus vel se eas explicare, non positiue, sed per non repugnantiam, nam sic etiam possemus dicere, quod diffinitio

bestiæ

bestiæ sit diffinitio hominis per non repugnantiam, quia homo est animal & bestia est animal. Sed immerito hi mouentur contra regulam generalem, vt idem met Caietanus optime notauit .s. Quod, quando aliquid nō repugnat superiori absolute, & repugnat inferiori, ex propria ratione, vel ex quacumque alia additione, illud tale non potest simpliciter enunciari de inferiori, sed cum specificatione superioris, qua regula multæ propositiones Arist. glossantur v. g. quod quantum sit diuisibile in infinitum, hoc enim repugnat quanto, non vt quantum est, sed vt est sub determinata forma, & determinatis accidentibus. Ita ait Arist. 2. de Anim. Quod anima est actus primus, & tamen anima vegetatiua secundum nutritiuam semper est in actu secundo .i. semper nutrit. Ideo doctrina Caiectani recta est, & conformis .s. Doctori q. vnica de spiritualib. creaturis art. 8. ad quartum, & quarto contra Gentes cap. 48. cum Ferrariensi.

Ad primū igitur aduersariorū dicimus, quod differentia hic diffinitur p pdicari, vel positiue, vel per non repugnantiā, secūdum naturam diffiniti.

Ad Secundum dicimus. Quod homo & bestia positiue habent proprias diffinitiones, & ideo his diffiniuntur.

Vt igitur habeas fundamentum solidum essendi, & prædicandi de aliquo per non repugnantiam, scito, quod ad hoc quinque requiruntur. Primum est, quod diffinitum non dicatur absolute, sed cum ordine ad aliud, vt patet in differentia, quæ dicit ordinem ad species, de quibus prædicatur, & sufficit quilibet ordo, vel potentia ad actum, vel effectus ad causam, vel e contra. Secundum est, quod conueniat alicui differentiæ positiue, prout diffinitio differentiæ conuenit positiue subalternis, & non repugnanter vltimæ. Tertium est, quod diffinitio non detur per effectum, nec per actum imperfectiorem, sed per perfectissimum, quia diffinitio vltimum gradum rei explicat, ita vt talis actus conueniat diffinitis, vel actu, vel potentia non repugnantiæ, prout prædicari de pluribus differentibus specie conuenit differentiæ non actu, sed potentia non repugnantiæ, vt differentia est. Quartum est, quod diffinitum per non repugnantiam non sit de numero earū rerum, quæ in actualitate consistunt, sed in potentialitate collocatæ sunt. Quapropter, quia homo non habet potentiam ad rugibilitatem, ideo non potest dici rugibilis non repugnanter, i. vt est animal, vltra quod animal secundum se non dicit rugibilitatem, sed sensitiuū. Quintum est, quod diffinitum reduplicet rationem superiorem, & non propriam, v. g. quod differentia, vt differentia, prædicetur de pluribus differentibus specie, & non vt est attoma. Possumus tamen nos dicere ad principale argumentum, quod quamuis Porphyrius diffinierit differentiam per prædicari de pluribus differentibus specie, quia talis est natura differentiæ, primo diuisiuę generis, tamen subintelligendum esse voluit, differentiam attomam prædicari solum de vna specie, quia talis est ratio differentiæ vltimæ, diffinitiones enim explicandæ sunt, secundum exigentiam rerum, quibus attribuuntur.

Ad Secundum dicendum, quod su perius respectu inferioris dupliciter potest considerari. Primo vt ingreditur diffinitionem, & obtinet locum prædicati in propositione, & sic se habet, vt forma, Secundo vt est quoddā totum potestatiuum per diuersas differentias, vel modos determinabile, & sic se habet, vt materia, vt supra explicatum est.

Ad Tertium dicimus sufficere ad prædicationem directam, quod sit

superioris de inferioribus, siue sit in recta linea prędicamentali, siue a latere, vt est differentia.

quod quid erat esse accipiuntur. Et de differentijs quidem tot sufficiant.

LECTIO XVIII.

Discribunt autem huiusmodi differentiam & hoc modo. Differentia est quod est aptum natum diuidere ea, quæ sub eodem genere sunt. rationale enim & irrationale, hominem et equum, quę sub eodem genere sunt, diuidunt.

Assignant etiam hoc modo. Differentia est qua differunt a se singula: namque equus & homo secundum genus non differunt, Sumus enim animalia nos & rationabilia, sed additum rationale, disiunxit nos ab illis, & rationales sumus nos & Dij, sed motale appositum nobis, disiunxit nos ab illis.

Exactius autem perscrutantes & speculantes quæ ad differentiam pertinent, dicunt non quodlibet eorum, quæ sub eodem sunt genere diuidentium esse differentia, sed quod ad esse conducit, & quod quid erat esse quod est pars rei. Neque enim quod aptũ natum est nauigare erit hominis differentia, & si proprium sit hominis. Dicere enim possumus, animalium hæc quidem apta nata sunt ad nauigandum, illa vero minime, diuidentes ab alijs, sed natum esse & aptum ad nauigandum non erit completiuũ substantiæ, nec eius pars, sed aptitudo quædam, idcirco non est talis differẽtia quales sunt differentiæ quæ specificæ dicuntur. Erunt ergo specificæ differentiæ quæcunque alteram faciunt speciem, & quæque in eo

Porphyrius hic ponit tertiam diffinitionem differentiæ, dicendo Differentia est, quod aptum natum est diuidere ea, quæ sub eodem genere sunt, v.g. rationale, & irrationale diuidunt hominem, & equum sub eodem genere animalis, quia homo est animal rationale, & equus animal irrationale. Circa tamen presentem diffinitionem, quædam ex D. Caietano notanda veniunt. Primum est, quod differentia dupliciter potest considerari. Primo secundũ suam essentiam, & ita dicitur quoddam totum essentiale diffinibile, & prædicabile. Secundo secundum suos effectus, & sic ei attribuuntur duas effectus secundum duos actus quos habet, quorum Primus est diuidere genus, secundum quem hic diffinitur. Secundus est constituere species, & secundũ hunc alia diffinitione diffinietur. *Differentia est q̃d aptum natum est diuidere ea quæ sub eodem genere sunt.* *Secũdum primum suũ actũ.*

Secundo notandũ est recte Porph. dixisse. Differentia est, quod aptum natum est diuidere, & non dixit differentia est, quod diuidit, vel quę diuidit, quia, ly aptum natum, annuit talem esse naturam differentiæ .s. posse diuidere, nam quod diuidat dupliciter stat. Primo secundum suam naturam, quia .s. est naturæ diuisiuæ, Secundo secundum accidens, vel admaniculo alterius. Primo modo conuenit ei diuidere, vnde dicitur quod aptum natum est diuidere, & ideo ei conuenit naturaliter, & non virtute alterius. *Sua natura.*

Tertio notandum, quod differentia duo habet diuidere, sed diuersimode .s. genus & speciem, sed genus vt terminum a quo incipit diuisio, & species vt terminos ad quos diuisio terminatur. Nam vnam speciem diuidit ab alia, vt alteri contra- *Dupliciter.*

tra-

trariam. Duæ tamen differentiæ, quæ sunt qualitates contrariæ, vt albedo, & nigredo, caliditas, & frigiditas opponuntur quidem contrarie, sed differentia substantiæ, relationis, & quãtitatis nequaquam, nisi vt contrarietas denotat repugnantiam.

Et diuidere speciem a specie. Quarto notandum propter eos, qui arguunt, & quærunt, quare in diffinitione hac prætermissum sit, quod differentia sit diuisiua generis, & solum explicatum sit, quod sit diuisiua specierum, quod quamuis de facili possit responderi, quod hoc implicite inclusum sit, quia in posteriori prius continetur implicite, tamen melius dicitur, quod illud quod diuiditur necessario est totum, cum in partes diuidatur. Pensandum igitur venit genus habere duplicem totalitatem, & consequenter duplicem diuisionem. Nam, vt totum essentiale diuiditur .i. resoluitur in partes suæ diffinitionis, s. in genus superius, & in differentiam sui constitutiuam, sed vt totum potestatiuum, cum species contineat, per differentias in species actu diuiditur, & hinc prouenit, quod genus, vt totum essentiale prædicatur vt totum de omnibus speciebus, quia diffinitio, & diffinitum vnam essentiam dicunt, distinctam solum secundum confuse concipi, & distincte concipi, sed vt totum potestatiuum partialiter dicitur, quia eius essentia intelligitur per diuersas differentias formaliter coarctari ad distictas species v.g. natura animalis, ad rationale, & irrationale.

Species sũt partes potestatiuæ generis. Quinto ergo notandum, quod species merito partes potestatiuæ generis vocantur, & hoc primo ex parte obiecti; non enim species sunt partes integrales generis, cum genus ex his non componatur, nam potestas generis est essentia generis, & non partis. Intelligitur ergo obiectiue, prout potestas generis ad suas species terminatur. Vel secundo dicendũ, quod sic vocantur, quia nulla species seorsum totam potestatem generis complet, eo modo, quo partes potestatiuæ animæ totam eius essentiam non exprimunt seorsum, v.g. audite non exprimit omnes potentias animæ sensitiuæ, & ita rationale non complet totam potestatem animalis, quoniam irrationale non exprimit. Hæc autẽ similitudo currit in proportione quadam, & non in paritate, quia potentiæ animæ ab anima effectiue fluũt, species vero a genere non effectiue, sed formaliter emanant. Merito ergo Porphyrius dixit differentiam esse, quod aptum natum est diuidere ea, quæ sub eodem genere sunt, & non dixit, est qd diuidit genus, quia essentia generis diuidi non potest, potestas vero eius vtique terminatiue, vt diximus supra, diuidit autem solum ea q̃ sub eodẽ genere sunt, quia determinata differentia, determinatam speciem constituit, & non omnis differentia omnem speciem.

Differẽtia est qua differũt a se singula. Post tertiam diffinitionem addit Auctor quartam dicendo, quod differentia est qua differunt a se singula, & dat exemplum de homine & equo, quę conueniunt in animali, sed differunt proprijs differentijs .s. per rationale, & irrationale. Circa istam autem diffinitionem tria habeas. Primum, quod non est idem dicere aliqua differre, & ea esse diuersa, sicut nõ sunt idem differens, & diuersum, nam, quæ differunt, in vno genere vniuoco conueniunt, & proprijs differentijs differt, v.g. equus, & homo conueniunt in animali, & differũt per rationale, & irrationale. Quæ vero diuersa sunt, se ipsis .i. sua natura diuersa sunt, & non est opus, quod in aliquo vno vniuoco conueniant, vt sunt Deus, & materia prima, & prædicamenta omnia. Secũdum est, quod, & si diuersa non conueniant in

vno

vno genere vniuoco, conueniunt tamen in analogo, & præcipue in ente, quia nihil poteſt ſubterfugere naturam entis. Tertium eſt, quod ly qua, annuit, differentiam facere differre ſingula, vt eſt cauſa formalis, & non, vt effectiua, finalis, vel materialis, vt patet ex ſupradictis.

Differentia eſt quæ conducit ad eſſe, & eius quod eſt eſſe rei pars eſt.

Accedit tandem Porphyrius ad quintam differentiæ diffinitionem, quam exactiorem, perfectiorem, & intimiora differentiæ penetrantem eſſe áſſerit, ſic eam diffiniendo. Differentia eſt, quod conducit ad eſſe, & eius, quod eſt eſſe rei pars eſt. Hoc autem ſic probat. Illa eſt diffinitio perfectior, quæ perfectionem non minuit, ſed ſupplet omnium aliarum diffinitionum diminutionem, Talis eſt iſta. Ergo, Probat minorem, Quia in omni alia diffinitione ab hac aliquid ſemper in ea erat ſubintelligendum, nam in prima, quæ erat, quod ſpecies abundat a genere, ſubintelligẽdum eſt, differentia propria, & ita in alijs diffinitionibus quia nõ quilibet differentia diuidit genus, niſi addamus eſſẽtialiter, nõ accidẽtaliter.

Quomodo hac diffinitio præſtet alijs.

Circa ſupradictam autem diffinitionem. Primo obſeruandũ eſt, quod Porphyrius comparet hanc diffinitionem cum alijs bifariam explicari poteſt. Primo verbaliter, vt ſit ſẽſus, alias diffinitiones eſſe diminutas, & imperfectas, quia conueniunt alijs a ſpecificis differentijs, nam, & proprietates diuidũt genus, vt nauigatiuum, & non, & ſimiles, & tamen non ſunt ſpecificæ differentiæ. Secundo, ſecundum ſenſum, & ſic non labefactat ſupradictas diffinitiones, quia eas deſcriptiones vocauit, nam in eis ſubintelligendum eſſe voluit eſſentialiter, & patet ex quo ſupradictæ diffinitiones tantum ſpecificis differentijs conuenire apparet. Intendit ergo in hoc tñ magnificare hãc diffinitionẽ ſuper alias, quia quod illæ implicite dicebant, hæc explicite ſignificauit.

Differentia ſpecifica conducit ad eſſe rei.

Secundo notandum circa, ly, conducit ad eſſe, quod p hoc diſcriminat differentias ſpecificas a proprietatibus, vt ſunt volatiuum, nauigatiuum &c. Quod differentiæ ſpecificæ per ſe primo & eſſentialiter conducunt ad eſſe conſtituendo ſpecies ipſas, ſed proprietates, quamuis genus diuidãt, non tamen primo, ſed ipſum ſupponunt diuiſum per differentias ſpecificas, vnde differentia ſpecifica dicitur dare eſſe, & accidentales aduenire ſubiecto iam exiſtenti.

Specifica quod eſt eſſe rei pars eſt.

Tertio notãdum circa, ly & eius, quod eſt eſſe rei, pars eſt, quod per eſſe rei duo poſſumus intelligere. Primũ eſt eſſe eſſentiale ſpeciei, & ſic quod differentia ſit pars eſſe eſſentialis ſpeciei bifariam poteſt intelligi. Primo ſecundum rem, & ſic eſt falſum, quia dicit totum eſſe eſſentiale ſpeciei, & non partiale, aliter prædicaretur de ea in obliquo, vt pars facit. Secundo ſecundum explicationem & ſic eſt verum, quia differentia explicat tantum partiale eſſe rei, ſe habens vt forma. Secundo modo per eſſe rei poſſumus intelligere cum Alberto diffinitionem rei, & ſic verum eſt, quod differentia eſt pars eſſe rei, cum diffinitio conſtet ex genere, & differentia. Diffinitio autem dicitur eſſe rei notificatiue, quia ipſum explicat, non vero materialiter, quia non eſt nec eſſentia, nec exiſtentia rei.

Differẽtia multa habet.

Quarto notandum pro perfecta intelligentia omnium diffinitionum differentiæ, quod differentia poteſt comparari. Primo ad genus quod diuidit, & ſecundo ad ſpecies, quas conſtituit. Reſpectu primi tria habet. Primum eſt, quod ſit veluti forma in materia, quoniam ſicut forma determinat, & perficit materiam, ita differentia genus. Secundum eſt, quod ipſum diuidit, vt eſt quoddam totum poteſtatiuum, & non, vt eſt totum eſſen-

essentiale, sicut supra explicatum est. Tertium est, quod differentia prædicatur de genere, quod diuidit, non vt superius de inferiori, sed vt forma de suo subiecto, sicut sensitiuum prædicatur de animali. Respectu vero speciei etiam tria sibi vendicat. Primum est, quod simul cum genere speciem constituit, intellige, nõ quod sint duę partes, sed, vt sit vna res habens duos modos, quorum vnus se habet vt materia, s. genus, & alius, vt forma, s. species. Secundum est, quod facit differre species sub eodem genere, & primo quidem species inter se & secundario a cæteris, v.g. rationale, primo facit hominem differre, ab irrationali, sed secundario, & consequenter eã facit differre a lapide, planta, & cæteris. Tertium est, quod prædicetur de speciebus, vt æqualis de æquali, & conuertibiliter, quia verum est dicere, Omne rationale est homo, & omnis homo est rationalis. tertio etiam modo potest comparari differentia superior cum inferioribus non vt genus earum, cum non sit indeterminata prout est genus, sed sicut superius prædicatur de inferioribus.

Tandem notandum, quod ex hoc, quod differentia conducit genus ad esse, propterea dicitur nobilior genere, sed hoc bifariam intelligi potest, Primo, vt se habent sicut potentia, & actus, cum differentia actuet, & determinet potentialitatem generis, & sic clarum est differentiam esse genere nobiliorem, Secundo, vt se habent sicut totum in recta linea prædicamẽtali, & pars a latere, & sic genus dicitur nobilius differentia, cum genus sit quoddam totum in recta linea prædicamentali collocatum, & differentia sit pars a latere constituta. Absolute tamen differentia est præstãtior, etiã, quod prædicetur in quale quid & genus in quid, quia quid generis potentiale est, & quale quid differentiæ denotat illud quid potentiale generis sub actu, & si per modum qualitatis, cum tamen secundum rem sit secundum substantiam, & ita illimitatum materiale, est ignobilius limitato formali, & dependens, vt actus, ab independenti, vt materia, & incommunicabile actuale, communicabili potentialiter, quia actus, vt actus semper est nobilior potentia, vt potentia in generẽ entis.

De Proprio, quod est quartum Prædicabile. Capitulum quartum.

LECTIO XVIIII. & XX.

Proprium vero quadrifariam diuidunt. Nam & id quod soli alicui speciei accidit, & si non omni, proprium dicitur: vt homini esse medicum, vel geometram. Et quod omni accidit & si non soli, quemadmodum homini esse bipedem. Et quod soli, & omni, & aliquando: vt homini in senectute canescere. Et quod soli, & omni, & semper: quemadmodum homini esse risibile. nam etsi non semper rideat, tamen risibilis dicitur, non quod semper rideat, sed quod aptus natus sit ad ridendum. hoc autem ei semper naturale est, quemadmodum & equo hinnibile. Hæc autem nominantur uere propria, quoniam etiam conuertuntur. quicquid enim est equus, hinnibile est, & quicquid est hinnibile est equus.

POstquam Porphyrius egit de genere, & specie, quæ prædicantur in quid, & de differentia quæ prædicatur in quale quid, iure merito de Proprio, quod prædicatur in quale nõ commune, sed proprium agit: Ait ergo *Proprium quatuor modis dicitur.*

Proprium quatuor modis dicitur. ergo, quod proprium quatuor modis dicitur. Primo enim dicitur de proprio, quod inest alicui speciei, sed nõ omni, vt esse Medicum, vel Geometram. Secundo dicitur de eo, quod omni inest, sed non soli, vt esse bipedem, nam omnes homines duos habẽt pedes. Tertio dicitur de eo, quod inest omni, & soli, sed non semper, vt est canities, quæ conuenit omni homini, & soli homini, sed non semper, sed tantum in senectute. Quarto dicitur de eo, quod conuenit omni, soli, & semper, vt esse risibile, & disciplinabile, inest enim vtrumq; horum omni homini, soli homini, & semper, & quia quis potuisset illum interrogare, quomodo homini conueniat semper ridere, cum non semper rideat, respondet hoc ei conuenire semper non in actu, sed in aptitudine.

Sumitur multis modis. Circa supradicta autem primo notandum venit, non eandem esse significationem proprij apud omnes, nam apud Grammaticum sumitur, prout diuidit nomen in proprium, & appellatiuum, vel in significationẽ propriã & impropriam; apud Iuristas vero, sumitur secundum appropriationem rerum .i. prout res vni sunt appropriatæ iure gentium, & non alteri, sed apud Naturalẽ sumitur pro eo, quod alicui competit, secundum suam naturam. At apud Dialecticum sumitur pro prædicabili conueniente omni, soli, & semper, & sic de eo hic agitur.

Diffinitur & diuiditur. Secundo notandum, quod proprium potest diffiniri, & diuidi. Diuiditur autem in quatuor modos supra dictos, & secundum quartum modũ a cæteris secernitur, nam prout conuenit omni, diuiditur a primo modo, quod conuenit soli, sed non omni, p conuenire vero soli distinguitur a secundo, quod conuenit omni, sed non soli, per conuenire semper, distinguitur a tertio, quod conuenit omni, & soli, sed non semper. Diffinitur vero ab Arist. primo Top. sic. Proprium est, quod non indicat esse rei, soli autem inest, & coniunctim prædicatur. Porph. autem prætermisit diffinitionem, quia virtualiter eam voluit esse assignatam, dicendo: Proprium est accidentale prædicatum, quod conuenit omni, & soli speciei, & semper & conuersim prædicatur de ea, nã secundum substantiam tantum est dicere: Proprium est quod non indicat esse rei, ad differentiam generis, speciei, & differentiæ, quę indicant esse rei, cum prædicentur in quid, quantum est dicere. Proprium est accidentale prædicatum, quod prædicatur in quale, & dicendo soli autem inest, annuit differentiam proprij ab accidente communi & proprio secundo modo, quę omnibus insunt, vel inesse possunt dicẽdo vero, & conuersim de specie prędicatur, annuit differentiam inter ipsum, & proprium primo & tertio modo.

Tertio notandum, quod hęc diuisio secundum sensum fere est eadem cum illa, quam tradidit Arist. vt supra, dum distinguit proprium in absolute proprium, quod .s. non indicat naturam rei, vt supra fuit diffinitum quarto modo, & in proprium ad aliquid, quod secundum se est commune, sed comparatiue dicitur propriũ, vt habere duos pedes, quod dicitur proprium homini, cum quadrupedibus comparato, quod est proprium secundo modo sumptum a Porphyrio, quod conuenit omni, sed nõ soli, & in proprium quando, quod est proprium tertio modo; Tene tamen primo, quod Arist. primo Top. latius locutus est de proprio, vnde comprehendit etiam propria complexa vt par, vel impar respectu numeri, & curuum, & rectum respectu lineæ, nã Porph. loquitur solum de proprio simplici. Secundum est, quod Porph. de solis proprijs specificis loquitur, *Porphyrius non discordat ab Arist.*

nam

nam etiam generica dantur. Tertium est, quod ly semper, non stat pro perpetuitate, sed pro tempore existentiæ subiecti, quia ei semper conuenit, vel actu, vel aptitudine.

Quatuor modi proprij sunt Logici. Quarto notandum, quod propriū diuidatur in quatuor modos, semper intelligitur Logice, ad differentiam modorum generis, & speciei, quorum quidam sunt Politici, & quidam Logici. Modi autem proprij, & differentiæ Logici sunt, qui materialiter possunt esse idem in eadem re, sed distinguuntur formaliter, vt stat sub diuersis modis denominādi eandem rem, & de ea prædicandi. Est autem hæc diuisio non vniuoca, sed analogica, quia proprium tantum quarto modo proprie, & vere dicitur proprium.

Textus explicatur. Quinto notandum circa terminos positos in textu, quod dum Porph. dixit, (accidit) sumitur accidere, nō pro ut idem est, quod omni modo conuenire, sed, vt idem sonat, quod non pertinere ad essentiam rei. Dum vero dicit (vni soli &c. speciei) intelligit loqui de specie specialissima, v.g. esse medicum conuenit omni speciei, intellige tantum humanæ; sed non omnibus indiuiduis.

Item primus modus. Sexto notandum circa primum modum proprij, quod esse medicum vel geometram stat dupliciter. Primo in actu, & sic non conuenit omni homini. Secūdo in aptitudine, & sic omni conuenit; vnde potest vocari proprium quarto modo in aptitudine, & primo modo in actu.

Item secundus. Septimo notandum circa secundū, & tertiū modum; & eorū exempla, quod habere duos pedes vel canescere, conueniat omni homini stat dupliciter. Primo absolute, & hoc est falsum, quia aliqui homines generantur monstruose cum vno pede, vel tribus, neque omnes homines senescunt tātum in senectute, sed quandoque etiam in iuuentute. Secundo vt in pluribus, & impedimentis sublatis, & sic verum est, quod si actio naturæ non frustretur, homo nascitur cum duobus pedibus, & non canescit nisi in senectute, demptis extraordinarijs.

Item tertius. Arist. aūt in problemate senectutis 10. q. 62. videtur sibi contrarius, dum secūdo de generatione animaliū cap. tertio dicit, equum inter alia animaliā, maxime canescere, & in problemate dicto affirmat, hoc esse proprium homini. Sed primo respondetur homini conuenire canescere vt plurimum in senectute non sic equo, qui etiam canescit in prima iuuentute. Secundo dicitur, quod homini conuenit canescere proprie per albedinem capillorum, alijs vero, quibusdam animalibus per obscuriores colores & Tertio conuenit homini secundum caput proprie, & alijs secundum totum corpus.

Proprij cōditiones. Octauo notandum, quod propriū quarto modo debet habere omnes has conditiones. Prima quod conueniat omni indiuiduo illius speciei. Secunda quod cōueniat soli illi speciei. Tertia semper, sed aptitudinaliter. Quarta accidentaliter, ad differentiā generis, speciei & differentiæ. Quinta intransmutabiliter, ad differentiā accidentis communis, quod transmutabiliter subiecto cōpetit. Sexta quod conuertibiliter subiecto conueniat. Vnde ista acceptio proprij quarto modo, constituit cum supradictis conditionibus quartum prædicabile, tres vero priores acceptiones cum respiciant principia indiuidui, ad quinitū prædicabile attinent.

Dubia.

Contra supradicta tamen plura consurgunt dubia. Primum est, an proprium sit vniuersale respectu speciei infimæ, nam quod sit vniuersale dupliciter potest accidere. Primo vt

mo vt conuertitur cum vniuersali .i. cum specie vltima, & secundo vt præ, dicatur de indiuiduis. v.g. risibile de Sorte, & Platone. Videtur autē, quod sit vniuersale primo modo tum quia hic diffinitur per speciem, & non per indiuidua, tum quia Porphyrius supe rius capite de genere dixit, proprium prædicari de vna tantum specie.

Secundum dubium consurgit con tra diuisiones modorū proprij, quia vel sumuntur pro actu, vel pro aptitudine. Si pro actu committitur æqui uocatio, quia quarto modo sumitur pro aptitudine, vt dicitur in litera. Si pro aptitudine, sic primus modus, & quartus proprij coincidunt, īmo tertio modo proprij in aptitudine canescere semper conuenit omnibus hominibus.

Tertium dubium est contra exemplum canitiei, quia canities in actu est accidens indiuiduale, proueniens ex frigiditate cerebri, & sic geometriam habere est accidens indiuiduale, quod a proprio distinguitur, nam proprium consequitur speciem, & indiuiduale naturam accidentis cōmunis per principia indiuidui.

Quarto arguitur contra exemplū secundi modi proprij, quia habere duos pedes non conuenit soli speciei specialissimæ hominis, quia non solum homo, sed & aues habent duos pedes, nec conuenit speciei subalternæ, v.g. animali, quia non omne animal habet duos pedes.

Quinto arguitur contra tertium modum, quia multi lupi, & equi canescunt, ergo non conuenit soli homini.

Sexto arguitur contra quartam acceptionem. Nam proprium vel cōuenit speciei ratione suæ essentiæ, i. rationæ formæ specificę, aut aliunde. Si primum, non prædicabitur accidentaliter, sed essentialiter. Si secundum, esset purum accidens secundum prædicabile.

Septimo. Proprium non ponitur in prædicamento substantię, cum nō sit nec genus, nec species, nec differentia specifica. Ergo erit purum accidens secundum prædicabile.

Octauo. Omnia accidentia, quæcumque sint, etiam communia, determinant sibi subiectum proprium, in quo sunt naturaliter. Ergo quartum prędicabile non distinguitur a quinto.

Nono arguitur contra diffinitionem proprij, Primo, quia sunt quędā propria, quæ de generibus demonstrantur. Ergo non conuenit soli speciei habere proprium.

Secundo habere trinam dimensionem, vt proprium conuenit omni substantiæ corporeæ, completæ, & tamen non ei soli conuenit, cum sit accidens inseparabile a materia.

Tertio. Quia si daretur tantum natura cigni alba, albedo ei conueniret, vt proprium, & tamen ponitur accidens secundum prædicabile, promanans ex principijs indiuidui.

Quarto. Proprium, vt proprium non prædicatur de multis, vt inferioribus. v.g. istæ non sunt prædicationes proprij. Petrus est risibilis, Paulus est risibilis, sed hæc, homo est risibilis. Ergo.

Quinto. Proprium ponitur quartum prædicabile vniuersale. Sed nulla diffinitio proprij hoc explicat, nā conuersim prædicari de specie non est de inferioribus prædicari, vt facit vniuersale, sed de æquali.

Sexto. Si proprium refertur ad speciem, vt annuit, ly (& conuersī prædicatur .s. de specie), species erit correlatiua proprij, & ei subijcibilis: Sed hoc est falsum. Primo quia species nō potest duobus subijci, s. generi, & proprio. Secundo quia ad eam non refertur, vt vniuersale & superius, sed vt ad æquale, & sic proprium non erit

quar-

quartum vniuersale prædicabile.

Septimo. Aut conuertibiliter prædicatur de subiecto indiuiduo, vel de communi, Si primum, proprium, vt risibile non conuertitur cum subiecto, falsum est enim quod omne risibile sit Plato, potest enim esse Sortes. Si secundum, hoc etiam conuenit quinto prædicabili .s. habere suum subiectum adæquatum, & commune, v.g. accidens materiale, corpus in communi, & accidens spirituale, substantiam immaterialem, & sic accidens quartum prædicabile non distinguitur ab accidente communi, qđ est quintum prædicabile.

Octauo. Coloratum conuenit omni, & soli corpori mixto, & semper, & tamen non est proprium, cum non dimanet, ex principijs speciei, sed indiuidui.

Nono. Summa frigiditas conuenit aquæ, vt eius proprietas, & tamen nō semper ei conuenit, vt patet. Ergo.

Decimo. Vniuersale est vnum in multis, & de ipsis, vt inferioribus prædicatur. At proprium prædicatur tantum de vna specie, vt ei æquale. Ergo.

Vndecimo. Prædicabile est relatiuum rationis. Sed proprium non est relatiuum rationis, cum ens rationis nō fluat ab essentia, vt facit propriū. Ergo.

Duodecimo. Hæc diffinitio conuenit alteri a diffinito, s. differentiæ attomæ quæ de omni, solo, & semper prædicatur, & conuersim. Ergo.

Tertiodecimo. Calor est proprietas ignis, & tamē non conuenit soli igni. Ergo.

Quartodecimo. Risibilitas est proprietas Petri, & tamen conuersim de eo non prædicatur, si conuenit omni homini. Ergo.

Quintodecimo. Existentia consequitur formam, & tamen nō est eius propria passio, quia propria passio causatur a subiecto, esse autem a solo Deo producitur.

Sed ad primum argumentum dicitur, quod proprium sit vniuersale, potest dupliciter intelligi. Primo vt conuertitur cum specie vniuersali, & sic non est dubium. Secundo vt prædicatur de indiuiduis, sicut facit species, & sic in vno non est difficultas .s. quod de eis prædicetur, per regulam ante prædicamentalem. Quicquid prædicatur de superiori, prædicatur etiam de inferiori, sicut quod prædicatur de homine, prædicatur et de Sorte; Sed in hoc est difficultas, vtrum immediate prædicetur de indiuiduis, vel mediate, i. mediante specie. Pro nunc autem breuiter dicitur, quod formaliter, & immediate prædicatur de specie, & virtualiter de indiuiduis. Ad argumentum igitur dicitur, quod proprium duo habet. Primum, quod conuertatur cum specie, vt fluens ab eius essentia, & ita, quia species est quoddam vniuersale, ideo etiam proprium erit vniuersale. Secundum, quod habet est, quod prædicetur in quale accidētale proprium, & per hoc habet, quod distinguatur a specie. Sed potest quis quærere, an proprium habeat, quod sit vniuersale in abstracto, vel in concreto. Cui respondemus, quod hoc habet, vt sumitur in concreto, quia sic tantum habet, quod prædicetur in recto, & per modū totius, vnde non dicimus Sortes est risibilitas, sed est risibilis, & idē dico de omnibus alijs vniuersalibus, sed vt fuit explicatum supra.

Ad secundum, aliqui primo respondent, quod proprium primo modo non sumitur pro aptitudine, prout sumitur quarto modo, sed sumitur pro habitu, seu pro actu primo, vnde discrimen est inter esse risibilem, & esse geometram, nam risibilitas naturaliter, & semper consequitur totam speciem, & omnia eius indiui-

qua. At habere Geometriā procedit ex voluntate discentis pro tempore vsus rationis. Soto vero respondet, quod Porph. forsitan loquutus est de inclinatione ad habitum Geometriæ, quæ a Cœlo prouenit, & nō omnibus datur, risibilitas vero omnibus datur in aptitudine. Ad illud de canitie dicitur, quod canescere aptitudinaliter conueniat omnibus hominibus stat dupliciter. Primo semper, & hoc est falsum, sicut semper conuenit aptitudo omnibus hominibus ad ridendum, etiam infantulis. Secundo pro tempore suo; i. quando in cerebro corrumpitur humidum naturale, quod præcipue accidit in senectute, ex deficientia caloris cerebri non valentis digerere, humidum ex quo fiunt cani, & hoc est verum, sed non contra nos.

Ad tertium omnia concedimus, quoniam proprium tantum quarto modo sumptum conuenit omni, & soli speciei, & indiuiduis, & semper.

Ad quartum respondemus, quod habere duos pedes conuenit omni homini, in quantum est quoddam totum perfectum quantitatiue; sed ei soli non conuenit absolute.

Ad quintum iam diximus, & modo addimus, qd muli, equi, lupi &c. si senescunt, hoc tamen, non habent ex humiditate corrupta cerebri, sicut habent homines ...

Ad sextum dicendum, quod aliud est, quod proprium consequatur essētiam speciei, & aliud est, quod sit propria essentia speciei. Primum est verum, quia fluit ab essētia, vt effectus, ideo enim homo est risibilis, quia est rationalis. Secundum autem est falsum, quia non est differentia essentialis conducens ad esse; sed est proprietas entis ei aduenięns iā constituto in esse.

Ad septimum dicendum, quod accidens proprium mediat inter accidens commune, & differentiam specificam. Hinc notandum est, quod accidens dupliciter sumitur. Primo, vt contra substantiam diuiditur, & sic accidens diuiditur in proprium, & commune, nam, quod substantia non est, accidens est. Secundo sumitur, vt est quintum prædicabile, & de subiecto dicitur & sic inter substantiam, & accidens commune mediat proprium. Ad argumentum ergo cōceditur proprium nō reperiri in prædicamento substantiæ, sed negatur sequela s. ergo erit accidens commune, quia quodlibet prædicamentum accidentis habet aliqua propria, & aliqua communia.

Ad octauum dicendū, quod quodlibet accidens sibi determinet proprium subiectum potest pro nunc dupliciter intelligi. Primo causaliter, & sic dicimus, quod non quodlibet accidens potest a quocunque subiecto causari, sed determinatum tantum a determinato, v.g. Homo tantum causat risibilitatem & non rugibilitatē, & hoc accidens est proprium. Secūdo modo potest intelligi inhærenter, i. de subiecto inhæsionis, & sic etiam falsum est omne accidens determinare sibi subiectum proprium, quia tale accidens debet esse intransmutabile, accidēs vero cōe, & si pro aliquo tempore sibi determinet subiectum; tamen absolute potest adesse, & abesse, & subiectum potest illud sustentare, & non ...

Ad nonum dicimus, quod solum illa vocantur propria, quæ fluunt ab essentia iam deducta ad esse per differentiam. Vnde omnia propria supponunt essentiam iam per differentiam specificam sub esse constitutam, & ideo fingere facultatem intelligendi esse quoddam proprium hominum, & Angelorum simplex figmentum est, cum talis facultas sit genus, & non species ad esse conducta.

Dici-

Dicimus ergo, quod proprium bifariam sumi potest. Primo vt distinguitur contra commune, & sic omnia genera habent quædam propria, & quędam communia. Secundo vt est accidens reale fluens naturaliter, & necessario ab essentia, sub existentia cō stituta, & sic dicimus ista propria nō consequi nisi species, vel se habentes, vt species.

Ad secundum contra diffinitionē dicimus, materiam non habere trinam dimensionem, nisi quatenus est sub quantitate, & mediante, quantitate.

Ad tertium dicimus, quod ad hoc vt aliquid dicatur proprium non solum sufficit alicui soli conuenire, sed adhuc opus est, quod emanet ex principijs speciei, & cōueniat indiuiduis omnibus, non ratione indiuidui, sed ratione speciei, & ideo si albedo cigni prouenit tantum ex eius complexione indiuiduali non erit proprium, sed accidens cōmmune inseparabile.

Ad quartum respōdemus sicut ad primum principale.

Ad quintum aliqui dicunt, proprium hac diffinitione non esse diffinitum, vt quartum prædicabile, quia non prædicatur, vt superius de inferiori, sed esse diffinitum, vt prædicatum proprium speciei cum ea conuertibile. Nec propterea diminutus est Porph. nō diffiniendo proprium, vt est prædicabile, quia eius diffinitionem, vt omnibus notam omisit. Nam omnes sciunt quod proprium quarto modo sumptum, & vt prædicabile constitutum diffinitur per prædicari de pluribus intransmutabiliter. At ego oppositum sentio, & sustineo, proprium hac diffinitione esse diffinitum, vt quartum prædicabile. Nam sufficit, quod prædicabile, de multis prædicatur, vel actualiter, & seorsum, vel virtualiter, & in alio, & ideo quamuis proprium de vna tantum specie, vt de æquali actualiter dicatur, tamen de ea dicitur vt prædicabile de multis virtualiter .i. de omnibus indiuiduis in specie inclusis, vt de inferioribus actualiter secundum se. Nec propter hoc sū in sententia, quod proprium dicatur quartū prædicabile, vt de indiuiduis & non vt de specie prædicatur, quia censeo sufficere, vt dum actualiter de specie dicitur de multis virtualiter prædicari, non enim omnia prædicabilia eundem modum prædicandi retinent. Et ita germano sensu interpretamur diffinitionem proprij dicentes. Proprium est quod conuenit omni speciei, vt est eius proprium, i. propriū conuenit omni speciei, sed tantum cuius dicitur proprium, & soli illi speciei, & semper conuenit, durus enim est sensus, s. volo dicere, proprium cō uenire quidem omni indiuiduo, sed soli speciei, & semper, nam sic mutatur subiectum, & fit transitus de vno ad aliud.

Ad sextum aliqui dicunt, quod proprium non refertur ad speciem, quia hic diffinitum est proprium, vt est natura realis, & nō, vt est secunda intentio, quapropter sic non dicitur quartum prædicabile, sed prædicatū. Sed cum ego censeam prædicatum posse esse p̄dicabile virtualiter, ideo ad argumentum dicitur, idem non posse duobus subijci, eadem relatione, sed diuersis vtique, sicut idem secundum diuersa consideratum ad diuersa potest referri. Species ergo ponitur sub genere, non vt eius causa sicut species ponitur sub proprio, sed vt de ea genus prædicatur in quid, vt de inferiori, & minus vniuersali. Possumus ergo dicere, ꝙ propriū formaliter hic diffinitur, vt stat sub secunda intentione, & vt refertur ad solam speciem, & semper.

Ad septimum dicitur, quod proprium diffinitur in ordine ad speciē,

quod

quod est eius subiectum adæquatũ. Ad argumẽtum autem dicitur, quod habere subiectum commune, & adæquatum stat dupliciter. Primo causaliter, & sic conuenit tantum proprio, quod efficitur a subiecto naturali sequela. Secundo materialiter, & sic potest conuenire accidenti communi .s. esse in subiecto materiali, sed non, vt in sua causa effectiua, cum nõ producatur ab essentia subiecti, sed vel ab extrinseco adueniat, vel a principijs indiuidui dependeat.

Ad octauum negatur, quod coloratum in confuso, & in communi nõ sit passio corporis mixti, nam de colore dupliciter loqui contingit. Primo de hoc, vel illo, & talis emanat ex principijs indiuidui. Secundo in communi, & sic omne mixtum sibi vendicat aliquem colorem sua natura, quia non est reperibile corpus mixtum, qd non sit coloratum. Et idem dico de quali, quod est passio cuiuscumque determinabilis, consequens naturam formæ determinantis, & ita quantum naturam materiæ sibi coniungentis quantitatem.

Ad nonum negatur, quod summa frigiditas sit passio aquæ, & conceditur, quod frigiditas in aliquo gradu est eius proprietas, & si ab ea separetur secũdum aliquem gradum actualiter, non tamen ab ea separatur totaliter, & radicaliter, vnde suę naturæ relicta a generante, vt quod, & a propria frigiditate, vt quo, ad suam proprietatem se reducit.

Ad decimum iam diximus, quod species ratione contentorum dicitur multa, & sic ratione eius proprium dicitur de multis.

Ad vndecimum dicimus, quod valet de proprio, prout sumitur abstracta sumpto, & non de eo, vt sumitur pro secũda intentione, cui substat natura realis proprij, Ideo proprium secundum suam naturam denominatiue prædicatur, & vt secunda intentio quidditatiue & ad ea quorum est propriũ quidditatiue refertur.

Ad duodecimum dicendum, quod hæc diffinitio non conuenit differentiæ attomæ, q̃a in diffinitione proprij subintelligitur, quod prædicatur in quale simpliciter accidentale. Nam differentia prædicatur in quale essentiale, & ita proprium prædicatur vt vniuersale de indiuiduis, non per se primo, sed per se secundo.

Ad decimumtertium dicendum, quod calor summus est ignis proprietas, & ita in summo alteri ab igne cõuenire nequit.

Ad decimumquartum negatur quod risibilitas sit proprietas Petri adæquate, & immediate, mediate vtique, & inadæquate.

Ad decimumquintum. Quod petit, an existentia sit propria passio formæ, respondetur affirmatiue, quia ei conuenit inseparabiliter in esse positi .i. in sensu composito, quia impossibile est, quod detur forma existens sine existentia. Ad id autem quod obijcebatur, quod esse, soli Deo per se conuenit, creaturis vero per aliud .i. per Deum, qui causat omne esse, respondetur, quod effectiue soli Deo conuenit p se esse, q̃a a solo Deo immediate efficitur, at formaliter conuenit etiã formæ, cũ sit illa, quæ est causa immediata dãs esse formale rei, & ita S. D. secundo contra gen. cap. 55. dicit, qd esse conuenit formæ per se, & secundum quod ipsum, ita vt sit eius effectus formalis & immediatus, quia ipsa est, quæ dat esse formaliter, & immediate.

Esset hic altera Quæstio examinãda, s. An propriũ reale a suo subiecto distinguatur, sed quia Metaphysicalis est, ideo hic sufficiat aliqua summarie notare. Primo ergo notandum, Nominales tenuisse non distingui, si proprium physice sumatur pro accidente

dente consequente speciem, cum teneant hominem per animam immediate viuere, & ridere &c. At Scotus secundo sent.d.16.q. vn. tenet distingui ex natura rei formaliter .i. per diuersam diffinitionem, quia subiectū diffinitur per substantiam, & passio per accidens, negat tamen distingui realiter, cum passio realiter includatur in subiecto. Sententia autem s.D. est, quod realiter distinguantur, quia subiectum est substantia, & passio accidens; substantia autem, & accidens distinguuntur realiter, & insuper, qa omne ens, aut est ens rationis, aut reale, ex 5. Metaph. tex. 14. Ergo & distinctio, cum fundetur supra ente. At proprium, & subiectum non sunt ens rationis, sed ens reale, ergo distinguū tur realiter. Et tandem, quia subiectū denominatur specifica differentia, & proprio accidentali differentia, & hęc sunt duo prædicabilia distincta realiter.

Subiectū. & passio distinguū tur realiter.

Secundo notandum, quod substantia agit mediante potentia .v.g. Homo intelligit mediante intellectu, & ideo cum potentia sit de genere qualitatis, de tali genere erit & eius actus, cum potentia, & actus sint eiusdem generis per Arist. 9. Metaph.

Quia producitur media potentia.

Tertio notandum est, quod passiones sunt in duplici differentia, nam quædam non producuntur media aliqua actione, & ideo materialiter sunt idem cum ipso subiecto, vt passiones entis cum ente, quædam vero producuntur reali, & media actione a subiecto, sicut rationale vere, & realiter producit risibile, & hæ distinguuntur realiter a subiecto.

Reali actione.

Quarto tandem notandum, quod hæc actio sit media bifariam intelligi potest. Primo formaliter quasi agens primo producat subiectum vna actione, & deinde alia actione producat passioné, & hoc est falsum, quia vna eademque actione formali, & reali agens producendo subiectum facit, quod naturali sequela sequatur passio, nam aliter daretur processus in infinitum. Secundo intelligitur effectiue, & dependenter, quia eadem actio effectiua agentis habet duos terminos, vnum substantialem immediatum, & primum .s. productioné essentiæ, alterum accidentalem dependentem, & mediatum .i. quod mediante essentia producat passiones, & hoc verum est, & intentum.

Dependẽter.

An vero per absolutam Dei potentiam possit propria passio separari a subiecto, vide 7. Metaph.

LECTIO XXI. & XXII.

De Accidente communi 5. Prædicabili. Quintum Capitulum.

Accidens est quod adest & abest præter subiecti corruptionem. Diuiditur autem in duo: inseparabile, & in inseparabile. Separabile enim accidens est dormire, nigrum vero esse inseparabiliter coruo & ethiopi accidit potest autem subintelligi, & coruus albus, & ethiops abijciés colorem, præter subiecti corruptionem.

Diffinitur etiam sic quoque. Accidens est quod contingit eidem inesse & non inesse. Et quod neque genus neque species, neque differentia, neque proprium: semper autem est in subiecto subsistens.

Agit tandem Porph. de vltimo prædicabili .i. de accidente cōmuni, ipsum primo diffiniendo, & deinde diuidendo. Ipsum ergo sic diffinit: Accidens est quod adest, & abest præter subiecti corruptionem, ipsum autem diuidit in accidens separabile, &

le,& inseparabile. Separabile est veluti dormire, & inseparabile, vt nigrum esse coruo,& ethiopi. Sed quã uis hæc nigredo dicatur inseparabilis a coruo, & ethiope secundum rem, potest tamen ab eis separari secundũ intellectum, quia sine ea possunt intelligi. Circa ista autẽ plura sunt notanda,& plura dubitanda.

Primo ergo notãdum venit, quod accidẽs tripliciter sumi potest. Primo vt distinguitur contra substantiam, & sic est ens reale diuisum in substantiam & accidẽs. Secũdo sumitur pro omni eo, quod est extra substantiam rei, siue sit substantia siue accidens, quo pacto homo accidit animali. Vnde hæc propositio, animal est homo est per accidens,& indirecta,& sic de eo loquitur Arist. 5. Metaph. cap. 3. Tertio sumitur vt distinguitur cõtra genus, speciem, differentiam & proprium per diuersum modum prædicandi, & sic non significat aliquam naturam realem ab alijs distinctam, nam sic sequeretur, quod nulla natura accidentis posset esse genus, vel species, quod est falsum, vt patet in generibus & speciebus accidentium. Significabit ergo quandam relationem rationis ad ea de quibus prædicatur, sicut dictum est de alijs prædicabilibus, & hoc tertio modo hic sumitur.

Accidens tripliciter sumitur.

Secundo ergo notandum, quod accidens tripliciter considerari potest. Primo secundum suam essentiam, & naturam, prout tale ens est reale, & sic a Metaph. consideratur. Secundo modo, vt est in intellectu, & refertur ad inferiora, & superiora, & sic a Logica inspicitur, sed generaliter, prout consequitur genera, species &c. Tertio, vt comparatur ad subiectum, ita vt si fluat ex principijs essentialibus & specificis subiecti dicatur propriũ, & si sit ex principijs indiuidui dicatur commune, & sic constituit quartum,& quintum prædicabile. Nam si fluit ex principijs essentialibus erit quartum, & si ex pricipijs indiuidui, vel in ipso transmutabiliter subiectetur, erit quintum prædicabile.

Tripliciter consideratur.

Tertio notandum, quod Porph. tripliciter describit accidens commune, & primo sic. Accidens est, quod potest adesse, & abesse subiecto, præter subiecti corruptionem. Notandũ est autem, quod adesse, & abesse stat dupliciter. Primo realiter .i. secundũ inhærentiam realem. Secundo intellectualiter, i. per compositionem, per affirmationem accidentis in subiecto importatam, vel per negationem, quia .s. accidens potest affirmari, & negari de subiecto sine eius corruptione. Primo modo non sumitur hic, quia accidens hic consideratur, vt est prædicabile, & consequenter, vt stat sub secunda intentione. Nec valet resp. Toleti, quod Logica innititur Metaphysicæ, & ideo potest ab ea petere. Nam primo falsum est, ꝙ Logica innitatur Metaphysicæ, cum per Arist. 4. Metaph. ex æquo distinguantur, quia Logica est de omni ente rationis, & Metaph. de omni ente reali. Secundo, quia sic Logica primo consideraret ens reale, & Tertio quia sunt multa accidentia, quæ secundum esse reale, non inhærent in esse reali, sed tantum in esse obiectiuo subiecto, vt sunt secundæ intentiones vniuersales. Secundo ergo mo do intelligitur vt explicabimus.

Accidens quomodo adsit, & absit subiecto.

Quarto ergo notandum circa, ly, (&) quod non copulat, sed disiungit, vt sic sensus. Accidens abest pro vno tempore, & abest pro alio, vel, ly, (&) facit sensum, pro vel .i. adest, vel abest, vel idem sonat, quod affirmari, & negari de subiecto, salua eius natura, Vnde ei adesse, vel abesse, i. subiecto naturæ eius non repugnat, pro eo tẽpore, pro quo existit, na meo destructo, & accidens ruit.

Succe

Quia-

Non destruendo eius naturam. Quinto notandum circa (ly, prꝑter subiecti corruptionem), quod dupliciter potest construi. Primo vt de subiecto dicatur, ita vt cõstruatur cũ, ly (subiecto,) ita vt sit sensus. Accidens est quod adest, & abest subiecto, prꝑter eius corruptionem .i. aduenit subiecto, eo manente, & sic non intelligitur, quia subintelligitur rationem illius subiecti manere, quasi de eodẽ semper verificetur, & non de alio. Secundo construitur cum, ly, (adest, & abest) tanquam modificatio copulæ verbalis, vt sit sensus. Accidens est, quod de subiecto affirmatur, & negatur, non quocumque modo, sed tali .i. non destruendo eius rationem, & sic intelligitur, quia per hoc differt accidens commune, a quatuor supradictis prædicabilibus, quæ non possunt affirmari, & negari de subiecto, nisi eorum ratio destruatur, nam si tollas ab homine, quod sit animal, vel rationale vel risibile, destruis eius naturam, & diffinitionẽ, omnia vero prædicata accidẽtalia, separabilia, & inseparabilia nõ a specie, sed ab īdiuiduo possunt negari, & affirmari de subiecto, non destruẽdo eius nãm, & diffinitionem, nã si a coruo subtrahẽ nigredinem, ab eo non tollo eius quidditatiuam diffinitionem, s. quod sit animal irrationale.

Quidnã sit substãtia accidẽtis. Sexto notandum tamen, quod duplex est subiectum, quoddam in potentia essentiali, & hoc est materia prima, & de hoc non loquimur, quia accidentia non adueniunt nisi subiecto existenti in actu, Quoddam ergo est subiectum quod tantum existit in potentia accidentali ad formas accidentales, & de hoc loquitur Porph. Verum est tamen, quod late sumẽdo accidens pro eo omni, quod potest affirmari, & negari de subiecto sine eius corruptione, subiectum extenditur etiam ad non compositum. Vnde istæ propositiones sunt in quinto prædicabili animal est homo, anima intelligit, Albedo est intensa & similes.

Secunda diffinitio accidentis est ista. Accidens est, quod contingit eidem inesse, & non inesse. Circa quã primo notandum venit, quod ly inesse, & non inesse bifariam intelligi potest. Primo pro inesse, & non inesse secundum rem, & sic hæc diffinitio differt a prima, quia hæc conuenit tantum accidenti separabili, quod inest, & non inest secundum rem, secunda vero conuenit accidenti separabili, & inseparabili, quia potest sine destructione diffinitionis subiecti de eo affirmari, & negari. Secundo modo intelligitur sicut prima, s. per affirmari, & negari de subiecto. & sic hæc differt a prima, propterea quod per illam particulam, contingit, magis explicat naturam accidentis, nam in prima dicebatur absolute, Accidens est quod adest, & abest &c. sed in hac explicatur per ly contingit, hoc accidẽs ad esse, & abesse transmutabiliter, & contingenter. Primam expositionem sequitur Auerroes, secundam Caietanus & rectius, Primo quia hic diffinitur Accidens, vt est prædicabile, & consequenter intẽtionaliter, & secundo quia Arist. primo. Top. hanc dicit magis conuenire accidenti, quã primam. *Accidens est quod contingit eidem in esse, & nõ in esse.*

In communi. Secundo animaduertendum circa hanc diffinitionem, quod hic loquimur de Accidente communi, & in communi, & ita de adesse, & abesse, quia non est opus, quod omne accidens de facto sit in subiecto, vel significetur esse in subiecto, sicut patet in accidentibus communibus, & abstractis, nam quamuis hæc non intelligantur esse in subiecto, tamen intelliguntur posse esse in subiecto, sine eius corruptione.

Accidens neque est genus, neque species &c. Tertia diffinitio accidentis est. Accidens neque est genus, neq; species,

Y neque

neque differentia, neque proprium, semper autem est in subiecto subsistens. Hæc est descriptio acidentis, sicut & duæ superiores descriptiones sunt, & non diffinitiones, quæ tamen si coniunctim sumantur, vnam perfectam diffinitionem accidentis constituunt. Voluit enim Porphyrius in his prædicabilibus colligere omnes diffinitiones datas ab antiquis de quolibet prædicabili, & ideo mirum non est, si eorum naturas descripsit multipliciter.

Secundũ sensum datur per affirmationem. Circa hanc diffinitionem primo est notandum, quod quamuis secundum verba videatur data per negationes, vt annuit ly (neque &c.) tamẽ secundum sensum affirmatiua est, & facit hunc sensum affirmatiuum .s. accidens est quoddam prædicatum accidentale subiecto, & ideo neque est genus, neque species &c. quoniam hæc sunt prædicata intrinseca subiecto in primo, & secundo modo dicẽdi per se.

Secundo notandum circa, ly (semper autem est in subiecto subsistens) quod hæc verba apposita sunt propter duo. Primum est ne videatur hæc diffinitio data per puras negationes & secundo propter prædicata repugnantia, quæ non possunt esse in subiecto, sed semper longe sunt a subiecto.

Tertio notandum, quod accidens semper subsistat in subiecto dupliciter potest intelligi. Primo inhæsiue, i. actualiter inhærendo subiecto. Secundo prædicatiue .i. quod semper intelligatur prædicari de subiecto sustentante ipsum, nam a modis essendi sumũtur modi prædicandi, vnde cum accidens non sustentetur nisi a subiecto, ideo non potest nisi de subiecto dici, & vlterius, quia accidens se habet vt adiectiuum, quod non potest esse sine substantiuo. Vtroque ergo modo intelligitur.

Dubia circa supradicta.

Contra tamen supradictas diffinitiones, & diuisiones multa consurgunt dubia. Primum est, quia cum omne multiplex prius sit diuidendũ, antequam sit diffiniendum, & accidens sit multiplex .s. separabile, & inseparabile, videt male fecisse Porph. prius ipsum diffiniendo, & deinde illud diuidendo.

Secundum est contra ly adest, vel abest. Nam diffinitio non debet esse dubia, sed certa, cum notificet naturam rei, Ergo diffinitio accidentis nõ erat danda sub dubio dicendo disiunctiue, adest, vel abest.

Tertium est, Quia bona diffinitio constat, ex genere, & differentia. At in hac prima diffinitione accidentis non apparet quod sit genus, vel quid ponatur loco generis.

Quarto. Hæc diffinitio conuenit alteri a diffinito .s. proprio, Ergo nõ est bona. Probatur antecedens, quia proprium est accidens inseparabile, Nec valet respondere, quod secundum cogitationem accidens commune inseparabile sit separabile, quia potest intelligi coruus sine nigredine, nam eodem modo instatur, quod etiam potest intelligi subiectum sine proprio, v.g. homo sine risibilitate.

Quinto. Risibile v.g. pro hoc tempore in quo non est Antichristus de eo negatur, et pro tempore in quo erit de eo affirmabitur, & vtrumque fit, & fiet sine destructione subiecti, quia Antichristus pro diuersis tẽporibus potest intelligi risibilis, & non risibilis. Ergo mala est diffinitio, quia competit alteri a diffinito.

Sexto. Mors accidit homini, & cõbustio domui, & tamen non sine corruptione istorum. Ergo male dicitur, quod adest, & abest sine subiecti corruptione.

Septi-

Septimo. Forma substantialis adest, & abest materiæ sine eius corruptione, cum materia sit incorruptibilis per Arist. primo Phys. At forma substantialis non est accidens. Ergo hæc diffinitio conuenit alteri a diffinito.

Octauo. Humanitas potest adesse, & abesse Verbo Diuino sine eius corruptione, cum Verbum diuinum sit incorruptibile. At Humanitas in Christo non fuit accidens, cum eius vnio cum Verbo Diuino fuerit substantialis. Ergo mala est diffinitio.

Nono. Calor accidit aquæ. At calor aquam corrumpit resoluendo eā in fumum. Ergo accidens non potest adesse, & abesse subiecto sine eius corruptione.

Decimo. Accidens commune ponitur quintum prædicabile, Sed eius concretum, & materiale non prædicatur de multis per accidens, sed per se. Nam v.g. Album, quod ponitur accidens commune, prædicabile de hoc, & illo albo, de his non prædicatur per accidens, sed per se, quia album est per se album. Ergo.

Vndecimo. Istę prędicationes. Animal est genus Homo est species, sunt prędicationes quīti prædicabilis, & tamen non dicuntur de subiectis .i. de indiuiduis, in quibus accidens adest, & abest.

Duodecimo. Si accidens inseparabile secundum rem, vocatur separabile secundum intellectum, sic omne accidens erit separabile, & sic diuisio erit inutilis.

Tertiodecimo arguitur contra diuisionem, Primo quia pugnat cum diffinitione, nam si accidens inseparabile est, non potest abesse, & si separabile est, non semper adest. Secundo quia accidens inseparabile, videtur proprium, nam accidens ideo dicitur inseparabile, quia habet causam permanentem. At causa permanens est essentia, a qua dicitur emanare proprium. Ergo. Tertio, quia, quod coruus possit intelligi albus secundum primam operationem intellectus cōceditur quidem, sed idem, non negatur de proprio. Ergo conueniunt.

Vltimo arguitur contra tertiam diffinitionem .s. quod accidens neque est genus &c. Nam album, & coloratum sunt accidentia cōmunia, & sunt genera, prædicabilia &c. Ergo. Confirmatur, quia quale respectu hominis est quartum, & quintum prędicabile, nam omne accidens qualificat. Ergo accidens commune poterit esse proprium.

Ad primum autem horum dicitur, quod omne multiplex prius est diuidendum, antequam diffiniendū, si diffinitio non notificet, & simul includat diuisionem, vt accidit in hac diffinitione per ly adesse, & abesse. Vel secundo dicendum, quod omne multiplex est primo diuidendum, nisi quid obstet, sicut hic obstabat, cum esset notificandum, quomodo accidens sit separabile, & inseparabile, propterea, quia potest adesse, & abesse. *Argumēta soluuntur.*

Ad secundum dicendum, quod descriptio, vt est ista potest dari sub disiunctione. Vel secundo dicendum, quod disiunctio est duplex, quædam dubia, propter ignorātiam, v.g. dum dicitur hoc ens vel erit hoc ens, vel aliud ens. Secunda dicitur explicatiua rei, sed secundum diuersa tempora, vel conditiones rerum, quo iure Arist. secundo Phy. diffiniuit naturam, per esse principium motus, vel quietis, sicut, & hic facit Porphyrius accidēs, dicēdo, φ adest, vel abest.

Ad tertium dicendum, quod ly (quod) ponitur loco generis, quia facit sensum, quod quintum prædicabile est genus accidentale, quod potest affirmari, & negari de subiecto, sine eius corruptione.

Y 2 Ad

Ad quartum dicitur, quod ly adesse, & abesse aliter sumitur in diffinitione .i. secundum intellectum, & aliter in diuisione .i. secundum rem. Ad id autem, quod obijcitur, varij sunt modi respondendi. Nam Albertus habet, quod discriminentur, quia quãuis homo possit intelligi sine risibilitate, non tamen e conuerso, potest intelligi risibilitas sine rationalitate. At coruus potest intelligi sine nigredine, & nigredo sine coruo, cum nõ coniungantur secundum essentiam. Toletus vero videtur respondere, quod non repugnat verbi gratia coruo intelligi sub opposito nigredinis .i. sub albedine. At repugnat proprio intelligi sub eius opposito v.g. repugnat rationale non esse risibile, saltem aptitudinaliter, etiam in ordine ad diuinam potentiam, vnde repugnat, homini non esse aptum ad ridendum, non autem repugnat coruo vt animal est, quod aptitudinaliter sit niger, quia nigredo eius non fluit ex eius natura essentiali, sed ex principijs subiecti. Vnde de facto tradit Albertus, quod si nidus coruorũ esset in montibus frigidis, & ouum circumliniretur argento viuo, & humore viscoso frigido anseris, aut cati, corui albi nascerentur. Sed hæc responsio potest pati difficultates. Prima, quod repugnet secundum rem intelligere coruum sub eius opposito .s. sub albedine, & hoc in secunda operatione intellectus in qua albedo vel nigredo componit, vel diuidit cũ coruo. Secunda quia similiter possum intelligere hominem sub non risibili negatiue, & si non positiue. Ideo tertio respondet Dominus Caietanus, quod accidens proprium, & commune secundum intellectum sint separabilia a subiecto bifariam potest intelligi. Primo, secundum primam operationem intellectus, & sic est verũ, quia sicut possum intelligere hominem, vt simpliciter est rationalis sine albedine, ita eum possum intelligere sine risibilitate. Secundo, secundũ secundam operationem intellectus .i. secundum compositionem, & diuisionem, & in hoc stat differentia, quia non possum formare hanc propositionem negatiuam, veram de homine, Homo non est risibilis, & tamen possum formare hanc veram, coruus est albus. Sed hoc dupliciter (ait) potest intelligi. Primo præter subiecti corruptionem, & sic est verum, quia si risibilitas separetur ab homine, destruitur natura hominis apta ad ridendum, si vero nigredo separetur a coruo, natura corui non intelligitur destructa. Secundo absolute, & sic in vtroque potest parificari. Possumus, & nos addere, quod quamuis accidens commune, & proprium in inseparabilitate secundum intellectum conueniant, tamen in causa inseparabilitatis distinguuntur, quod causa in separabilitatis proprij est intrinseca .i. essentia, quæ constituit secundum modum dicendi per se, & inseparabilitas accidentis communis a principijs materialibus, & indiuiduãtibus nascitur, modo ea quæ conueniunt diffinito ab intrinseco inseparabilia sunt secundum intellectum diffiniẽtem, non sic, quæ indiuidualiter alicui conueniunt, cum principia materialia, & indiuidualia diffinitionem non ingrediantur. Secundum autẽ Arist. lib. de causis particularium ille nascitur niger, cuius semen in matrice decoquitur forti decoctione, ex qua resoluitur humidum clarum, & restat nigrum.

Ad quintum dicitur, quod homo dicitur risibilis aptitudinaliter, non autem semper actualiter, hæc autem aptitudo dupliciter sumi potest, Primo Physice, pro aptitudine reali, & rei existentis, Secundo pro aptitudine Logica, seu Physica, sed per tempore suo,

suo,& sic sumitur, qua aptitudine nō refert, quod Antichristus, sit vel non sit.

Ad sextum resp. Soto, quod mors est quidem accidens corporis, quia corpus semper manet sub aliqua forma, non est autem accidens hominis, sed eius corruptio substantialis. Sed hoc est contra S.D. tenentem, quod in corruptione corrūpitur etiam forma corporis prior, quia tunc fit resolutio, vsque ad materiam primam. Secundo ergo resp. Burleus, quod subiectum mortis est materia prima. hæc autem semper manet, homine mortuo, vel domo destructa. Sed ēt hoc falsum est, quia per hominem,& domum intelligimus compositum ex materia,& forma, hæc autem tunc destruuntur; Possumus ergo primo respondere cum Alberto, quod mors non est accidens, sed corruptio substantialis, quia est de esse simpliciter, ad non esse simpliciter secundū Arist. 5. Phys. & ideo distinguitur a mutationibus accidentalibus, quæ sunt de esse hoc, ad esse hoc, v.g. de albo ad nigrum. Secundo resp. Caietanus dupliciter. Primo ex quid nominis accidentis, nam accidens dicitur accidens, quia potest accidere,& conuenire subiecto, vnde cum eo nō habet repugnantiam, at mors est prædicatum repugnans subiecto viuo, & destructio subiecto ædificato, quapropter ista prædicata non dicuntur accidentia, sed repugnantia. Secundo resp. ex illa particula (præter subiecti corruptionem) nam duplex est subiectum. Primum dicitur remotum, i. materia prima, & de hoc non loquimur. Secundum vocatur proximum, & prædicationis, quia a tali subiecto res denominatur esse, vel non esse, v. g. corpus dicitur viuum, prout anima tum de ipso prædicatur, & domus dicitur domus, quatenus habet formam, eam domum denominantem, istæ autem prædicationes per corruptionem subiecti destruuntur. Notat autē Caietanus quod prædicationes & propositiones in triplici materia fiunt. Primo in necessaria, & in hac prædicatum, vel erit genus, vel species, vel differentia, vel proprium. Secundo in materia contingenti, & ita hoc prædicatum est accidens commune, Tertio in materia remota, & in hac prædicatum repugnat subiecto, vt mors homini, & combustio domui. Ergo ista prædicata dicenda sunt repugnantia, & non accidentalia. Sed quis potest instare, quod in materia remota affirmatiua semper est falsa, v.g. homo mortuus viuit, & negatiua sēper est vera, i. homo mortuus non viuit, sed in eiusmodi affirmatiua, & negatiua sunt veræ. s. homo est mortuus, & homo non est mortuus, quia affirmatiua verificatur pro tempore præsenti, & negatiua, pro tēpore præterito, in quo viuebat. Sed respondetur, quod in materia remota semper affirmatiua est falsa, & negatiua vera, si saluetur identitas subiecti secundum rem, & secundum eandem rationem, modo hic uariatur, quia vna verificatur pro præterito, & alia pro præsenti, & vna de materia, & alia de composito. Sed vlterius quis replicabit Porph. esse diminutum non tractando de hoc sexto prædicabili. s. de prædicato repugnāti. Sed dicimus primo Porph. voluisse solum agere de prædicatis veris, & positiuis, quæ vera enunciatione affirmari possunt. Secundo quod implicite de eo egit agendo de eius opposito, cum oppositorum eadem sit disciplina, Prædicata autem repugnantia opponuntur vel generi, vel speciei, vel differentiæ, vel proprio, Sed his omnibus obiectionib. possumus vno verbo occurrere dicendo, quod ly præter subiecti corruptionem non facit sensum formalem sed, causalem, vt sit sē

sus

ſus, quod cauſa corruptionis ſubiecti non eſt accidens commune, quia ſi ni gredo ſeparetur a coruo, non nigredo, ſed mors, ſeu defectus naturæ erit cauſa corruptionis. non ſic in accidente proprio, quod intime naturæ coniungitur, & ideo ſi ab ea ſepararetur deſtrueretur, vt fundat propoſitiones per ſe in primo, & ſecundo modo.

Ad ſeptimum iam diximus, quod per ſubiectum non intelligimus ſubiectum remotum .i. materiam primam, quæ terminatiue eſt incorruptibilis, ſed pro ſubiecto ſumimus cōpoſitum, cui tantum accidit forma accidentalis.

Ad octauum dicendum, quod accidens poteſt adeſſe, & abeſſe ſubiecto ſine eius corruptione, manente eodem eſſe accidentis, ac Humanitas in Chriſto fuit aſſumpta ad eſſe ſuppoſiti Diuini, vnde fuit vnio ſubſtantialis, vt docet S.D. 3.p.q.2.art.6.

Ad nonum dicitur, quod calor accidit aquæ, vt eius prædicatum repugnans, & ideo eam corrumpit ſucceſſiue.

Ad decimum dicēdum cum S. D. de ente & eſſentia in fine, & Caiet.q. 17. quod accidens commune dicitur quintum prædicabile in ordine ad individua. Album ergo v.g. bifariam cōſiderari poteſt. Primo vt dicitur de hoc, & illo albo, vt alba ſunt, & ſic de eis prædicatur per ſe, vt argumentū probat. Secundo vt dicitur de hoc, & illo albo, vt ſunt indiuidua talis naturæ.v.g. vt hoc album eſt Petrus, & aliud album Paulus, & ſic de eis prædicatur accidentaliter, quia accidit Petro, & Paulo, vt ſunt homines quod ſint albi. Ideo, vt indiuiduum ſpeciei ſub illo ponitur; & vt participat accidens ſub accidenti, accidentaliter collocatur.

Ad vndecimum dicitur, quod ly animal, & homo æquiualent ſingularibus propter ſuppoſitionem ſimplicem, quam illi termini ſupponūt.


Ad duodecimū Toletus, & Fonſeca 5.Metaph. cap.28.q.19.ſect.4. ſuſtinent, diffinitionis partes .ſ. adeſſe & abeſſe intelligendas eſſe ſecundum rem, & non ſecundum intellectum, Secundum rem autem diſtinguūtur. Nec obſtat (inquiunt) quod ſic accidens inſeparabile eſſet propria paſſio, quę nō poteſt ſeparari a ſubiecto, & ſic quintū prædicabile fieret quartum. Nam reſp. quod accidens inſeparabile bifariam conſiderari poteſt. Primo antequam inhęreat, & ſic dicitur ſeparabile. Secundo poſtquam inhęſit, & ſic fit inſeparabile, ideo in coruo, & ethiope duplicē nigredinē conſiderare poſſumus, primam remiſſam, quam habent a principio. Secundam intenſam, quam acquirūnt in tēpore, Prima eſt propria paſſio, nec de ea loquitur Porph. Secūda eſt accidens ſeparabile, non naturaliter ſed per diuinum potentiam, & forſitam etiam naturaliter. Sed hæc ſententia primo opugnat expreſſe contra Porph. dicentem in textu. Accidens commune inſeparabile poſſe adeſſe, & abeſſe ſecundum intellectum, non ſic propria paſſio. Secundo, quia falſum eſt, quod in etiope, & coruo ſint duę nigredines, vna enim eſt intenſior, & remiſſior, prout etiam aqua, poteſt fieri magis, & minus callida, nā intenſio eſt eiuſdem formę, & non diuerſæ formæ. Tertio, quia proprium conuenit omni, ſoli, & ſemper, nigredo vero non cōuenit ſoli ethiopi, & coruo, ſed pluribus alijs, & ethiops nō habet plures paſſiones, conſequentes eius formam ſpecificam, quam habeant alij homines, cum ſint eiuſdem ſpeciei, vnde diſtinctio ſolum erit in principijs indiuidantibus. Dicitur ergo ad argumentum, quod in diuiſione accidens ſumitur ſecundum eſſe, & ita duplex eſt .ſ. ſeparabile, & inſeparabile, & in

dif-

diffinitione sumitur secundum intellectum, in ordine ad quem, omne accidens commune est separabile, in ordine ad speciem, & si non in ordine ad indiuiduũ, & per hoc patet ad decimumtertiũ. Ad illud quod secundo obijcitur dicimus, quod habere causã per manentem stat dupliciter. Primo essentialem, seu essentiam, & talem habet proprium, ex quo non potest separari a natura, & completa diffinitione essentiali speciei. Secundo indiuidualem, & tale accidens potest separari ab essentia, & a diffinitione completa essentiali subiecti. Tertium vero superius fuit solutum.

Ad vltimum dicitur, quod illa sunt accidentia generum &c. & non genera &c. in ordine ad subiectum indiuiduum.

Finis Prædicabilium.



F. MICHAELIS ZANARDI
COMMENTARIA
ET
QVÆSTIONES
in Prædicamenta Arist.
De Ante Prædicamentis.

LECTIO PRIMA.

De Præcognoscendis ante Prædicamenta.

CONsuetum inquit Auerroes, & mos est omnium Philosophorũ, dum prouinciam exponendi, & commentandi aliquam facultatem aggrediuntur omnia illa prælibare, quæ ad faciliorem illius scientiæ intelligentiam faciunt. Ideo cum & nos hunc cum Dei ope, nec non etiam Deiparæ auxilio & omnium Sanctorum ac ceperimus laborem explicandi prædicamenta Arist. pro principio anni 1597. duo filioli dilectissimi vobis promitto in præsenti hac prima lectione. Primo octo quę solent fieri in primordio cuiuscumq; artis videbimus, & explicabimus in hoc opere. Secundo dubia breuia, nec limites Logicæ transcendentia adducemus, & soluemus.

Intensio scientia prædicabiliũ. Aduertendũ primo ergo, quod iter primas speculationes fiendas i aliqua arte respiciendũ est ad intentionem auctoris, nam intentio, & finis artis, & auctoris maxime addiuuat rei notitiam. Duos ergo fines possumus inspicere Natura est quidam finis generalis toti Logicæ deseruiens. Et quidam est specialis speciali parti Logicæ. Finis vniuersalis totiusque Logicæ est ordinare, & reddere operationes intellectus, rectas & promptas ad hoc vt possimus syllogizare, argumẽtari, & demonstrare, quæ demonstrã da sunt, nam Logica est ars recte argumentandi, & syllogizandi, versaturque circa Ens rationis, verum vel falsum. Finis vero particularis non vnus est, nam sicut tres sunt partes Logicæ, & tres operationes ĩtellectus, ita vna pars ordinatur ad regulandũ vnam operationem intellectus, & alia ad aliã. Operationes intellectus sunt istæ tres, simplex apprehensio, compositio, & diuisio, discursus, & ratiocinatio. Ad regulandum autem primam inuenta est ars prædicamentorum, prædicamenta enim sunt entia incomplexa, quæ simpliciter solum apprehenduntur. Iste ergo est finis huius operis, vt regulet primam operationem intellectus. Ad regulandam secundam .s. compositionem, & diuisionem inuenta est ars conficiendi propositiones &c. quæ omnia habentur in perihermenias Arist. & in primo tractatu Petri Hispani. Ad regulãdam vero tertiam, v. discursum & ratiocinationem inuenta est ars prio-

prioristica in qua de figuris & modis syllogismorum agitur. Patet ergo intentio generalis totius Logicæ, & specialis libri prædicamentorum.

Vtilitas eius. Aduertendū 2. quod vtilitas huius scientiæ (quod est secundum aduertendum) ad tria se extendit. Primo ad diffinitiones, quia diffinitiones constant ex generibus, & speciebus, vt sciamus quæ diffiniūtur, & quæ non. Secūdo ad diuisiones, nā omne prædicamentum cum sit generalissimū diuiditur, & ex hac diuisione multiplici peruenimus ad cognitionem artis diuisiuæ. Tertio ad artem demonstratiuam, vnde Aristot. quærens 3. Physicorum quid sit motus, prius diuidit prædicamenta, in substantiam & accidens, & hoc idem facit secundo de anima, volendo diffinire animam. Item est vtilis ad artem Logicalem respectu prædicationum. Itē ad scientiam naturalem, vt sciamus quæ sortiantur naturam substantiæ, & quæ accidētis. Item ad Methaph. cum prædicamenta sint prima rerum principia. Item ad Mathematicam, cum ex his habeamus, quantitatis naturam, & diuisionem in continuam & discretam.

Ordo. Tertium quod animaduertendum est, versatur circa ordinem, vnde dicimus, quod prædicamenta præcedūt omnes alias partes Logicæ, nam vt diximus prædicamenta regulant primam operationem intellectus, ideo merito præcedunt alias partes, quæ regulant secundam, & tertiam. Adde, quod cum incomplexum sit prius cōplexo, & hæc scientia sit de incōplexis, & ceteræ de complexis merito eas præcedit. Sed quæret quispiam, num hic ordo sit doctrinæ, vel naturæ. Qd non disciplinæ videtur, quia prius addiscimus, ꝓpositiones & enthimemata, & syllogismos, antequam traducamur ad cognitionem prædicamentorum. Si vero est ordo naturæ, quomodo potest regulare primam operationem intellectus? Cui occuro dicendo, quod sine dubio prædicamenta sunt priora ordine naturæ, cū sint principia aliorum, & entia realia, & vt iam tetigimus, quia nisi post scientiam primi & quarti tractatus Petri Hyspani, & post prædicabilia Porphyrij non addiscuntur. Vnde si procederemus ordine naturæ prius addisceremus hæc, quibus regulatur prima intellectus operatio, quæ est prima ordine naturæ. Sed quia procedimus a magis notis, & principaliter intentis ordine doctrinæ, cum propositiones & syllogismi magis intendātur, ideo quarto loco reponitur cognitio prædicamentorum. Itaque respectu nostri saluatur ordo doctrinæ.

Diuisio. Quartum est diuisio. Pro quo notandum, quod notitia prædicamentorum diuiditur in notitiam anteprædicamentorum, prædicamentorum, & post prædicamentorum. Anteprædicamenta tractant de quibusdā præambulis ad cognitionem prædicamētorum, nam de æquiuocis, vniuocis, & denominatiuis, de diuisionibus vocum, & regulis prædicamentorum agunt, ad hoc vt sciamus quomodo regulanda sint prædicamenta, & quę vere prædicantur, & quæ non. Prædicamenta vero agunt de decem primis generibus. Postprædicamenta, de quibusdam sequelis necessarijs ad perfectam notitiam prædicamentorum.

Proportio Quintum notandum est, quā proportionē habeat notitia prædicamētorū ad partes Logicæ. Vbi scito, ꝙ Prædicamenta possunt ad duo comparari. Primo ad totam Logicam, & sic prædicamenta se habent vt partes ad totum, nam de partibus incomplexis Logicæ hæc pars agit, tota vero Logica, & de complexis, & de incomplexis. Ad alias vero partes Logicæ, ad quas secundo potest comparari se

 habet

habet vt ianua, quia si volumus scire complexa procedendo ordine naturę necesse est, quod prius manuducamur ad horum cognitionem per incomplexa, quæ sunt prædicamenta.

Modus procedēdi

Sextum est notandum iter, seu via, & modus procedendi istius scientiæ, ad hoc vt sciamus qualis modus seruetur. Triplex est autem modus procedendi in aliqua scientia. Quidam est demonstratiuus, quomodo procedit Arist. in libris Posteriorum, demōstrando, & docendo, quæ sint necessaria ad demonstrationem. Alter est diuisiuus quo procedimus per diuisiones, & compositiones, sicut facimus in venando quod quid est .s. diffinitionē. Quidam vero est diffinitiuus, docens diffinire, & inducens ad cognitionem rei incomplexæ, & hic modus seruatur hic, nam hic solum, vel saltē principaliter diffiniuntur prædicamenta, & docentur eorum proprietates.

Nomen libri.

Septimū notandum est nomen libri. Pro quo sciendum venit, quod in textu Græco habetur Categoriæ Aristotelis, hoc autem quod græce sonat categoria, latine idē valet quod prædico, vel demonstro (Auctore Argiropolo) quod in idem redit, ac si diceremus prædicata & prædicationes. Apud Græcos autem dupliciter exponitur hoc verbum categoria. Primo pro simplici rei enūtiatione, vt dicendo Petrus est homo, hæc enim est simplex enūciatio, quia prima operatione intellectus hanc formo propositionem, Petrus est homo. Secundo sumitur pro coordinatione plurium prædicabilium secundum sub & supra, & vt demonstratum est in arbore Porphyriana, & hoc magis vsitate dicitur prædicamentum seu categoria. Est ergo liber de decem categorijs, seu de decem prædicamētis, vel de decem coordinationibus rerum. Et hæc interpretatio, magis quadrat q̃ illa Porphyrii .s. quod categoria, idem sonat quod accusatio, hęc .n. est metaphorica locutio, prout accusationes multorū erant cōtra vnū, & coordinatio prædicabilium in vno prædicamentorum.

Nomen Auctoris.

Octauum notandum est, quod Auctor huius libri, secundum veram, & communem virorum approbatorum sententiam fuit Arist. Stagirita, ex vrbe sic in Macedonia vocata, qui fuit filius cuiusdam Nicomachi Medici, auditor Platonis. Magister Alexandri Magni, &c. Iamblicus tamen facit authorem Architam Tarentinum. Vincentius Iustinianus, autumat fuisse Platonē, sed omnes errāt, quia Arist. se remittit multoties ad ea, quæ dixit in prædicamentis.

Quoad secundum principale omittam hic exacte disputare difficiles multas quæstiones. Num subiectum huius artis sint res, vel voces, vel conceptus, vel ens proponibile, vel ordinabile. Et vtrum hæc scientia spectet magis ad Methaph. quam ad Logicum. Ideo solum hic tria dubia leuiter tangam. Primum est, quomodo hæc scientia regulet primam operationem intellectus, cum tamen regula sit necessaria ne erremus circa veritatem, vel falsitatē rei. Modo in prima operatione intellectus, nec veritas, nec falsitas cadunt, cum in illa operatione intellectus neque componatur, neque diuidatur, affirmetur, vel negetur.

Secundum est. Cum hæc scientia videatur de rebus, i. de decem primis rerum principijs, de quibus etiam Arist. 5. Methaph. agit, quomodo hic in Logicis de his agimus.

Tertium est, quod nam subiectum huius facultatis habeatur.

Ad primum dico, quod in prima operatione intellectus, cadere veritatem, vel falsitatem stat dupliciter, Primo per se, & hoc falsum est, vt ra-

tio

tio adducta probat, nam intellectus in sua prima operatione rem simpliciter apprehendit. Secundo per accidens, vt admisceatur ei aliquando compositio, & diuisio, sicut sæpius contigit, & sic est verum, ideo de ijs danda erat regula. Vel secundo possum respondere, quod regula sit necessaria bifariam contingit. Primo ex parte intellectus simpliciter rem apprehendentis, & hoc falsum est, cum nihil aliud sic habeat, nisi intelligere. Vel secundo ex parte rei intelligendæ, ad hoc vt distincte, & per se cognosci possit, & hoc modo erat ei necessaria regula, quia cum hæc decem genera prima essent in vniuersum confusa taliter, quod intellectus non posset se determinare ad vnum prædicamentum, nisi quodammodo determinaretur, ex parte obiecti erat necessaria hæc regula, & hæc ars. Vel tertio dicas, quod in prædicamentis duo sunt, & simplex prædicamentum, & proprietates & diuisiones, & inductiones. In prædicamentis etsi non videatur necessaria respectu primi, erat tamē necessaria respectu secundi, quia proprietates &c. non simplici actu rationis intelliguntur, sed deducendo, & componendo. & etiam diuidendo.

Ad secundum breuiter respondendo reduco rei veritatem ad quatuor distinctiones. Prima est, quod duplex est ens rationis. Primum dicitur purum ens rationis, idest fabricatum ab intellectu, vt dictiones subiecti, & prædicati. Secundum est illud quod habet fundamētum in re. Primo modo absque dubio dicendum est, quod prædicamenta non sunt entia rationis, cum sint res reales, & existētes in rebus.

Secūda distinctio est, quod res, seu ens reale dupliciter considerari potest. Primo in ordine ad passiones reales, puta in ordine ad esse, ad motum, ad existentiam, ad tempus, & similia Secundo in ordine ad intellectum, vt habet rationē prædicationis, & subijcibilitatis. Primo modo consideratur a Metaphysico. Secundo modo a Logico, vnde sub diuersis rationibus potest ab illo, & illo considerari.

Tertia distinctio faciens ad maiorem claritatē est, quod passiones reales prædicamentorum in ordine ad existentiam considerari in Logica, potest duobus modis intelligi. Primo quidem considerentur sed non principaliter, sed potius ad perfectam notitiam, & hoc modo non facit quod prædicamenta sint considerationes Methaphysici, vel artificis realis. Secundo principaliter, & hoc quidem falsum est, vnde non est inconueniēs quod Arist. in Prædicamentis agat de eorum realibus rationibus, passionibus, & proprietatibus, sed secūdario. Esset autē inconueniens si de eis ageret primario.

Vel dicas quarto, quod quoad aliqua Logica accipit a Metaphysica, sicut Methaphysica a Logica, & hoc propter mutuam scientialem connexionem, nec tamē ex hoc deducitur, quod talis scientia sit directe realis, vel rationis, quia semper inspiciendū est ad primariam intentionem, & nō ad secundariam, quæ est quasi extrinseca, & per accidens, & per hęc patet ad argumentum.

Ad tertium respondeo, quod duplex est subiectum. Quoddam materiale, s. res considerata in scientia, alterum est formale, idest ratio sub qua res considerantur in scientia. Modo dico, quod subiectum materiale est ens proponibile primæ operationi intellectus, quia vt sic est res, quæ prima operatione intellectus intelligenda venit. Subiectum vero formale est ens ordinabile secundum sub, & supra, quia sic ens sub tali ratione consideratur a Logico. Prædicamentum vero, voces, & res sunt potius subie-

cta inadæquata, & materialia, quam subiectum adæquatum, & formale.

LECTIO II.

Aequiuoca dicuntur, quorum solum nomen commune est, secundum nomen uero substantiæ ratio diuersa: ut animal, & homo, & quod pingitur; & horum enim solum nomen commune est, secundum nomen vero substantiæ ratio diuersa. Siquis enim assignet quid sit utrumque eorum quo animal est, propriam assignabit utriusque rationem.

PRimo loco Arist. in antepraedicamentis de Aequiuocis pertractat, & ideo & nos in explicationem ipsorum primo quibusdam annotationibus naturam æquiuocorum dilucidabimus, & secundo loco, adducemus dubia, & dissoluemus.

Antepraedicamēta conferūt ad cognitionē praedicamentorum. Quoad primum, primo notandū est vt superius meminimus, quod antepraedicamenta traduntur ad perfectam prædicamentorum notitiam capessendam, & ideo notare debemus qualiter antepraedicamenta conferāt ad cognitionem prædicamentorum, & qualiter prædicabilia. Prædicabilia ergo conferunt ad cognitionem prædicamentorum primo, & immediate, quia prædicamentum immediate constituitur ex pluribus prædicabilibus ordinatis secundum sub, & supra, sed antepraedicamenta auxiliātur cognitioni prædicamentorum in hoc, quod supposita notitia prædicabilium, mediate faciunt, & generant perfectam notitiam prædicamentorum.

Quomodo Secundo ergo notandum est, quomodo antepraedicamenta conferant ad cognitionem prædicamentorum. Sciendum est ergo, quod prædicamēta ad tria possunt comparari. Primo ad superius .s. ad ens. Secundo ad inferiora, i. ad suas species, & passiones. Tertio adinuicem, comparādo nouē genera accidentium ad substantiam. Si primo modo considerētur, sic erit necessaria cognitio æquiuocorum, nā omnia prædicamenta comparantur ad ens, sicut ad æquiuocum. Intellige tamen pro nunc, quod loquimur de æquiuoco a consilio. Si secundo modo sumantur, sic cōparantur ad suas species, & passiones vt vniuoca ad vniuocata, quia omne generalissimū Logice prædicatur vniuoce de suis speciebus, & ideo erat necessaria cognitio vniuocorum. Si vero considerentur tertio modo, sic accidentia ad substantiam comparantur tanquam ad id a quo denominantur entia. Nā accidens (teste Arist. 7. diuinorum) est entis, idest substantiæ, & sic fuit necessaria cognitio denominatiuorum.

Aequiuocū æquiuocās & æquiuocatum. Tertio accedendo ad explicationem singularum particularum positarum in diffinitione æquiuocorum annotandum est circa primum terminum, idest (ly ęquiuoca) quod duplex est æquiuocum. Primum dicitur ęquiuocum æquiuocans, & est nomen pluribus commune, sed ęquiuoce, vt hoc nomen canis, quod æquiuoce dicitur de cane cælesti, terrestri, & marino. Quoddam vero vocatur æquiuocū æquiuocatum, idest res æquiuocata, vt natura canis marini, idest talis piscis sic nuncupati, est æquiuocum æquiuocatum ad naturam canis terrestris, & syderis cælestis. Hic diffiniuntur æquiuoca æquiuocata, & nō æquiuocantia. Dixit autē in plurali æquiuoca, & non in singulari æquiuocū, ad hoc vt intelligamus, quod æquiuoca æquiuocata saltem debent esse duæ res, cum vna res non possit parere æquiuocationem, quia vna res non diuersificatur secundum plures substantias, sicut diuersificantur æquiuoca.

uoca. Aequiuoca autē in specie prius diuiduntur antequam definiantur, sed in genere fit e conuerso,& ita sic definiuntur sub communi nomine.

Dicūtur. Quarto notandem, quod dixit (æquiuoca dicuntur,& non dixit sunt, quia quamuis hic consideremus æquiuoca æquiuocata inquantum res sūt, non tamen ea speculamur absolute vt res reales sunt, sed inquantum stāt sub prædicari, & subijci, nam considerare de eis vt res sunt spectat ad naturalē, vel ad alium artificem realem, considerare vero de eis in ratione prædicandi spectat ad Logicum. Cum igitur hic considerentur quoad prædicari, nō quoad esse, merito Philosophus dixit dicunt,& nō dixit sunt Et etiam quia res secundum se inspectæ vnius naturæ tantum sunt, vnde æquiuoca fiunt vt nominantur,& dicuntur.

Habent nomen cō mune. Quinto animaduertendum est circa (ly quorū nomē cōe est) quod dupliciter nomen sumi potest. Primo vt apud Grammaticos distinguitur contra verbum, prout significat substantiam cūqualitate coniunctā, vnde apud Grāmaticos hō est nomē,& amo est verbum,& sic non sumitur hic, nā ridere est verbum, & tamen est æquiuocum, cum æquiuoce dicatur de homine ridente, qui proprie ridet,& de prato florēte, quod methaphorice dicitur ridere. Secundo potest sumi generaliter pro uoce significatiua, ad placitum primi instituentis, vt est nomen mentis, seu conceptio,& sic sumitur hic, & dicitur de nominibus, verbis,& participijs, si cōtingat quod ratio eorum significata, sit secundum substantiam diuersa.

Quo ad vocem. Sexto annotandum, quod habere nomen commune bifariam stare potest. Primo secundum rem, & secundum substantiam realiter,& hæc vocantur multiuoca, seu synonima græce, idest idem omnino secundum rem significantia, & de his pro nunc non est sermo. Secundo secundum nomē sumptum quo ad vocem,& non quo ad rem, vel significatum,& sic Homonyma seu, æquiuoca habent nomen commune, sed non significatum, nec rationem substantiæ. Illa autem quæ nec nomen, nec definitionem habent communem appellantur diuersiuoca, vt lapis, & cælum, seu quod in idē reddit vocantur poryonyma.

Septimo notandum circa (ly solum) quod ad duo inferenda poni potest. Primo ad excludendum omnia alia ab æquiuocatis præter nomen, vt sit sensus, æquiuoca æquiuocata solum habent nomen commune, & nihil aliud,& iste sensus falsus est, nam æquiuoca possunt conuenire in multis alijs, puta in aliquo superiori sua vltima differentia, sicut piscis marinus dictus canis, & animal terrestre canis vocatus conueniunt in substantia animata, cum ambo sint substantiæ animatæ. Secūdo ly solum, potest poni ad significandam propriam differentiam in diffinitione, & hic sensus verus est,& intentus, vnde vult inferre Arist. quod æquiuoca habent nomen commune, sed diffinitionem desumptam ex propria differentia diuersam. *Solum.*

Octauo annotandum circa (ly ratio) quod ratio quadrupliciter sumitur (Auctore Boetio) Primo ꝑ ratione ratiocinãte .i. pro nostro intellectu discurrente. Secundo pro ratione computatiua, seu computationis apud Iconomos morales,& ciuiles, Secundum quod communiter dicimus hic reddit rationem suæ administrationis. Tertio sumitur pro similitudine reperta inter producens,& productū, generans,& genitum. Quarto sumitur ꝑ ratione diffinitiua, seu pro conceptu rem significante, vt sit sensus. Aequiuoca habent nomen commune, sed diffinitionem, vel descriptionem, *Ratio quā tuor modis sumitur.*

nem, vel conceptum diuersum. Nam non omnia æquiuocata habent diffinitionem, sed quædam diffinitionẽ, quædam descriptionem, & quædam conceptum diffinitiuum, seu significatiuum, & sic ratio sumpta est in proposito.

Substãtia dupliciter sumitur. Nono. Animaduersione dignum est hic terminus (substantiæ) positus in deffinitione. Nam substantia dupliciter sumitur. Primo inquantum est quoddam prædicamentum contradistinctum ab alijs prædicamentis accidentium, per hoc quod per se stat, & accidentia sustentat, & hoc modo non sumitur hic, quia etiam in alijs generibus accidentium possunt esse æquiuocationes, & non solum in genere substantię. Secundo sumitur pro essentia cuiuscunque rei, secundum quod etiam dicimus essentiam ad aliquid, esse ad aliud se habere, &c. & hæc substantia hoc solum requirit, quod ad interrogationem factam per quid, respondeamus per propriam rationem rei, significantem eius essentiam, v.g. Si interrogemur quid est qualitas, respondebimus, qualitas est secundum quam quales dicimur, & hoc secundo modo necesse est quod in æquiuocatis ratio substantiæ sit diuersa, ita vt ad interrogationem factam de vno æquiuocato per quid, respondeamus per diuersum quid ab alio æquiuocato.

Aequuoca habet substantiam diuersam. Decimo. Notandum est circa (ly diuersa) quod aliqua sint diuersa dupliciter stat Primo totaliter, ita vt ratio substantiæ in vno reperta omnino sit diuersa ab alio, & hoc in proposito est falsum. Secundo vt intelligatur sic, idest simpliciter, vel secundum quid diuersa, prout conuenit naturis æquiuocorum, & hoc verum est, nam in puris æquiuocis ratio substantiæ vltima est diuersa totaliter, & simpliciter, sed in analogis quæ sub æquiuocis aliquo modo continentur, cum vocentur æquiuoca a consilio, ratio substantiæ non est omnino diuersa vt videbimus.

Aequocorum conditiones. Vndecimo pro vltimo complemẽto æquiuocorum notandæ sunt conditiones necessario requisitæ ad hoc vt aliqua dicantur æquiuoca. Prima ergo cõditio est, quod æquiuoca ęquiuocata secundum se considerata habeant nomen vniuocum, vnde sicut leo est nomen vniuocum ad omnes leones, ita & nomen canis terrestris est nomen vniuocum ad omnes terrestres canes, hinc est, quod quæ secundum se non habent nomen vniuocũ, potius vocantur multiuoca, quam æquiuoca. Secunda est, quod singula æquiuocata habeant proprias diffinitiones, & non possint vnica diffinitione diffiniri, aliter ratio substantiæ non esset diuersa. Tertia est, quod secundum nomen æquiuocum tantum ratio substantiæ sit diuersa, sed prout æquiuocata conueniunt in superiori sua vltima differentia v.g. canis terrestris, & marinus, in substantia animata sensibili, potius dicantur vniuoca, quia vna est ratio substantiæ animatæ sẽsibilis reperta in illis. Quarta cõditio est, quod ad hoc vt terminus sit æquiuocus necessarium est vt sit idem in multis, & quo ad ortographiam, & accentum, nam amo vt est verbum non est æquiuocum ad hamum, quia hamus quo piscantur pisces cum aspiratione scribitur, & amo verbum, absque.

Dubia.

QVoad secundum principale. Primum dubium emergens contra diffinitionem æquiuocorum est, quod non habeant nomen commune. Nam nomen non solum est vox, sed vox significatiua, sed æquiuoca non habent eandem vocem significatiuam, cum non habeant idem signi-

ficatum, vt patet. Ergo male dicitur in eorum diffinitione, quod æquiuoca habent nomen commune.

Secundo. Arist. exemplificando de æquiuocis dat exemplum de animali viuo, & picto. Sed animal respectu picti & viui dicitur analogice, & non æquiuoce.

Tertium. Aequiuoca sunt plura, & plures habent diffinitiones. Ergo non erunt diffinienda vna diffinitione.

Quartum. Hoc nomen Petrus dicitur de pluribus hoc nomine appellatis, & tamen horum ratio, idest diffinitio non est diuersa, cum indiuidua non habeant formales differentias quibus diffiniantur.

Quintum. Iuxta genera latent æquiuocationes (secundum Arist. 7. Physicorum) v.g. etiam in genere animalis, vt patet de marino, & terrestre. Sed animal dicitur secundum idem nomen, & eandem rationem de omnibus animalibus. Ergo æquiuoca nō habent rationem .i. definitionem omnino diuersam.

Sextum. Analoga non habent rationes omnino diuersas, vt ęquiuoca, nec omnino easdem vt vniuoca. Ergo de illis facienda erat specialis mentio.

Septimum. Prædicamenta conueniunt in ente æquiuoce, quia si quis omnia prædicamenta entia vocet, æquiuoce nūcupabit (teste Porphyrio) & tamen ens quidditatiue de omnibus illis prædicatur.

Ad primum breuiter dicitur omissis friuolis, quod nomē sit vox significatiua stat dupliciter. Primo vt sit vox significatiua rationis substantiæ, vel significatiua substantiæ, & hoc est falsum, vnde merito distinguitur cōtra significatum rationis. Secundo vt dicatur significatiua nominis ad placitum, quo nomine vtimur ad diuersas naturas significandas, & hoc est verum. Nomen ergo est vox significatiua, sed ab extrinseco, s. ex placito humano, sed diffinitio est significatiua rationis, & essentiæ rei intrinsecę, vnde distinguuntur.

Ad secundū dicēdū, quod animal prędicatur analogice, quod analogū vocatur æquiuocum a consilio, nam duplex est ęquiuocum. Primum dicitur a casu, in quo nulla attenditur similitudo secundum rem, sed tantū conuenientia in nomine. Secundum dicitur a cōsilio, quod non solum importat nomen commune, verum etiā aliq̄ proportionē, & hęc analoga dicuntur ęquiuoca a consilio. Hæc autē dupliciter cōsiderari possunt. Primo secundum quod diffiniuntur, vt res sunt, & sic non habent nisi nomen cōmune. Secundo vt diffiniuntur vt similes, vel vt habentes proportionem adinuicem, & sic possunt dici analoga. Greci autem tenent hic esse difinitum ęquiuocū a consilio, & Aueroes a casu, sed nos dicere possumus vtrūque esse definitum accomode. i. suo modo.

Ad tertium dicendum, quod ęquiuocata bifariam considerari possūt. Primo vt sunt æquiuocata talis naturæ, & sic habent plures diffinitiones. Secundo vt sunt æquiuoca in vno nomine, & sic vnica diffinitione hic diffiniuntur.

Ad quartum dicitur, quod nomen Petri vniuoce prędicat', sed Logice, de omnibus habentibus tale nomen.

Ad quintum dicendum pro nunc superficialiter, quia hanc rē exactius examinaui in quarto Methaphisicę, quod genera possunt dupliciter cōsiderari. Primo secundum prędicationem, & sic quę vnam important diffinitionem dicuntur vniuoca, & quę diuersas, ęquiuoca. Secūdo Physice, i. secundum esse, & sic quę habent vnam naturam, sed nobiliori, & ignobiliori modo participatam dicuntur ęquiuoca, quia esse non est in ambobus

bus code m modo, vnde ea quæ vocantur vniuoca apud Logicum, apud Physicum vocantur æquiuoca, quia Logicus prædicationes, & Physicus esse contemplantur, nos autem hic Logice loquimur, & Physicus in septimo Physicorum locutus est Physice.

Ad sextum dicimus, quod Phylos. implicite mentionem fecit de analogo, quia analogum est medium inter vniuocum, & æquiuocum, & dicitur æquiuocum a consilio

Ad septimum dicimus, quod ens dicitur æquiuocum a consilio, idest analogum. Quomodo autem videbis quarto Methaphisicæ, ne simus coacti terminos nouitiorum exire.

LECTIO III.

VNiuoca dicuntur, quorum nomen commune est, & secundum nomen eadem ratio substantiæ, vt animal homo, atque bos: communi enim nomine vtraque animalia nuncupantur, & est substantiæ ratio eadem. Siquis enim assignet vtriusque rationem quid vtrunque sit quo animal est, eandem assignabit rationem.

POst diffinitionem æquiuocorum, diffinit Arist. vniuoca. Circa quorum explicationem duo agemus. Primo enim ordinarijs dilucidationibus rem aperiemus. Secundo adducemus dubia duo, emergentia circa hãc diffinitionem, & soluemus.

Quo ad primum, primo notandũ est, quod prius de æquiuocis antequã de vniuocis egit Arist. propter tres rationes. Primo, quia cum anteprędicamenta hic ordinentur ad cognitionem prędicamentorum secundum ordinem ipsorum erant consideranda, & quia prius prędicamenta respiciunt ens in quo conueniunt tanquã in quodam æquiuoco a consilio, quã respiciant species, prout vniuoca sũt, ideo prius de æquiuocis, antequam de vniuocis egit. Secundo, quia a communioribus, & imperfectioribus incipiendum est via doctrinæ, vt ex nobis notioribus manuducamur ad cognitionem difficiliorum, & quia ęquiuoca sunt communiora, & faciliora vt pote solum nomen commune habentia, quam vniuoca, quæ etiam habent substantiam eandem, ideo prius de æquiuocis antequam de vniuocis pertractauit. Tertia ratio est, quia æquiuoca erant potius ab arte relinquenda quam sequenda, ideo voluit Auctor prius elidere mala, vt securius sequeretur bona. *Ordo.*

Secundo notandum est, quomodo differant æquiuocum, & vniuocum, vt rei naturam melius percipiamus. Omissis autem conditionibus positis in diffinitione, quibus maxime differunt, breuiter complectemur eorum differentias Prima ergo est, quia æquiuoca immediate significant plures res, nam canis immediate significat naturam canis cælestis, terrestris, & marini, quæ sunt plures res. Vniuoca vero significant vnam rem tantum immediate, v.g. animal, quod de homine, & leone vniuoce pdicatur, nã immediate vnã nãm animalis significat. Secũda differẽtia est, qa ęquiuoca habent plura significata formalia, nã canis (vt sistamus in hoc exemplo) formaliter plura significat, vniuocum vero habet vnum tantum significatum formale, vnde æquiuocans vocatur, quasi plura æqualiter vocans, loquendo de æquiuoco a casu. Tertia differentia est, quia ratio æquiuocorũ vel est omnino diuersa, vel saltem magnam sortitur inæqualitatem. At ratio vniuocorum est omnino eadem. *Aequiuoca & vniuoca differunt.*

Ter-

Vniuoci diffinitio explicatur. Tertio notandum est, quod vt supra dicebamus de æquiuocis, ita de vniuocis hoc idē affirmamus, s. quod duplex est vniuocum. Quoddam vniuocans, i. nomen, puta animal, & quoddam vniuocatum puta homo, vel leo sub animali, hic loquimur de vniuocis vniuocatis, vnde & in plurali diffinitum est. Dixit autem dicuntur, & non sunt, quia vniuoca hic cōsiderantur non vt res sunt, sed vt prædicantur: Ly nomen non sumitur vt distinguitur contra verbum, sed vt idem sonat quod mentis notamen, seu mentis conceptum. Cæteræ vero particulæ intelligūtur vt superius explicuimus, præter ea quæ dicturi iam iam sumus.

Vniuocū Logicum, & Physicum. Quarto notandum est, quod duplex est vniuocum. Quoddam Logicum, quod quidem prædicatur de vniuocatis secundum eandem rationem substantiæ, vnde sic corpus inquantum dicit trinam dimensionem vniuoce prædicatur & de corporibus cælestibus, & terrestribus, quoniam Logicus solum considerat communem rationem prædicationis. Aliud vero vocatur vniuocum Physicum, quod non solum prædicatur secundū vnam communem rationem de vniuocatis, verum etiam, secundum eandem rationem, æqualiter participatā, & sic corpus Physice non est vniuocū ad corpus cæleste, & terrestre, quia ista corpora sunt diuersorum esse, & fundamentum est, quia Physicus non solum considerat essentiam prædicati, verum etiam gradum participandi eam, secundum quod vna res nō est in eodem gradu nobilitatis cum alia, sub eadem ratione communi. Ideo Physice sola species vltima est vniuocum, quia dicit tantum vnā naturam.

Vniuocata habent vnam rationem. Quinto notandum venit circa (ly secundum illud nomen) non esse necessarium, quod omnia vniuoca quo ad omnia sua participent naturam superioris vniuoci, sed solum sufficit, quod illam participent secundum illud nomen, secundum quod dicitur vniuocum. Nam leo, & homo vniuocata sub genere animalis, non est necesse ad hoc vt dicātur vniuoca, quod in omnibus conueniant, nam profecto maxime in multis differunt, & præcipue in vltima differentia, cum homo sit rationalis, & leo irrationalis, & ideo sufficit quod conueniant in nomine communi secundum eandem rationem, ita vt sicut homo dicitur animal, quia habet naturam sensitiuam, ita & leo dicatur animal, quia eandem naturam sensitiuam includit.

Non diuersam. Sexto animaduertendum est circa (ly diuersa) quod non eodem modo hæc diuersitas saluatur in æquiuocis, & in vniuocis, nam in æquiuocis (prout dicebamus) sufficiebat diuersitas vel simpliciter, vel secūdum quid, prout erant æquiuoca a casu, vel a cōsilio, in vniuocis vero necessarium est vt omnino, & simpliciter non absolute quidem, sed prout participant nomen superius ratio substantiæ sit eadem, & nullo modo diuersa, & hoc accidit propter duas rationes. Prima est, quia identitas simpliciter in natura communi vniuocorum debet reperiri, Sed in ęquiuocis sufficit solum communitas nominis. Secunda ratio est, quod malum ex defectu vnius dicitur malum, sed bonum resultat ex integra causa, & quia æquiuoca collocantur in ordine malorum, ideo sufficiebat quod ratio eorum esset diuersa, si non simpliciter, saltem secundū quid, at quia vniuoca se habent in ordine bonorū, ideo oportet quod omnino, & perfecte habeant eandem rationem.

Vniuocorum cōditiones. Septimo loco annotandæ veniunt conditiones vniuocorum, quæ mihi istæ videntur. Prima quod illud nomen commune vniuocatis sit nomen

Vniuocorum cõditiones. generis, vel speciei, quia vniuoca habent participare naturam vniuoci secundum eandem rationem, non omnimodam, sed genericam, vel specificam. Secunda est, quod illud nomen sit commune cum vnitate rei, & non vocis tantum, sicut est commune nomen æquiuocis Tertia est, quod vniuoca ta conueniant in nomine, & ratione substantiæ, & non in aliqua ratione extranea. Quarta, quod etiam illa ratio Logice considerata æqualiter participetur ab vniuocatis, & hoc ad differentiam analogorum, quæ illam rationem participant secundum prius, & posterius. Quinta, quod ratio vniuoci sit præcisa ab vniuocatis, & hoc ad differentiam analogorum, quæ non habent vnum conceptum præcisum (perfectum quidem) sicut vniuoca in ordine ad sua inferiora.

Dubia.

QVoad secundum, primum dubiũ est. Quomodo aliquod nomen possit dici commune. Nam commune, & vniuersale idem esse videntur. At nullum nomen in multis esse potest, quod tamen est de ratione vniuersalis. Ergo. Probatur minor, quia nomen non est ens existens in rebus, ergo male dicitur, quod vniuoca habent nomen commune.

Secundum est. Quid nam sit habere eandem rationem, vel diuersam, non enim in explicatione omnes idẽ sentiunt.

Ad primum respondent Ammonius, Boetius, & plures alij, quod multiplex est commune. Primum quod in partes diuiditur, & non manet totum commune, sed in diuersas partes secernitur, sicut domus, vel palatium dicitur commune habitaculum Secundo dicitur commune secundũ vsum, quia vicissim transit in multorum vsum, sicut equus qui successiue a diuersis premitur equitando. Tertio modo dicitur aliquid commune, & fit proprium, vt theatrum, dum ibi sunt homines, dicitur illis fieri proprium, & tamen est commune, quia ibi multi conueniunt. Quarto modo dr̃ cõe, quod totum in eodem tempore ad singulos venit, sicut vox dicitur communis, quia simul a pluribus auditur, & hoc pacto dicunt vniuoca habere nomen commune. Sed quidem, si isti intelligunt pro nomine solam vocem errant, quia non solum vox, verum etiam significatum nominis commune est, nam animalis significatum, & non sola vox animalis cõmune est homini, & leoni. Vnde melius dixit Toletus, quod hic intelligitur commune pro communi secundum significatum nominis. Sed tu dic pro formali solutione argumenti, quod commune pro nunc duplex est. Quoddam communitate rei, dicens naturam vniuersalem, & communem, in pluribus reperibilem, & hoc commune reperitur in rebus. Aliud dicitur commune secundum placitum primi instituentis, quod formaliter importat significatum nominis esse in pluribus reperibile, quamuis etiam fundamentaliter dicat aliquam conuenientiam rei, & hoc commune non habet quod sit in rebus, sed in intellectu. Vel dicas quod illud nomen supponit, s. naturam vniuocam esse rẽ in pluribus repertam, & si significatum realiter non reperiatur in rebus, quia significat conceptum mentis vniuoci.

Ad secundum respondet Caietanus, quod verba Arist. dupliciter possunt interpretari, s. quod ratio substantiæ sit eadem secundum rem, & secundum rationem in vniuocatis. Primo loquendo de substantia vniuocatorum vt in se sunt, quia s. est illis intrinseca, & essentialis, & nõ extrinseca, vel accidentalis, & hoc modo so-

do solum substantia potest prædicari vniuoce, Secundo modo vt vniuocata participant rationem, vel conueniunt in ratione superioris, siue illud tale sit accidens, siue substantia; siue intrinsecum, siue extrinsecum, & sic extendit naturam vniuocorum ad omnia prædicamenta. Tunc subinfert primum sensum esse dignum intentione Arist. sed secundum tamen esse intentum. Hoc idem docent Albertus, & Auicena. At Toletus carpit Caietanum in hoc, quod talis sensus non potest dici Arist. dignus, cum nihil magis hoc sensu sit ab eo alienū, nam Arist. sustinet, quod illud quod solum intrinsece prædicatur sit vniuocum.

Pro solutione ergo huius quæstionis. Primo adducam rationes in quibus fundantur Caietanus, & Toletus. Secundo adducam aliqua fundamenta. Tertio respondebo obiectis.

Prima ergo ratio Toleti est. Nullum accidens secundum rem, & rationē prædicatur de substātia (Arist. Auctore cap. de substantia) Ergo nec vniuoce. Probo consequētiam. Quia vniuoca prædicantur nomine, & ratione.

Secunda. Quia hoc voluit esse proprium substantiarum secundarum. s. prædicari vniuoce de prima substantia. Ergo voluit hoc negare prædicamentis accidentium.

Tertio. Quia communiter non solemus dicere vniuoca esse nisi essentialiter ordinata.

Quoad secundum dico, quod Toletus voluit intelligere verba Caietani, cum expresse ipse affirmet primum sensum esse intentum ab Arist. & rationes, quas ipse contra Caietanum fecit, ipsemet pro hoc sensu secundum mentem Arist. adduxit. Verum est tamen, quod dixit, secundum sensum esse dignum intentione Aristotelis, sed primum esse intentum, quæ verba, maximam inducunt differentiam, sicut magna est differentia inter sensum dignum, & intentum. Voluit enim inferre Caietanus, quod quia hæc diffinitio erat vniuersalis & communiter conueniebat omnibus vniuocis, ideo communiter sumpta poterat extendi etiam ad 2m sensū. Secundo tamen ego pono talem distinctionem, quod vniuocata accidentalia, puta homo albus, vel leo albus, ad duo possunt comparari. Primo ad animal, seu ad secundam substantiā, inquantum considerantur vt substantiæ, talibus accidentibus subiectæ. Secundo vt comparantur ad accidens, quod participant, præscindendo ab hoc quod sint substantiæ. Si primo modo consideremus substantiam, & accidentia, verum dixerunt Caietanus, & Toletus, quod accidens proprie, & vniuoce non prædicatur de substantia, sed secundo modo est falsum, quia sic non amplius considerat substantiam vt in genere est substantiæ, sed vt est in genere talis accidentis, modo omne prædicamentum Logicæ prædicatur proprie, & vniuoce de illis quæ sunt sub illo. Immo manifestissimum est, quod album prædicatur de Petro, & Francisco vt duo alba sunt secundum rem, & rationē, quia nomine albedinis, & natura albedinis fruuntur.

Quoad tertium ergo respondeo ad primum rationem Toleti, quod Arist. considerauit accidentia in ordine ad substantiam, & non in ordine ad ea quæ ponuntur in eodem prædicamento, inquantum substantiæ non in ratione substantiæ, sed in ratione alicuius accidentis illi inhærentis collocatur in eodem prædicamento.

Ad secundum dico, quod est proprium secundis substantijs prædicari vniuoce de primis substantijs, sed & hoc proprium est alijs prædicamentis de suis proprijs subiectis prædi-

cari vniuoce.

Ad tertium dico, quod verum est sumendo ly. essentialiter vt dicit essentiam, & non vt dicit substantiam.

LECTIO IV.

Denominatiua vero dicuntur, quæcunque ab aliquo solo differentia casu secundum nomen habent appellationem, vt a grammatica grammaticus, & a fortitudine fortis.

POstquam Aristotel. egit de æquiuocis, & vniuocis, nunc intendit agere de denominatiuis ipsa diffiniendo. Circa quam diffinitionem in præsenti actu duo agemus. Primo de more rem quibusdam annotationibus dilucidabimus. Secundo adducemus duo dubia, & soluemus.

Ordo. Quoad primum primo notandum venit, quod Phil. 3 loco de denominatiuis agit, quia vt supra dicebamus, prædicamenta prout considerantur inquantum conueniunt in ente tanquam in quodam æquiuoco a consilio, explicata intelliguntur per diffinitionem æquiuocorum, sicut inquantum refferuntur vniuoce ad suas species expressa sunt per diffinitionem vniuocorum. Tertio igitur loco cum comparentur adinuicem secundum quod vnum denominat aliud, videlicet accidentia substantiam, explicantur per naturam denominatiuorum.

Denominatiua Lo... qua... Secũdo animaduertendum, quod nõn eodem modo considerantur denominatiua a Grammatico, & a Logico; nam apud Grammaticum illud dicitur primitiuum, quod pauciores syllabas includit, & illud dicitur deriuatiuum, seu denominatiuum, quod plures syllabas includit, & ratio est, quia Grammaticus circa syllabas, & dictiones versatur. Apud Logicum vero denominatiuum dicitur illud, quod est quasi compositum ex forma denominante, & subiecto denominato, vnde in duobus differunt Grammaticus & Logicus. Primo quidem in nomine, quia apud Grammaticum denominans dicitur primitiuum, & denominatum deriuatiuum, apud Logicum vero denominans, & denominatũ dicuntur. Secundo, quia Grãmaticus non respicit veritatem rei, sed solum originem dictionum. Logicus vero considerat veritatem, & falsitatem, vnde secundum Grammaticum iustus est primitiuum, seu denominans, & iustitia est deriuatiuũ, seu denominatiuum, apud Logicum vero est e conuerso, quia iustus vere, & realiter non dicitur iustus, nisi a iustitia sibi inhęrente. Denominatiua autem a Grammatico vocantur deriuatiua, & adiectiua.

In denominatiuis tria sunt. Tertio sciendum, quod in denominatione tria cõcurrunt. s. denominãs denominatiuũ, & denominatũ. Denominãs est forma accidẽtalis significata in abstracto, a qua res illa denominata denominatur, sicut albedo est forma a qua homo albus, denominatur albus. Secundum est denominatiuum, quod est accidens significatũ in concreto, vt album, vel nigrum. Denominatum est subiectum subsistens cum tali accidente, v.g. homo albus, & Petrus niger. Vnde denominans & abstractum idem sunt, sicut & denominatiuum, & concretum. Arist. hic solum ponit diffinitionem denominatiuorum in qua alia includuntur. Ait ergo. Denominatiua dicuntur, & non dixit sunt, ratione qua supra.

Denominatiua sunt in triplici ordine. Quarto sciendum, quod denominatiua sunt in triplici ordine, quia q̃dam vocantur denominatiua secundum vocem, & non secundum rem.

Quæ-

Quædam secundum rem; sed non secundum vocem, & quædam secundum rem, & vocem. Prima sunt illa, quæ denominant abstractum, & differunt in fine vocis, sed quia non important diuersitatem, ideo non dicuntur realiter denominatiua, vnde humanus non potest denominari ab humanitate. Secunda sunt illa in quibus forma concreti, vere, & realiter prouenit a forma abstracti, sed quia non conueniunt, & differunt in principio & in fine vocis, ideo non dicuntur secundum vocem denominatiua, quamuis sint secũdum rem talia. Vnde sic studiosus realiter denominatur a virtute, sed quia non habet conditiones quas dicemus, & præcipue de voce, ideo secundum vocem non vocatur denominatiuum. Tertia vero sunt illa, quæ habēt tres conditiones nunc dicendas, & ista proprie vocantur denominatiua.

Denominatiuorũ cõditiones

Quinto ergo animaduertere oportet, quod principales conditiones denominatiuorum istæ sunt. Prima est, quod forma denominans sit alia a subiecto denominato, taliter quod non sit eius essentia, nec eius propria passio, vnde defectu huius, hęc non est vera denominatio. Homo est humanus, vel homo est risibilis. Secũda est, quod forma denominans intelligatur inhærere subiecto, & non considerari in abstracto, vnde defectu eius, hęc non est vera denominatio, paries est albedo. Tertia est, quod abstractum, & concretum, denominãs, & denominatum conueniant in principio dictionis, & differant in fine, cuius defectu studiosus non denominatur a virtute. Addo quartam, quod inter denominans, & denominatiuũ sit aliqua similitudo, vnde defectu huius, iustus, & fortis, non sunt denominatiua. Addo quintam, quod nõ sint penitus idem in dictione, vnde defectu huius, Grammatica prout significat scientiam, non est denominatiua a muliere proprio nomine Grammatica vocata.

Denominans denominatũ dĩstĩguũtur.

Sexto animaduertẽdum est, quod inter formam denominantem, & denominatiuum debet esse distinctio. Sed attendendum est, quod quædam dicuntur distingui realiter, vt sæpius diximus, & hoc modo inter denominatiuum, & denominans non cadit talis distinctio, quia inter abstractũ, & concretum nõ datur distinctio realis. Quædam vero dicuntur distingui formaliter, & hoc dupliciter. Primo secundum diuersos conceptus attributos eidem rei, sicut dicimus genus, & species distingui, quia speciei attribuitur distinctus conceptus significatiuus naturæ confusæ genericæ, speciei vero distinctæ. Aliqua vero dicuntur distingui formaliter ex diuerso modo significandi, quia vnum significat abstractum, & aliud concretum, & hoc pacto distinguuntur denominans, & denominatiuum, nam denominans est abstractum, & denominatiuum concretum.

Distinguũtur ab æquiuocis, & vniuocis.

Septimo perpendite, quod aliqua sint æquiuoca, aliqua vniuoca, & aliqua denominatiua potest intelligi dupliciter. Primo secundum rem, ita vt dicamus quod alia res est æquiuoca, alia vniuoca, alia denominatiua, & hoc est falsum, nam album dicitur denominatiuum ab albedine, & tamen prædicatur vniuoce de pariete, & Petro albo, inquantum conueniũt in albedine, & risus denominatur a ridere, & tamen æquiuoce prædicatur de prato florente, & de homine ridente. Secundo potest intelligi secundum diuersas rationes formales, vt sit sensus, alia est ratio denominandi rem vt est vniuoca, alia vt ęquiuoca, & alia vt denominatiua, & hic sensus verus est, & intentus.

Dubia.

QVoad secundum duo dubia contra diffinitionem denominatiuorum insurgunt. Primum est, quia talis diffinitio videtur conuenire nominib., & nō rebus, sicut conueniebat diffinitio vniuocorū, & æquiuocorū, vnde nō videtur seruata vnitas indifiniendo. Probatur assumptum, quia differre casu nominū est, & non rerū.

Secundum dubium est, quoniam videtur quod hoc nomen studiosus nullum habeat abstractum a quo denominetur. Nam vel esset virtus, uel studium. Non virtus vt diximus, quia non differunt in fine vocis. Non studiū, quia vel significat locum in quo studetur, vel ipsum studētem, studiosus vero significat virtute præditum, vel amatorem virtutis. Ergo diffinitio denominatiuorum vel est arctius restricta quam esset restringenda, vel male assignata in conditionibus.

Ad primū dicimus, quod hic diffiniuntur res in quantum stant subuocibus, seu sub secundis intentionibus. Vnde ad argumentum responde tur, quod denominatiua non solum differunt differentia casus, sed etiam significatione abstracti, & concreti, denominantis, & rei denominatæ. Vel dicendum, quod æquiuoca, vniuoca, & denominatiua bifariam considerari possunt. Primo vt sunt æquiuocantia &c. & ita sunt voces quibus supradicta explicantur. Secundo vt sunt ęquiuocata vniuocata, & res denominatiuæ, & ita sunt res.

Ad secundum dicimus, quod vere, & realiter non reperitur propriū denominans studiosi. Si tn̄ volumus extendere denominatiua ad denominatiua f̄m rē, & si non secundū vocē dicemus, quod studiosus a virtute denominatur, & non a studio, quia studiosus, & studium non habent idem significatum, sicut nec etiam Grammatica dum sumitur pro muliere dicta Grammatica, & pro scientia Grāmaticæ. Vel secundo dicēdum, quod vere, & realiter denominatiuū virtutis erit virtuosus, sed q̄a virtuosus significat possessorē virtutis, quod nulli hoīum conuenire Phylosophi affirmāt, ideo volentes tollere omnē inuidiā hoīum, dixerūt denominatiuū virtutis non esse virtuosum, sed studiosum, idest amatorem, & inquisitorem virtutis, sed non dominum, nec possessorem. Hinc est, quod Pythagoras carpens superbiam priscorum sapientum, nullum, sapientem appellare voluit .i. possessorem sapientię, sed eum Philosophum vocabat, i. sapientiæ inquisitorem, & amatorem, quia eam diligere, & inquirere possumus, at perfecte possidere, nequaquam.

LECTIO V.

EOrum quæ dicuntur alia quidem secundum complexionem dicūtur, alia vero sine complexione, & ea igitur secūdum complexionem dicuntur, sunt, homo currit, homo vincit, ea vero, quæ sine complexione dicuntur, sunt, vt homo, bos, currit, vincit.

Eorum quæ sunt, alia de subiecto quodam dicuntur, in subiecto vero nullo sunt, vt homo de subiecto quidem dicitur aliquo homine, in subiecto autem nullo est: Alia autem in subiecto quidem sunt, de subiecto autem nullo dicuntur. In subiecto autē esse dico, quod cum sit in aliquo, non sicut quædam pars, impossibile est sine eo esse in quo est, vt quædam grāmatica in subiecto quidem est in anima, de subiecto vero nullo dicitur: & quoddam album in subiecto est corpore, omnis enim color in corpore est,

de

de subiecto vero nullo dicitur. Alia vero de subiecto dicuntur, & in subiecto sunt, vt scientia in subiecto quidem est in anima, de subiecto vero dicitur, vt de grammatica. Alia vero neque in subiecto sunt, neque de subiecto dicuntur, vt aliquis homo, vel aliquis equus, nihil enim horum neque in subiecto est, neque de subiecto dicitur. Simpliciter autem quæ sunt indiuidua & unum numero de nullo subiecto dicuntur, in subiecto autem, nihil prohibet ea esse: quædam enim grammatica in subiecto est, at de subiecto nullo dicitur.

HIc Aristot. agit de secundo ante predicamento, i. de diuisionib. & quia multa hic dicuntur, quæ nouitiorum intellectum transcendunt, ideo his omissis, breuiter, & faciliter quæ sunt necessaria, ad quædam notanda reduco.

Quæ dicũtur, quædam sunt complexa & quædã incõplexa

Aduertendum ergo primo, quod Arist. hanc diuisionem facit. Illa quæ dicuntur, quædam dicuntur cum cõplexione, i. sunt complexa, & quædã dicuntur sine complexione, i. sunt incomplexa. Complexum autem est, quod vnico termino absoluitur, vt homo, bos, leo, vincit, currit, vbi apposuit duplex incomplexum, s. verbale, & nominale, vt sciamus, quod non solum in nominibus, verum etiã in verbis complexio reperitur. Complexum vero est, quod duobus saltẽ terminis exprimitur, vt dicendo, homo currit, homo albus, ad hoc vt noscamus, quod etiam duplex est complexum; s. verbale in quo interuenit verbum, & non verbale, in quo non interuenit verbum, sed aliud nomen adiectiuum, vel substantiuum.

Triplex complexũ & triplex incõplexũ

Aduertendum secundo circa eandem diuisionem, quod triplex est cõplexum, & triplex incomplexum. Quoddam enim est complexum voce, sed non significato. Quoddam vero est complexum significato, sed nõ voce. Quoddam vero significato, & voce. Complexum voce, sed non significato fit, quãdo per plures voces vnam rem circumscribimus, vt dicendo. Socrates primogenitus filius Archelai, & Incomplexum huic complexo oppositum fit, quando vna voce vnam rem explicamus dicendo, bos, vel leo. Complexum significato, sed non voce fit, quando per vnam vocẽ plura exprimimus, vt dicendo, canis, quo nomine intendimus exprimere sydus cæleste, canẽ vocatum, animal terrestre, & piscem marinum, dicti canes. Incomplexum vero huic complexo oppositum est, quando per vnã vocem vniuocam, vnam rem solum significamus, vt dicendo, homo, leo. Complexum vero, & voce, & significato est, quando per plures voces plura significata proferuntur; vt dicendo homo albus, homo niger. Incomplexum vero huic oppositum est, quã do duæ voces, vel duo termini proferuntur per modum vnius, vt dicẽdo, homo animal, vel armiger equus, pręposuit autem Arist. complexa incomplexis, vt complexa excluderet, & incomplexa amplexaretur.

Finis diuisionum harum.

Aduertendum tertio, quod Arist. hanc diuisionem præmisit propter duo. Primo ad hoc vt sciamus quæ, & qualia sunt illa) quę collocantur in prædicamento, seu constituunt prædicamentum, quæ sunt incomplexa, quæ in vno tantum prædicamento reponuntur, vel vnum tantum constituunt. Nam homo solum reperitur in prædicamento substantiæ, sed homo albus reponitur etiam in prędicamento qualitatis, vnde complexa excluduntur ab arte, saltem directe, & per se. Secundo posuit hanc diuisionem, vt ex hac animaduerteremus, quod prædicamenta hic consideran-

derantur & vt res, & vt stant sub intétionibus, vnde respectu secundarũ intétionũ Arist. posuit primã diuisionẽ, in qua diuisũ est dici, respectu verorum, & intentionum adiunxit secundam, quam modo aggredimur Hoc etiam fecit ad hoc, vt perfectã faceret diuisionem, quæ debet dari per membra opposita.

Quot modis aliqua sint, vel dicantur de subiecto.

Aduertendum ergo quarto, quod Phil. subdiuidit hoc membrum .s. incomplexum, & inquit, quod quędam dicuntur de subiecto, sed in subiecto non sunt, vt secundæ substantiæ, quę de primis prædicantur, non tamen in eis sunt inhæsiue, i. vt accidentia in subiecto. Quædam vero sunt in subiecto, sed de subiecto non dicuntur, vt accidẽtia particularia, vt accidẽtia .n. sunt in subiecto, sed ut particularia non dicũtur de subiecto. Quædã uero sũt in subiecto, & de subiecto dicunt, vt accidẽtia vniuersalia, nam vt accidentia sunt in subiecto, & vt vniuersalia dicuntur de subiecto. Quædam vero nec sunt in subiecto, nec dicuntur de subiecto, vt primæ substantiæ, nam vt substantiæ non sunt in subiecto, & vt primæ, seu vt particulares non dicuntur de subiecto, vnde respectu horum quatuor regulantur omnia prædicamenta. Hæc igitur quatuor ista sunt, dici de subiecto, & non esse in subiecto, & hoc est proprium secundarum substantiarum. Secundum est dici de subiecto, & esse in subiecto, & hoc est propriũ accidentiũ cõiũ. Tertiũ est esse in subiecto, sed non dici de subiecto, & hoc est proprium accidentium particularium. Quartum est nec esse, nec dici de subiecto, & hoc est proprium primarum substantiarum. Tene autem quod album formaliter est incõplexum, quia sic dicit simplicem qualitatẽ supponendo subiectum vt docet S. Thomas in 1. d. 18. art. 2.

Aduertendum ergo quinto pro maiori explicatione huius, s. esse in, subiecto, & dici de subiecto, vel non ꝙ p esse in subiecto non intelligimus subiectum sumptum pro inferiori, sed pro subiecto inhæsionis, vnde recolendum est, quod dupliciter sumitur subiectum pro nunc. Primo pro omni eo quod subijcitur alicui, seu in prædicando, seu in substando, & sic etiam secundis substantijs conuenit esse in subiecto, nam sunt in primis vt superiora in inferioribus. Secundo mõ sumitur pro esse in subiecto inhæsiue, & sic secundæ substantiæ non sunt in primis, & ita solis accidentibus proprium est inhærere, & esse in subiecto. Dici vero de subiecto nihil aliud requirit, vel exprimit, nisi esse vniuersale, sit modo substantia, uel accidens, unde hoc conuenit substantijs, & omnibus accidentibus uniuersalibus.

Subiectũ duplex.

Esse in alio stat octo modis.

Animaduertendum quoque sexto quod mira sollicitudine Arist. explicuit quomodo aliqua sint in subiecto dum dixit, quod octo modis aliqua dicuntur esse in aliquo, ad hoc ut sciamus quomodo aliquid dicatur esse in subiecto. Primus ergo modus est esse in alio ut pars est in toto, ut caput in homine. Secundus ut totum in partibus integrantibus, & sic homo dicitur esse in capite, brachijs &c. Tertius sicut species in genere, tanquam in quodam confuso. Quartus sicut genus in speciebus, vt in quibusdam distinctiuis. Quinto modo aliquid dicitur esse in alio sicut forma est in materia, si sit forma substantialis, si vero accidentalis sicut accidens in composito. Sexto sicut effectus in sua causa, vt flos in arbore, & regnũ in rege. Septimo sicut in fine, vt voluntas dicitur esse in bono. Octauuo sicut in cõtinente, vt locata dicũtur esse in loco. Multa autem de his modis essendi dici possunt, quæ ego iudico superflua, & ideo ommittẽda.

A duer-

Aduertẽdum vltimo, quod Arist. posuit hanc diuisionem propter duo. Primo vt sciamus ꝙ aliqua sunt vniuersalia, & aliqua particularia in omnibus prædicamentis, & hoc voluit inferre per dici, & non dici, per esse in, & per non esse in. Secundo apposuit octo modos essendi explicatos, vt etiam sciamus, quod aliquo modo secundæ substantiæ sunt in primis, sed non eo modo quo accidens est in subiecto.

Quoad secundum principale primum dubium est, Quia videtur multa hic dicta inutiliter, singulariter de tot modis essendi in, sed hoc sublatũ in septimo notabili.

Secundum ergo dubium vt dicit Caietanus non dissimulandum est. Quia hic diffinit esse in subiecto vel vniuersaliter, inquantum conuenit formæ substantiali, & accidentali, vel solum inquantum conuenit formæ accidentali. Si primo modo, hoc est contra omnes expositores, negantes esse in, a secundis substantijs. Si secundo modo, videtur diminutus Auctor, non apponendo particulam expressiuam differentiæ inter esse accidentis in subiecto, & formæ substantialis in materia.

Ad hoc dubium optime respondet Caietanus, quod per esse in subiecto intellexit Arist. inhærere subiecto, q a secundum famositatem solum accidentibus conuenit, modo materia nõ est proprie subiectum, cum non sit nec quid, nec quale, nec quantũ, sed hæc omnia in potentia vt tradit idẽmet Arist. 7. Meth. Secundo deducit hanc intentionem Philosofi ex illis verbis, & non sicut pars in toto, quia forma dupliciter considerari potest. Primo vt pars totius compositi, & ita vt dicatur existere in toto vt pars, & hoc est falsum, quia est tota in toto, & tota in qualibet corporis parte. Secũdo inquantum est forma materiæ, & ex ea & materia resultat vnum totũ, & sic verum est, sed hoc est falsum de accidente, nam accidens est quidem in subiecto, sed non vt essentia, & forma essentialis subiecti, neque ex subiecto & accidente resultat vnum totum substantiale. Tertio conuincitur hic sensus ex illis verbis impossibile est sine eo in quo est, quia formæ substantiali non repugnat esse sine materia, vt patet de anima humana, & si repugnet formę materiali, accidenti autem formaliter, & simpliciter repugnat secundum se esse in actu absque subiecto, naturaliter quidem. Sed quispiam dicet. Ergo nouẽ sunt modi essẽdi in aliquo si datur modus essendi in, conueniens formæ substantiali? At responde, quod hic modus continetur sub quinto, vt nos explicuimus, nam esse in subiecto conuenit formæ substantiali, & accidentali vt supra.

LECTIO VI.

De regulis.

Quando alterum de altero prædicatur ut de subiecto, quæcũque de eo quod prædicatur dicuntur, omnia etiam de subiecto dicuntur, vt homo prædicatur de quodam homine: animal uero de homine: ergo & de quodam homine animal prædicabitur. quidam enim homo, & homo est, & animal.

Diuersorum generum & non subalternatim positorum diuersę sunt species, & differentiæ: ut animalis & scientiæ. animalis quidem differentiæ sunt, ut gressibile & uolatile, & bipes. scientiæ uero nulla harum est: neque enim scientia a scientia differt in eo quod est bipes. Subalternorum ue

ro generum nihil probibet easdem esse differentias: superiora enim de inferioribus prædicantur: quare quæcumque fuerint prædicati differentiæ eadem & subiecti.

Eorum, quæ secundum nullam complexionem dicuntur, unumquodque aut substantiam significat, aut quantum aut quale, aut ad aliquid, aut ubi, aut quando, aut situm, aut habere, aut agere, aut pati. Est autem substantia, ut in figura dicatur, ut homo, equus. Quantum, ut bicubitum tricubitum. Quale, ut album. Ad aliquid, ut duplum. Vbi uero, ut in foro. Quando autem, ut heri. Situm uero, ut sedet, iacet. Habere, ut calceatum esse, armatum. Agere, ut secare, urere; Pati, ut secari uri. Singula igitur eorum, quæ dicta sunt, ipsa, quidē secundum se in nulla affirmatione dicuntur uel negatione. horum autem ad se inuicem complexione affirmatio fit, & negatio. Videtur autem omnis affirmatio uera, uel falsa esse: eorum autem, quæ secundum nullam complexionem dicuntur, nullū neq; uerum, neque falsum est: ut homo, album, &c.

POstquam Arist. tradidit cognitionem anteprædicamentorum per diffinitiones æquiuocorum, vniuocorum, & denominatiuorum, & per duas diuisiones, quibus diuiduntur decem prædicamēta, tertio loco principali ponit duas regulas necessarias ad regulandum ea, & has in præsenti lectione explicabimus.

Primo ergo animaduertendum est, quod non solum sufficiebat Aristoteli posuisse diffinitiones, & diuisiones anteprædicamentorum, nisi adhuc etiam posuisset regulas quibus regulantur prædicamenta, & hoc ob duplicem causam. Prima, quia non solum necessarium est rem cognoscere, & eam scire diuidere, sed etiam opus est scire, quæ sint sequenda, & quæ reppellenda in eius cognitione. At per diffinitiones æquiuocorū &c. & per diuisiones nouimus naturam, & diuisionem prædicamentorum in communi, ideo nunc opus erat scire regulas, per quas non admittuntur non admittenda, nec auferuntur non auferenda. Secunda ratio est, quia prædicamenta hic considerantur secundum prædicationem, ideo vt sciamus qualiter vnum prædicamentum de alio prædicetur, vel de suis inferioribus, & qualiter non, proferendæ sunt hæ duæ regulæ modo dicendæ.

Regula cur data.

Aduertendum ergo secūdo, quod prima regula hæc est. Quod quando alterum de altero prædicatur vt de subiecto, quæcunque dicuntur de prę dicato, dicuntur etiam de subiecto, & de his ēt q̄ ponuntur sub subiecto, vnde quia animal dicitur de homine, ideo etiam dicitur de Sorte posito sub homine, vbi notato, esse necesse quod hoc alterum se habeat in ratione prædicati, taliter quod dum animal p̄dicatur de homine, homo dicatur subiectum, sed dum homo prædicatur de Sorte, Sortes stabit loco subiecti. Subiectum autem hic non sumitur pro subiecto inhæsionis, sed pro quolibet inferiori respectu sui superioris, vnde aliud est dici de subiecto, & aliud esse in subiecto, vt iam superius explicuimus.

Regula Prima.

Aduertendum tertio, quod quamuis verus sensus, & germanus, intentus ab Arist. fuerit solum loqui de illis, quæ prædicantur essentialiter, & non de alijs, vnde sic solum verificaᵗ de essentialiter subordinatis in recta linea p̄dicamentali, taliter ꝙ ratio sit essentialis in prædicato & in subiecto, tamen quibusdam regulis seruatis.

Explicatur.

tis, poterit hæc regula de multis alijs verificari. Sex igitur sunt cōditiones, quibus adhibitis ad plura alia etiam extenditur. Prima est, quod arguamus in prædicatis per se, & non per accidens, intelligendo nunc per se prædicata, quæ formant primum, vel secundum modum perseitatis, vnde valet. Sortes est homo, homo est rationalis, ergo Sortes est rationalis, & idem dic tu de proprio, non autem valet in prædicatis per accidens, non enim vera est hæc prædicatio secundum hanc regulā, Petrus est homo, homo est alb., ergo Petrus est albus. Secunda conditio est, quod argumētum procedat in his quæ sunt per se, primæ intentionis, & non secundæ, vnde non valet, homo est animal, animal est genus, ergo homo est genus. Valet tamē dicere. Sortes est homo, homo est animal, ergo Sortes est animal. Tertia est, quod sit prædicatio directa præcipue in minori, vnde nō valet dicere, homo est animal, animal est asinus, ergo homo est asinus. Quarta, quod vtraque propositio non sit negatiua, quia ex puris negatiuis nihil sequitur, sicut non valet, homo non est asinus, asinus non est rationalis, ergo homo nō est rationalis. Quinta est, quod vtraque propositio in eodem sensu teneatur, vnde non valet, homo habet manus, manus sunt duę ergo homo est duo. Vel piscis est in mari, in mari est nauis, ergo piscis est nauis. Sexta est, ne fiat transitus de concreto ad abstractum, nec secundum rem, nec secundum significatū, vnde non valet. homo est niger, nigredo est qualitas, ergo homo est qualitas. Sed hæc omnia melius explicuimus in libro de fallacijs.

Secunda regula.

Animaduertendum autem est primo circa secundam regulam, quæ talis est. Quod genera sunt in duplici ordine, quoniam quædam sunt subalterna, quorum vnū ponitur sub alio, & alia sunt non subalterna, sed omnino diuersa. Subalterna sunt vt substantia, animatum, animal. Nō subalterna, vt substantia, & quantitas, & tunc meminisse oportet, quod omnia genera habēt proprias species, & proprias differentias, ex quibus deducit Philosophus, quod diuersa genera nō subalternatim posita, habent diuersas differentias specie.

Notandum.

Aduertendum secundo circa textum, quod male leguntur illi codices, qui habent, diuersæ sunt species, & differentiæ, nam sic debent legi. Diuersæ sunt differentiæ specie, ita vt diuersitas cadat solum supra differētias, & hoc vt cognoscamus discrimē inter diuersas differentias, specie differentes, & non differentes specie. Nā primæ faciunt aliud, sunt per se inseparabiles, diuisiuæ generum, & cōstitutiuæ specierum. Secundæ vero faciunt alteratum, & sunt cōmunes, vel propriæ, vel respiciūt indiuidua, & ideo non vocantur differentiæ specie differentes. Secundum est, quod hæc genera non sint subalterna, neque immediate, neque mediate, sed sint omnino diuersa.

Prædicamenta dupliciter possunt dici subordinata.

Aduertēdum tertio, quod Arist. per superiora verba non intendit negare, quod vna eademque res nō possit locari in duobus prædicamentis, nā similitudo ponitur in genere qualitatis, & in genere ad aliquid, vult igitur intelligere, quod non per eandem rationem. Vnde prædicamenta esse subordinata ad hoc vt vnum de altero prædicetur dupliciter potest intelligi. Primo quoad omnia, & hoc falsum est, quoniam sunt multa quæ non sunt sic subordinata, quorū vnum prædicatur de altero. Secundo quoad aliqua, puta quoad vnam rationem, & sic si sint subordinata in vna communi ratione, secūdum vnā considerationem, vnum potest prædicari de altero, & ad hæc extendi-

tur etiam hæc regula.

Quoad secundum principale dubitatur circa primam regulam, & circa eius expositionem .s. quod valet in essentialiter coordinatis. Contra (inquit Antonius Andreas) quia est arguere a pluribus causis veritatis, ad vnam earum. Nam quod animal sit substantia potest esse verum, & quia asinus est substantia, & quia homo est substantia. Arguere ergo, homo est substantia, quia est animal, quod est substantia, est arguere a pluribus causis veritatis, ad vnam earum.

Immo confirmatur, quia sic est arguere a superiori non distributo, ad inferius, quæ consequentia non valet.

Contra secundam regulam argumentatur, v. quod diuersa genera nō subalternatim posita habeant diuersas differentias specie. Nam illa quæ habent diuersas differentias specie, non collocantur in diuersis prædicamentis, non subalternatim positis, sed corpus reponitur in prædicamento substantiæ, & quantitatis. Ergo.

Ad primum respondebat Antonius Andreas admittendo argumentum contra D. Thomam, glossabatque propositionem hoc pacto, quod quicquid est superius superiore, est etiam superius inferiore. Sed hæc responsio videtur ridicula, cum nihil noui dicat, & id quod omnibus certissimum est, sub dubio ponat.

Ad argumentum ergo dicimus, quod diuersitas est in prædicamentis per se, & per accidens, quod prædicata per se primo conueniunt naturis, & secundo suppositis. Nam esse animal primo conuenit homini, secundo Sorti. Prædicamenta vero per accidens primo conueniūt indiuiduis, quia solum indiuidua realiter substāt accidentibus, secundo autem conueniunt naturis, inquantum .s. sunt in indiuiduis, vnde arguere in prædicatis accidentalibus est arguere a pluribus causis veritatis, nā si volumus hanc propositionem esse veram, homo currit, oportet quod non solum Sortes currat, verum etiam & Plato, & omnes alij homines, hoc autē falsum est in prędicatis per se, quia ęqua participatio naturæ superioris, v.g. naturæ animalis in homine, & asino facit, quod quælibet sit causa suæ veritatis.

Ad Cōfirmationem dicitur, quod est arguere ab vniuersali sufficienter distributo, ad suum inferius, dum argumentamur in subordinatis essentialiter, quorum vnum de altero vt de subiecto prædicatur. Sed scitote, quod duplex est vniuersale distributum. Primum dicitur prioristicum, quod distribuitur per signum vniuersale, v. omnis nullus &c. Secundum dicitur posterioristicum, quod est quando prædicatum est de essentia, & quidditate omnium inferiorum, vnde animal posterioristice absque aliquo signo de omnibus hominibus prædicatur, quia omnes homines vere, & realiter sunt animalia.

Ad secundum patet ex tertio notabili, materialiter enim idem potest poni in diuersis prædicamentis, sed non formaliter, idest sub eadem ratione.

LECTIO VII.

Quæstio.

Vtrum Prædicamentum sit quidditatiua coordinatio plurium prædicabilium, in qua superiora de inferioribus prædicantur.

Videtur quod non, primo. Nam prædicamentum est genus generalissimum. Sed genus generalissimum non est vnio, & coordinatio plurium, cum dicat vnam essentiā quiddita-

ditatiue de inferioribus prædicabile. Ergo prædicamentum non est coordinatio &c.

Secundo. Prædicamentum dicit relationem rationis. Sed prædicabilium coordinatio non est relatio rationis. Ergo. &c. Maior patet, quia prædicamentum non est in rebus, sed in intellectu, & cum non sit nec priuatio, nec negatio erit relatio. Minor probatur quia coordinatio non dicitur ad aliquem terminum, sicut dicitur relatiuum ad suum correlatiuũ.

Tertio. Quidditatiua coordinatio non est differentiarum coordinatio, cum differentia non prædicetur quid ditatiue. At differentiæ sunt prædicabilia. Ergo &c.

Quarto. Indiuidua ponuntur in prædicamento vt patet. At indiuidua non sunt prædicabilia, cum de nullo prædicentur. Ergo &c.

Quinto. Entia rationis possunt coordinari secundum sub & supra in prędicamento. Ergo vel prædicamentũ non est coordinatio plurium prædicabilium secundum substantiam & accidens, vel tredecim erunt prædicamenta.

Sexto. Hæc ratio constitutiua prædicamenti in communi, .s. coordinatio &c. est genus ad omnia prædicamenta, quia omnibus conuenit. At hoc esse non potest. Nam sic substantia, & quantitas different specie sub eodem prædicamento, quod esse nequit, cum habeant eandem rationem .s. esse coordinationes plurium prædicabilium, in quo non differunt, nec sic essent duo generalissima, sed duę species generalissimi.

Septimo. Animal rationale est prædicabile, & tamen non prædicatur in recta linea, cum sit quid complexũ, & complexa excludantur a prædicamento. Ergo male dicitur quod prædicamentum sit coordinatio plurium prædicabilium in recta linea. &c.

Octauo. Nullum transcendens est prædicamentum. Sed accidens est quoddam transcendens, cum circum eat nouem genera accidentium, Ergo.

Nono. Deus potest agere actione transeunte, vt aliquid mouere, aut personam regis, vel pastoris induere. At actio Dei non prædicatur intrinsece, & quidditatiue de re acta, sed tantum denominatione extrinseca, cum non sit eiusdem generis. Ergo prædicamentum non est quidditatiua coordinatio &c.

Decimo. Homo est secunda substantia, & Christus prima, de qua dicitur secunda quidditatiue prædicari, & tamen homo per se non prædicatur de Christo, quia supposito diuino hæc Humanitas accidit. Ergo Prædicamentum non est quidditatiua coordinatio &c.

Vndecimo. Substantia, vt est superior corporea, & incorporea coordinatio est plurium prædicabilium &c. Et tamen sic non est prædicamentũ secundum Auerroem, & asseclas. Ergo.

Pro explicatione hujus quæstionis, primo notandum venit, quod prædicamentũ multis modis sumi potest. Primo pro supremo prædicato in tota serie prædicabilium, quo pacto dixit Arist. decem esse prima genera rerum, accipiendo genera pro summo generis, i. pro substantia, quantitate &c. vt sic. Secundo sumitur pro prædicato, ita vt tantum sonet prædicamentum, quantum prædicatum. Tertio sumitur, pro quadã serie, & coordinatione plurium, siue in recta linea prædicamentali, siue non constitutorum, siue illa sententia finita, siue infinita, vt etiam Deum includat. Quarto sumitur pro tota serie, & coordinatione prædicabilium finitorum, inter quæ vnum est generalissimum, alia sunt subalterna, alia specialissima, & alia

Prædicamentum quatuor modis sumitur.

alia indiuidua, & sic hic diffinitur, quod est coordinatio plurium prædicabilium quidditatiua, secundum sub, & supra, in qua superiora quidditatiue prædicantur de inferioribus.

Diuiditur in 10. genera rerum. Secundo notandum, quod prædicamenta bifariam considerari possunt. Primo vt prima diuisione diuiduntur, & sic sunt res naturæ, & entia realia, vt testat Arist. 5. Metaph. tex. 14. vbi ens reale diuidit in substantiam, & in nouem genera accidētiũ, vt defendit S. Doctor ibi lectione 9. & de. Potentia q. 7. a. 9. Secundo cōsiderant vt intellectus eis attribuit rationē relationis superioris ad inferiora, & e contra secundum ordinem prædicationis, & subijcibilitatis, & ita intelliguntur esse entia rationis, in decem realibus naturis rerum fundata, quod est dicere prædicamenta fundamentaliter, & realiter per decem modos essendi distingui, sed formaliter per decem modos prædicandi, & vtroque modo possunt considerari a Logico, & a Metaphysico, ita vt Metaph. ea cōsideret primo vt dicūt mōs essendi, & secundario, vt dicunt modos pdicandi, e contra vero Logicus.

Conditiones prædicamenti. Tertio obseruandum venit, quod ad hoc vt aliquid dicatur esse in prædicamento multæ conditiones concurrere debēt. Prima ergo erit, quod prædicamentum sit ens reale. Hoc autem bifariam intelligi potest. Primo simpliciter, ita quod nullo modo dicat ens rationis, & hunc sensum exclusimus supra, cum prædicamētum vltra decem modos essendi, dicat etiam decem modos prædicandi. Secundo principaliter, ita vt ens realē sit primum constitutiuum prædicamenti & hoc verum est, vt supra.

Secunda vero conditio prædicamenti est, quod sit quoddam incomplexum, & non complexum, vt supra dixit Arist. Hoc autem duplex esse potest. Primum dicitur complexum, sed eiusdem prædicamenti, vt animal rationale. Secundum dicitur complexum, sed diuersorum prædicamentorum, vt homo albus. Modo dicunt aliqui, primum complexum reponi in prædicamento, quia tantum est animal rationale, quantum homo, secundum vero nequaquam, quia ad duo prædicamenta pertinet, nam subiectum pertinet ad prædicamentũ substantiæ, & ly albus, quod est prædicatum ad prædicamentum accidētis .i. qualitatis spectat. Sed melius dicitur, quod vtrumque complexum a prædicamento excluditur. Quod primo deducitur expresse ex verbis Phyl. vt supra. Dixit enim (eorũ, quæ secundum nullam complexionem dicuntur, &c.) secundo, quia prædicamentum est coordinatio prædicabilium, prædicabilia autem sunt incomplexa, vt patet, & tertio quia ea solũ ponuntur in prædicamento, quæ in eo directe collocantur. Vnde homo, v.g. qui est quoddam diffinitum ponitur in prædicamento, & non animal rationale, quod est eius diffinitio.

Tertia conditio est, quod non constituatur ex prædicabilibus, vt ex partibus, sed vt ex totis. Partes autem sūt in duplici differentia. Quædam enim dicuntur phisicæ, vt materia, & forma, ex quibus totum compositum constat. Aliæ vero dicuntur metaphysicæ .s. genus, & differentia. Omnes ergo istæ partes a prædicamento excluduntur secundum Sanctum D. p. p. q. 29. art. 4. & 5. & q. 76. art. 3. ad secundum, & de ver. q. 27. ar. q. ad. 8. & secundum Scotum q. 15. prædicamētorum, & probatur. Quia partes pertinent ad prædicamētum reductiue, i. a latere, & non directe, sicut faciūt genera, & species completæ, Et hinc est, quod quamuis anima v.g. intellectiua contineat vegetatiuam, & sensitiuam, quia tamen comparatur ad compositum, vt eius principium formale,

male, ideo constituitur in prædicamento non directe, sed a latere. Genus autem, & si in ordine ad speciē, vt est quoddam totū diffinibile eius pars dicatur, tamen s̄m se est quoddā totum potestatiuum intrinsece, & formaliter prædicatiuū de specie, & in prædicamēto directe collocatum.

Quarta conditio est, quod prædicamentum dicat, vel vniuersale, vel particulare completum, vnde etiam indiuidua in prædicamento collocātur, quapropter Arist. incepit a prima substantia, quæ est indiuidua tractare de prædicamentis.

Quinta conditio est, quod prædicamentum sit ens finitum, & non infinitum. Duplex autem est infinitum. Primum dicitur simpliciter, & absolute .i. secundum suam essentiam, intensiue, & extensiue, vt est Deus, vnde non reponitur in prædicamento, nec directe, nec reductiue, quia non est nec ens incompletum, nec contentum sub aliquo prædicato quidditatiuo. Reducitur tamen ad prædicamentum, non vt contentum sub eo, sed vt ipsum continens, vt eius causa, prout docet. S.D.p.p.q.3.art.5. Secūdum dicitur infinitum secundū quid .i. in aliqua specie, vt si daretur quantum infinitum, vel albedo infinita, & tale concluderetur sub prædicamento, quia vere esset, vel in genere, vel in specie entis finiti secundum essentiam, etiam quod esset ens infinitū, secundum extensionem, vel intensionem in illo genere, vel specie, prout deducit idem S.D.p.p.q.7.art.3.& 4.& q.14.art.12.ad tertium.

Sexta conditio est, vt dicat vnam naturam, quapropter æquiuoca supra posita sunt, vt a prædicamento excludenda. Nam prædicamentum ex parte conceptus obiectiui debet dicere vnam naturam, de inferioribus vniuoce quidem, sed saltem prædicabilē vniuoce Logice. Ita ex parte conceptus formalis debet dicere vnam rationem formalem vniuoce inferioribus conuenientem. Et ex parte vocis debet vna voce exprimi .s. substātię, quantitatis, &c. & non duplici, vt dicendo substantia quanta, vel qualis, quia sic diceret vnum per accidens.

Vltima conditio est, quod habeat accomodatum modum significandi, sed an debeat esse in concreto, vel in abstracto non conueniunt doctores in hoc explicando. Ideo Prædicamēta bifariam considerari posse constat .s. in abstracto, vt erit humanitas in prædicamento substantię, & in concreto, vt erit homo. & ita in prædicamento qualitatis, albedo est abstractum, & album concretum. Difficultas ergo est, an concretum, vel abstractum sit illud, quod constituat prædicamentum. Nam Caietanus cap.7. de ente, & essentia sentit prædicamētū dupliciter cōsiderari posse. Primo Metaphysice, i. p essentiā, & quidditate p̄dicamēti v.g. pro natura, & q̄d ditate quātitatis, vel qualitatis tantū, præscindendo ab omni eius modo significandi, s. in concreto vel in abstracto. Secundo Logice .s. p ut habet modū significandi generis, vel speciei. Si igit̄ prædicamenta Metaphysice considerentur .i. pro re significata, vt est quidditas, & natura, vt sic sumpta in prædicamento ponitur, & concretū, & abstractum, cum hæc non dicant diuersam quidditatem rei, sed eandem rem, important sub diuersis modis significandi .s. simplicis, vt significat abstractum, & subsistentis, vt denotat concretum. Si vero inspiciantur Logice, sic solum abstracta in prędicamento collocantur, quia hæc solum explicant naturam generis, vel speciei, cum prædicamenta sint res simplices, & concreta compositam, naturam. v.g. album non solum. significat qualitatem albedinis, sed qualitatē albedinis esse in subiecto, quod est

est quid extraneū a prædicamēto qualitatis, quia subiectum significatur vt abstractum a qualitate, & vt ei additum. Sententia igitur Caiet. est, & S. D. opus. 42. cap 19. Scot. q. 5. vniuersalium, & q. 11. prædicamentorum Soti de quantitate q. prima. Pauli Veneti cap. 4. anteprędicamentorum, & aliorum plurium, quod loquendo de prædicamentis accidentium abstracta illorum sunt ea, quæ collocantur in prædicamento. At e contra in prædicamento substantiæ concreta sunt illa quæ in eo reponuntur, quoniam hæc solum sunt entia completa, & perfecta, quapropter materia, & forma etiam in abstracto significata, nō sunt in prædicamento substantiæ nisi reductiue .i. vt eius principia. At in prædicamentis accidentium abstracta habent modum significandi naturæ completæ, & per se, secundum genus, & speciem v.g. dicendo color, albedo, nigredo &c. Ex quo Arist. enumerat prædicamenta accidentium, & ea definit sub nominibus abstractis, & non sub concretis, saltem per se primo. Alij vero aliam tenent sententiam, sed supradictam non infringunt.

Argumēta soluuntur. Ad primum autē primo dicimus, quod procedit de prædicamento in secunda acceptione, nos autem de eo loquimur in tertia. Secundo dicitur, quod genus generalissimum bifariā sumi potest. Primo præcise .s. vt dicit summum genus tantum. Secundo vt terminat, & includit, etiam omnia inferiora, de quibus quidditatiue prædicatur. Secundo modo hic a nobis consideratur, & secundum primum modum procedit argumentum.

Ad secūdum dicendum, quod prędicamentum si sumatur pro substrato est ens reale, si vero accipiatur prō relatione superioris ad inferius est ens rationis, & ita superius, vt vniuersale prædicabile dicitur formaliter ad suum inferius, vt est ei subijcibile sicut species sic subijcitur generi, vt eius correlatiuum, & ita coordinatio superioris dicitur ad inferiora in ratione prædicabilis, & inferiorum ad superiora in ordine subijcibilis.

Ad tertium dicendum, quod prædicamentum directe coalescit ex his prædicabilibus, quę in linea recta prędicamentali constituuntur, sed ex differentijs, quæ a latere sunt, indirecte, & reductiue constat, vt ex principijs formalibus eorum, quæ in recta linea reponuntur, neque .n. necessariū est, quod prędicamentum constet ex omnibus prædicabilibus eodem modo.

Ad quartum dicendum, quod indiuidua, & si non sint prædicabilia, sunt tamen subiectum, & fundamentum prędicabilium, & hoc sufficit.

Ad quintum dicendum, quod entia rationis in prædicamento constituta non sunt nisi secundæ intentiones in primis fundatæ, & ideo non exercent rationem prædicabilis, & subijcibilis, nisi ratione substratorū, quapropter non constituunt singulare prædicamentum. Sed in eo prædicamento sunt in quo eorum substrata, in quibus fundantur, collocantur.

Ad sextum similiter dicitur, quod hæc ratio .s. coordinatio plurium prędicabilium &c. dupliciter sumi potest. Primo in actu signato, & ita intelligitur esse superior omnib. prædicamētis vnde ipsa intelligūtur esse eius species. Secundo sumitur in actu exercito, vt .s. exercet actum coordinatū & sic non intelligitur esse alia coordinatio ab ea, quam exercet. Vel secundo dicendum, quod coordinatio vt sic, est coordinatio transcendentalis, sed talis coordinatio v.g. substantia est coordinatio prædicamentalis.

31 Ad septimum dicimus differentiā excludi, vt quoddam incompletum contra Ammonium eam constituentem directe in prædicamento.

Ad

Ad octauum dicimus quod accidens est transcendens vt in generali sumitur. At in genere nil amplius habet, nisi nouem modos determinandi substantiam, & de ea prædicandi, & ideo decem tantum sunt prædicamenta. Duo autem hic tene, primum est, quod prædicamentum constat ex pluribus prædicabilibus eiusdem ordinis, vt prædicamentum substantiæ ex pluribus prædicabilibus secundum substantiam, & qualitatis secundum qualitatem, non autem per aggregationem. Secundum est, quod accidens non est vnum ex sex transcendentibus, cũ adequate non conuertatur cum ente, non .n. est substantia, & tamen substantia est ens, dicitur autem transcẽdens modaliter, i. dicitur habere modum trãscendentis, prout circuit omnia genera accidentium.

Ad nonum dicimus, quod quamuis Fonseca .5. Metaph. cap. 15.q.9. sect.7. tenuerit actionem Dei transeũtem ad prædicamentum actionis posse pertinere, & ita induere habitum aliquem, spectare ad prædicamentũ habitus, tamẽ hoc falsum est. Primo quia pugnat cum D. Aug. 7. de Trin. cap. 5. vbi negat rationem substantiæ prædicamentalis, Deo conuenire. & tamẽ hæc ratio videtur proprius Deo attribui, quam nomen, & ratio actionis accidentalis. Verba .n. D. Aug. sũt ista. Nefas autem est dicere, vt subsistat, & subsit Deus bonitati suæ, atq; illa bonitas non substantia sit, vel potius essentia, ipse .n. Deus est bonitas sua. Et clarius 5. de Trin. cap. primo sic dicit. Deum intelligamus (si possumus) sine qualitate bonum, sine quãtitate magnum, sine intelligẽtia creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco vbique totum, sine tempore sempiternum, sine vlla sui mutatione mirabilia facientem, nihil patientem &c. Secundo, quia actio prædicamentalis & ita habitus sunt ordinis finiti. Actio autem transiens, vt a Deo egreditur infinita est, quamuis finite recipiatur. Tertio quia accidens nullo modo potest esse in Deo.

Ad argumentum igitur dicitur, qđ actiones Dei, vt ab ipso sunt transcẽdentales dicuntur, & non prædicamẽtales, & ideo non est necessarium eas quidditatiue dici de inferioribus. Quando autem D. Aug. dicit substãtiam, & relationem proprie dici de Deo, sumit ly proprie, non vt idem sonat, quod intrinsece, ita vt de Deo dicatur substantia, & relatio prædicamentalis intrinsece, & formaliter, sed sumitur, ly proprie, vt distinguitur contra metaphorice, prout metaphorice dicitur quantus &c.

Ad decimum dicimus, quod & si Scotus in tertio distinc.7.q. prima & dist.22. quæ. prima cum Durando & Ocham in 3.q 9. tenuerit, quod hæc propositio Christus est homo, nõ sit per se, sed contingens, & per accidẽs, tamen veritas est, eam esse per se, & esse prædicationem quidditatiuam, vt docet S. Doctor 3.p.q.16.art. primo in corpore, & q.2.art.3. ad tertiũ quia vere, & secundum substantiam est per se verus homo, & hypostasis humanæ naturæ. Docet .n. fides Catholica, vnionem D. Verbi cum humana natura substantialem esse, & non accidentalem. Dicendum est ergo, quod humana natura diuino verbo acciderit, posse dupliciter itelligi. Primo vt verbum Diuinum verbum est, & sic humana natura non fuit ex intrinseca, & naturali necessitate, verbo Diuino coniuncta, quia potuisset (si voluisset) eam non assumere. Secundo vt V. Diuinum intelligitur iã eam assumpsisse ad propriam personalitatem, & ita per se ei conuenit, quia hęc vnio fuit substantialis, & non per aggregationem, quapropter

Cc homo

homo prędicatur quididitatiue de Christo Domino nostro. Plura enim modo de eo dicuntur, quæ antea cũ eo pugnantiam habere intelligebantur, vt esse passibilem, mortalem, iniuriæ, & doloris capacem, quæ de eo modo pronuntiantur, postquam .s. Verbum Caro factum est. S. D. tamẽ quandoque asserit Deum, nec esse vniuersale, nec particulare, vt particulare dicitur stare sub vniuersali, non vero vt idem sonat, quod subsistens.

Ad vndecimum dicendum pariter, quod quamuis Auerroes 10. Metaph. cap. vltimo, & Gandauensis q. 22. cum Nypho q. 9. fecerint supremum genus substantiæ non substantiam communem corporeę, & incorporeæ, sempiternæ, & corruptibili, sed tantum corporeæ, & corruptibili; Vnde Cælos, & Angelos a prædicamento substantiæ excluserunt, attamen vera sententia amplexanda, est illa. S. D. op. 42. cap. 5. & in primo dist. tertia q. prima art. 5. & prima par te q. 50. art 2. ad primum & tertium, & q. 88. art. 2. ad quartum, quod omnis substantia finita corporea, & incorporea, sempiterna, & corruptibilis reperitur in prædicamento substantiæ. Hæc autem sententia confor mis est arbori Porphyrianæ vt supra innotuit, & ratione comprobatur, q a in Angelis datur compositio actus, & potentię, ex qua pullulat compositio generis, & differentiæ, sed neque sunt actus puri, vt est solus Deus. Dum autem Aristot. negat corruptibile, & incorruptibile differre genere, loquitur de genere Physico, & non de Logico, & de genere subalterno, & non de generalissimo.

LECTIO VIII.

De Substantia.

Substantia autem quæ proprie & principaliter & maxime dicitur, quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est: vt aliquis homo, & aliquis equus.

TRadita intelligentia anteprædicamentorum Arist. aggreditur secundam partem principalem nempe tractatum prædicamentorum explicando, & declarando singula prædicamenta. Primo autem loco agit de prima substantia in cuius explicationem nos tria agemus. Primo enim notabimus aliqua præambula necessaria ad veram intelligentiam prædicamentorum in communi. Secundo explicabimus diffinitionẽ primæ substantiæ, & Tertio loco adducemus aliquas dubitationes pro clariori intelligentia dictorum.

Prædicamẽta sunt incomplexa. Quoad primum primo notandum venit, quod Arist. ait solum incomplexa reponi in prædicamentis, & hæc prædicamenta constituere, ad hoc vt intelligamus, quod complexa excluduntur vt supra diximus. Probat ergo Phylosophus quod prædicamenta secundum se sint incomplexa tali ratione. Illa quę dicuntur cum complexione significant, & important affirmationem, vel negationem. Prędicamenta non important affirmationẽ vel negationẽ, ergo nõ sunt cõplexa. Secũdo videnda est sufficientia decẽ prædicamentorum, supponendum ergo est, quod secundum diuersos modos essendi, & prędicandi sumantur diuersa prędicamenta. *Prædicamẽta sunt decem.* Stante hoc supposito dico, aut omne prędicamẽtum significat esse non in alio, vel in alio, vel ad aliud. Si non in alio, hoc est

est prædicamentum substantiæ, quæ dicitur a per se essendo. Si in alio, & hoc dupliciter, vel existit in alio ratione materiæ, & sic est quantitas, quia materia est quanta, vel ratione formæ, & sic est qualitas, quę qualificat & formalizat. Si ad aliud, idest vt dicat respectum, vel hic respectus est intrinsecus, & sic constituitur prędicamentum ad aliquid, vel erit extrinsecus, & sic cōstituuntur alia sex prędicamenta, secundum quod habent ordinem ad situm, vel habitum &c.

Substātia est primū prædicamentum. Quoad secūdum principale videndum est primo. Cur Arist. prius de substantia tractet, quam de quocunque alio prędicamento. Ordo enim, & ratio ordinis quamplurimum cōferunt ad perfectam rei cognitionē. Duę ergo sunt rationes quib. motus est Arist. ad agendū de prius substantia, quam de alijs prędicamentis. Prima est, quia sicut fundamentum in domo est illud quod primo iacitur, ita cum substantia sit fundamentum sustentans omnia accidentia, primo debuit de ea agere, antequam de accidentib. Secunda ratio est, quia quāto aliqua sunt perfectiora, tanto magis alijs pręferuntur. Sed substantia est prior omnibus accidentibus tempore, natura, & diffinitione, ex eodē Arist. 7. Diuinorum, ideo voluit Auctor prius tractare de substantia, quā de alijs prędicamentis accidentium.

Diuiditur in primam & secundā. Secundo notandum est. Cur prius Arist. implicite diuiserit substantiam in primam, & secundam, & deinde diffinierit. Respondetur quod omne multiplex siue analogum, siue ęquiuocum, prius est distinguendum, antequam diffiniendum, vt sciamus quomodo membra sint diffinienda. Sed substantia Physice est quoddam multiplex, seu analogū, primo enim dicitur de substantia prima, quæ primo, principaliter & maxime substare dicitur, secundario autem de secūdis substantijs affirmatur, ideo prius fuit implicite diuidenda, antequam explicite esset diffinienda.

Quatuor modis sumitur. Tertio notandum venit, quot modis sumatur substātia, ad hoc vt sciamus quomodo hic consideretur. Omissis ergo modis superfluis, quatuor solum modos apponimus, quibus dicuntur substantia. Primo enim modo sumitur pro substantia immateriali omnino, prout Arist. 12. Diuinorum asserit primam intelligentiam, immo & omnes intelligentias esse substantias. Secundo sumitur pro essentia cuiuscunque rei, secundum quod etiam dicimus quantitatem, qualitatem, & omnia alia prædicamēta habere proprias substantias, i. essentias. Tertio modo sumitur pro substantijs sensibilibus, prout corpora, & partes corporum vocantur substantiæ sensibiles. Quarto modo capitur pro illa re, quæ prædicatur in quid, si est secunda substantia, vel est compositum substantiale subsistens si est prima substātia, & hoc quarto modo agit Arist. de substantia. Quę dicitur suppositū vt subest naturę vniuersali & est quid completū. Dicitur persona vt est natura indiuidua & incommunicabilis in intellectuali tantum natura. Dicitur hypostasis vt substat accidētibus. Dicitur res naturæ intransitiue, i. res quę est natura subsistens incomunicabiliter. Dicitur indiuiduum vt est singularis, vt quod. Vide S. D. p. p. q. 23.

Diuiditur analogice. Quarto videndum est qualis sit ista diuisio substantiæ in primam, & secundā. Nam vel est diuisio generis vniuoci in suas species, vel analogi in analogata, vel rei in suos modos, &c. Non primum, quia substantia hic diuisa nō est genus generalissimum. Non secundum, cum quodlibet prædicamentum vniuoce prædicetur de suis inferioribus. Non tertium, quia

non apparet talis diuisio modorum. Qualis ergo erit ista diuisio? Respondetur, quod hæc diuisio est analogi in sua analogata vt docet. S. D. de pot. q. 9. art. 4. ad sextum. Vnde sciendum est, quod substantia dupliciter sumitur. Primo vt dicitur a per se essendo, & sic vniuoce prædicatur de primis, & secundis substantijs, quia omnes substantiæ sunt entia per se, ad differentiam accidentium, quæ sunt entia in alio .i. in subiecto. Secundo sumitur vt dicitur a substando, & sustentando accidentia, & sic analogice dicitur de primis, & secundis substantiis. Nam prima substantia primo, principaliter, & maxime substare dicitur accidentibus, secunda autem nõ substat, nisi inquantũ primæ substat, & hoc pacto hic diffinitur substãtia, s. vt dicitur a substando, & non a per se essendo directe, & principaliter. Nec sic necessarium est modos participare vnum diuisum vniuoce.

Per diuersos modos. Quinto animaduertendum est, quod hæc diuisio substantiæ in primam, & secundam potest dupliciter intelligi. Primo vt dicatur diuisa per duos modos reales. Secundo per duos modos intentionales, sed diuersimode, si sumatur primo, & secũdo mõ. Si enim consideremus diuisionem primo modo, in vno membro est includendum hoc, s. particulariter existere, quod ab alio est negandum. Nam in prima substantia includitur, vt sit sensus. Prima substantia particulariter existit. Secunda vero substantia particulariter non existit. Si autem intelligatur diuisa secundo modo, i. per modos intentionales, sic erunt duo modi, quorum vnus non includit alterum, & isti modi sunt particulariter concipi, & vniuersaliter concipi, Prima enim substantia singulariter concipitur. Secunda vniuersaliter, & vterque sensus bonus est, sed primus intenditur a Methaphysico, & a Logico secundus, & ideo in secundo modo sistendum est, sic autem, inter primum, & secundum modum saluatur analogia proportionalitatis, quæ excludit conceptum præcisum ab analogatis.

Definitio explicatur. Sexto accedendo ad diffinitionem substantiæ sciendum est, quodnam sit diffinitum in hac definitione & quænam diffinitio. Diffinitum ergo erit hoc totũ, substantia, quæ proprie, principaliter, & maxime substare dicitur, per has enim particulas Arist. voluit explicare naturam primæ substantiæ hic diffinitæ, vnde deducit Caietanus, quod male legunt illi qui sic dicunt. Substantia est, quæ proprie, principaliter, &c. nam ly est, adiungendum est diffinitioni, quæ in hoc consistit, quod neque in subiecto est, neque dicitur de subiecto.

Per partes. Septimo notandæ sunt singulæ particulæ positæ in diffinitione primæ substantiæ, oẽs. n. cõsulto positæ sũt. Tres aũt particulæ sunt expressæ. Prima est, ꝙ proprie, scda ꝙ principaliter, & tertia quod maxime substare dicatur, sed quarta est etiam subintelligenda. s. immediate. Dixit proprie, quia substãtia dupliciter sumi potest. Primo pro essentia cuiuscunque rei. Secundo pro re per se stante, & alia sustentante, vt supra, & hoc secundo modo dicitur proprie substantia, primo autem modo cõmuniter, & ideo primus modus intelligitur exclusus. Secũda particula est ly principaliter, quia primæ & secundæ substantiæ accidentibus substant, sed tamen diuersimode, nam primæ primo substant, & secundæ secundario, nam inquantum Sortes & Plato &c. dicuntur albi, homo potest dici albus. Tertia particula est ly maxime, quia nullum est ens, quod magis accidentibus substet substantia ipsa. Subintelligenda est tamen altera particula nempe quod immediate substet, quia materia quæ pro-

proprie non est prima substantia, sed eius pars accidentibus substat, non tamen immediate, sed mediante composito, i. inquantum compositum materiale substat accidentibus.

Definitione. Octauo notandum, quod prima substantia diffinitur per non esse in subiecto, nec dici de subiecto: Vbi per has duas particulas habes diffinitionem. Prima ergo particula est, quod prima substantia non sit in subiecto, ad hoc vt sciamus differentiam repertam inter ipsam, & accidens particulare, nam accidens particulare, & si quidem non dicatur de subiecto, est tamen in subiecto. Secunda particula fuit, quod neque dicitur de subiecto, ad hoc vt penetremus substantiam primam esse quoddam particulare, diuisum non solum contra secundas substantias, verum etiam contra accidentia communia, quæ de subiecto dicuntur.

Dubia.

Qvoad tertium principale duo sũt dubia contra supradictam diffinitionem. Primum est, quia bona diffinitio nõ debet dari per negationes, hæc datur per negationes, s. per non esse in subiecto, neque dici de subiecto, ergo non est bona diffinitio.

Secũdum est, quia quæritur quod nam sit diffinitum hac diffinitione, vniuersale ne, vel singulare. Quod.n. diffinitum non sit singulare ex eo videtur, quia singularia relinquenda sunt ab arte per Platonem, quia ipsorum non est scientia per Arist. primo Post. cap. 9. Ex altera parte videtur, quod non sit diffinitum vniuersale, quia illud quod non prædicatur de multis, nec est in multis, non est vniuersale. Talis est prima substantia, vt patet in textu. Ergo &c.

Ad primum respondetur, quod in diffinitione hoc est subintelligendum, quod prima substantia secundũ id quod est, neque est in subiecto, neque dicitur de subiecto, ex qua particula constat, quod non datur per simplices negationes. Aduertendum tamen ne velimus hanc diffinitionem conuenire partibus substantiæ, vel differentijs, vel principijs, quod dum dicimus prima substantia secundum id quod est, neque est in subiecto, neque dicitur de subiecto, subintelligimus, quod prima substantia secundũ id quod vere est in recta linea prædicamentali, neque est in subiecto, neque dicitur de subiecto, & hoc ad differentiam animæ, materiæ, partium substantiæ, v.g. capitis, brachiorum &c. quibus conueniret, si hoc pacto non explicaretur.

Ad secũdum vt recte respondeamus, Primo videbimus, vtrum indiuiduum vagum de pluribus prædicetur, adducendo rationes pro vtraque parte. Secundo ponemus aliqua fundamenta pro explicatione quæstionis. Tertio satis faciemus argumentis.

Opiniones. Quoad primum ergo fuit multorum opinio, quod Indiuiduum vagũ non prædicetur de multis secundum rem, sed solum secundum nomen, seu vocem, quod probabant tripliciter. Primo, quia Porphyrius esset diminutus non tractando de indiuiduo vago in prædicabilibus, si prædicatur de multis re, & nomine.

Secundo, quia sic essent sex prædicabilia.

Tertio, quia non esset verum præceptum Platonis, quod in specialissimis sistendum erat, cum sola specialissima prędicentur.

Alij tamen inter quos sunt peritiores Thomistę, tenent Indiuiduum vagum re, & nomine de pluribus prædicari, quę opinio primo fundatur in dictis S.D. in quæstionibus de Potentia quæst. nona art. 2. ad primum, vbi aper-

aperte ait. Indiuiduum vagum de pluribus prædicatur, non solum nomine, verum etiam significato.

Secundo probatur ratione, quia modus existendi singularium, quem indiuiduum vagum significat, i. particulariter existere pluribus conuenit re, & nomine.

Indiuiduū tria dicit.

Quoad secundum ergo primo cōsiderandum est, quod in Indiuiduo vago tria reperiuntur. Primum est natura vniuersalis, v.g. in aliquo homine natura humana. Secundum est modus existendi huius naturæ in hoc indiuiduo puta in Petro, qui est particulariter existere, nam natura humana in Petro non existit vniuersaliter sed particulariter. Tertium sunt principia indiuiduantia, i. hæ carnes, & hæc ossa clarum est autem quod natura communis de pluribus prædicatur re, & nomine. Clarum est quoque, quod principia indiuiduantia ita in hoc singulari existant, quod de pluribus affirmari non possunt. Ita quoque mihi videtur notū, quod indiuiduum vagum prout modum existendi singularium importat, i. singulariter existere, prædicetur re, & nomine de pluribus indiuiduis signatis, quia vere, & realiter omnia indiuidua in hoc modo existendi. i. singulariter conueniunt.

Dicit modum quo indiuidua particulariter subsistunt.

Secundum fundamentū est, quod quando in diffinitione substantiæ dicimus diffiniri rem singularem, quæ neque est in subiecto, neque dicitur de subiecto, de duplici re possumus loqui. Primo de supposito, seu composito, & sic verissimum est, quod cōpositum non est in subiecto, neque de subiecto dicitur. Secundo possumus loqui de illo modo quo omnia particularia, & indiuidua subsistunt, & consequenter vt quo prædicabitur de multis, sicut est in multis.

Tertium fundamentum est, quod alicuius rei diffinitio bifariam intelligi potest. Primo pro re præcise diffinita. Secundo pro re vt stat sub intentione vniuersaliter subsistendi, vel particulariter, & hoc secundo modo intelligimus esse diffinitam primam substantiam. Sed argumentatur Nouitius: Si diffinita est secundo modo, cur Aristoteles hoc non expressit, immo oppositum affirmauit dicendo, quod neque est in subiecto, neque dicitur de subiecto? Respondetur quod directa intentio Arist. fuit diffinire primam substantiam vt substat accidentibus, & quia non solum indiuiduum signatum, verum etiam indiuiduum vagum accidentibus substare dicitur, ideo etiam adiunxit exēplum de indiuiduo vago. Sed adhuc non quiescit intellectus, quia de prima substantia negatur dici de subiecto, indiuiduum autem vagum dicitur de subiecto. Sed respondetur, quod prædicari de subiecto stat dupliciter. Primo vt quod & sic tantum conuenit generi, & speciei pro suo substrato vt quod, & pro secunda intētione vt quo nisi relatiue sumatur, quæ prædicantur vt naturæ vniuersales. Secundo vt quo. i. secundum quendam modum existendi pluribus communem, & hoc modo prædicatur indiuiduū vagum, & quia Arist. considerabat modum prædicandi cōueniens quinque prædicabilibus, qui est modus prædicandi vt quod, ideo dixit quod prima substantia non sic dicitur. Modus ergo particulariter subsistēdi prædicatur vt quo, quia eo mediante omnes primę substantię dicūtur subsistere incommunicabiliter, .i. quod alteri non communicātur, nec sicut accidens subiecto, nec vt vniuersale particulari, nec sicut pars toti, nec sicut, eadem forma suppositis, sicut cōmunicatur diuina essentia tribus personis, vel eius concretum .s. sic Deus.

Prædicatur vt quo

Argumēta soluuntur.

Ad primum dico ergo, quod Porphyrius non est diminutus, quia non pro-

promisit tractare de quocunque prædicabili, si .n. hoc promisisset, & non seruasset fuisset mēdax. Secūdo dico, quod duplex est modus prædicandi. Primus est secundum rem, seu naturam communem, quod est prædicari vt quod, & hic modus prædicandi non conuenit indiuiduo vago. Alius est modus prædicandi modalis, seu secū dum quendam modum, prout aliqua particulariter, vel vniuersaliter dicūt subsistere, & de hoc secundo modo Porphyrius non assumpsit prouinciā tractandi, sed tantum de primo, & per hoc patet solutio ad secundum Hic autem modus non est substantia. Quia non substat accidentibus, sed est modus substantię, s. est substantia vt quo, & non vt quod, & sic a Logico consideratur, a Metaphysico, vero vt est pars entis per se stantis.

Ad tertium dicimus verissimum esse Platonis præceptum, sed sciendum, quod duplex est diuisio, Vna dicitur formalis, qua genus diuiditur in suas species. Alia vocatur materialis, qua species diuiditur in indiuidua, per diuersa principia indiuiduantia. Iubet ergo Plato esse sistendum in specialissimis quo ad diuisionem formalem, non autem quoad materialem, quæ conuenit indiuiduis.

Ad primum autem principale quo probabatur singulare nullo modo esse diffinibile, pro nunc dico, quod singulare vt singulare est materiale, & corruptibile non est diffinibile, sed vt stat sub aliqua secunda intentione, hoc est particulariter subsistere, vtique diffinitur. Vel secundo dicas, quod hæc non est propria diffinitio, quæ solum conuenit materialibus, sed est quædam descriptio communis rationis singulariū. Vel tertio dicas, quod vnum singulare non est diffinibile, sed ratio communis singularium, i. particulariter subsistere diffinibilis est, & diffinitur.

LECTIO IX.

SEcundæ autem substantiæ dicuntur species, in quibus illæ, quæ principaliter substantiæ dicuntur, insunt: & hæ quidem & harum specierum genera; vt aliquis homo in specie quidem est in homine, genus vero speciei animal; secundæ igitur hæ substantiæ dicuntur: vt est homo, atque animal.

DIffinita prima substantia, quæ proprie, principaliter, & maxime substare dicitur, accedit Philosophus ad diffiniendam secundam substantiam. Vnde.

Primo habeas Aristotelem dicere, quod secundæ substantiæ vocantur genera, & species, in quibus sunt primæ substantiæ. Pro maiori autem intelligentia horum, notandum est dissidium etiam supra tactum inter hos terminos natura, suppositum, essentia, prima substant a, & secunda substantia. Prima ergo substantia idem realiter significat quod suppositum, vt supra, Res naturæ, hypostasis, & subsistentia, sed distinguitur ratione, nam tria vltima significāt primā substantiam in esse reali, suppositum vero quod est primum in esse intentionali, vnde suppositum nomen intentionis est, & idem sonat quod alteri subiectum. Subsistentia significat esse non in alio, sicut in alio sunt accidentia, Res naturæ significat rem alicuius vni suppositam, & distinguitur contra ens in anima, hypostasis idem sonat quod subiectum accidentium. Persona vero importat rationalis naturæ indiuiduam substantiam. Secundæ vero substantiæ dicuntur communes naturæ, sed vt specificæ, seu genericæ, vt homo, & animal, quæ habent *Nomina substātiarum.*

esse

esse in pluribus singularibus & indiuiduis. Non quod formalis ratio secundæ substantiæ sit esse genus vel speciem, est enim per se esse, & secundario accidentibus substare, sed quia ratio secundę substantiæ, eis connectitur.

Substātia prima primo per se existit.

Aduertendum secundo, quod substantiæ dupliciter cōsiderari possunt. Primo quoad esse essentiæ, i. inquantum sunt quædam essentiæ, vel naturæ, per se subsistentes, i. non alijs inhærentes. Secundo quoad esse subsistentiæ in esse reali, & actuali in rerū natura, seorsum, & per se. Si substantiæ primo modo considerentur, sic ratio substantiæ primo secundis substantijs conuenit, quia sic sunt quædā naturæ ab inferioribus participatæ, s. a singularibus. Si vero considerentur secundo modo, sic ratio substantiæ primo conuenit primis substantijs, quia secundæ non existunt, nisi inquātum existunt in primis, & hoc secundo modo magis Arist. considerauit substantiam quam primo modo.

Vt quod.

Aduertendum tamen tertio, quod magis conueniat primis substantijs subsistere, potest adhuc bifariam intelligi. Primo vt quo, ita vt ratio qua substantia prima dicitur subsistere, & ratio qua secundæ substantiæ subsistere dicuntur, primo conueniat primis substantijs, & secundo secundis, & hoc falsum est, quia secundæ substantiæ cum sint naturæ communes, & vniuersales, sunt quo primæ substantiæ subsistere intelliguntur, Sortes enim non dicitur homo, nisi mediante humanitate. Secundo potest intelligi de subsistere vt quod in rerum natura, sustentando accidentia, & sic subsistere vt quod, primo conuenit primis substantijs, & non secundis, nisi secundario, quia primæ substantiæ sunt illæ, quæ vere, & realiter subsistunt, & sustentant accidentia realia, & realiter, & sic subsistere conuenit tantum singularibus substantijs, sicut & inhærere realiter non cōuenit accidentibus, nisi in ordine ad primas substantias.

In eis secundæ substātiæ subsistunt.

Aduertendum quarto, quod aliter accidentia sunt in subiecto, & aliter secundæ substantiæ in primis, & aliter primæ in secundis, nam accidens est in subiecto non tanquam in quodam sibi intrinseco, & suæ naturæ, sed tanquam in quodam sustentatiuo diuersæ naturæ. Secundæ autem substantiæ sunt in primis quoad actualem existentiam, quia secundæ substantiæ non existunt nisi inquantum primæ existunt, primæ autem sunt in secundis tanquam in quibusdam vniuersalib. Vnde continentia secundarum substantiarum in primis vocatur actualis, & primarum in secūdis dicitur virtualis.

Quoad secundum principale. Primum dubium est, quia differentiæ videntur esse secundæ substantiæ, cum differentiæ specificæ sint essentiæ rerum, vt rationalitas hominis, & tamē de eis nulla facta est mentio.

Secundum est, quia dicitur, quod species, & genera vocantur secundę substantię, indiuidua vero primæ. Contra. Illud dicitur prius a quo non conuertitur subsistendi consequentia. Sed a generibus ad indiuidua nō conuertitur cōsequentia, valet enim: Sortes est homo, ergo animal, nō autem valet, est animal, seu homo, ergo Sortes, ergo primæ sunt secundæ, & secundæ primæ.

Ad primum dicimus, quod substātia potest dupliciter considerari. Primo pro re, quę vere, & realiter est substantia, & significat substantiam. Secundo pro re, quę est substantia, quæ tamen habet modum significandi accidentis, seu qualitatis, &c. quod in idem redit, quod substantia dicitur dupliciter. Primo secundum rem, & modum. Secundo secundum rem,

sed

sed non secundum modum, & quia Arist. hic tractabat solum de substantia, quæ secundum rem, & secundum modum substantia dicitur, ideo reliquit differentiam, quæ quamuis sit substantia, tamen significatur per modum qualitatis determinantis, vnde supradictum est, quod differentia non prædicatur in quid, sed in quale quid.

Pro solutione secundi dubij primo notandum est cum Caietano, quod substantia dupliciter sumitur. Primo vt dicit esse per se, & non in alio. Secũdo vt dicit esse per se, & sustentationẽ accidentiũ. Primo modo dicitur a per se essendo, secundo modo a substando, & primo modo dicitur de secundis substantijs, & secundo de primis, vt supra notatum fuit.

Secundo sciẽdũ ꝙ Prius pro nunc dupliciter sumit. Primo in essẽdo, v. pro eo a quo non conuertitur subsistendi consequentia, quia vnum est altero vniuersalius. Secundo dicitur prius in causando, in quantum vnum est cã alterius. Primo mõ secundæ substantiæ sunt priores, sed secundo modo primæ, quia secundæ non substãt accidentibus nisi quia primæ substãt, nisi enim primæ substarent, nec secundæ substarent, vnde in actu exercito tribuitur primis.

Ad argumentum ergo respondetur, quod procedit de priori in essendo, & nos loquimur de priori in causando. Secundo respondetur, quod duplex est indiuiduum .s. signatum, & vagum. Primum missum facimus, de secundo autẽ dicimus, quod quo ad subsistentiam (de qua in præsenti agimus) ad ipsum conuertitur consequentia, vnde valet, homo est substãtia, ergo aliquis homo est substantia, & e conuerso. Tertio respondetur, quod esse prius singularibus stat dupliciter. Primo loquendo de vno singulari præcise. Secundo loquendo de omnib. simul sumptis, tunc dicimus, quod quamuis homo sumptus pro secunda substantia sit prior hoc, & illo homine, præcise, & diuisim sumptis, & sic ratione diuersorum possit pluribus accidentibus extensiue substare, non tamen est prior omnibus collectiue, & simul sumptis, quia non inuenitur homo, præter omnes homines, nec sic extensiue, vel intensiue pluribus accidentibus substat, vel magis.

LECTIO X.

Manifestum est autem ex his quæ dicta sunt, quod eorum quæ de subiecto dicuntur, necesse est & nomen & rationẽ de subiecto prædicari: vt homo de subiecto aliquo homine prædicatur, & ratio quoque hominis de subiecto aliquo homine prædicabitur; quidam enim homo, & homo est, & animal rationale, mortale, quare & nomen & ratio prædicabitur de subiecto. Eorum vero, quæ in subiecto sunt, in pluribus quidem neque nomen de subiecto, neque ratio prædicabitur. In aliquibus autem nomen quidem nihil prohibet prædicari aliquando de subiecto, rationum vero impossibile est prædicari, vt album cum in subiecto sit, vt in corpore, prædicatur de subiecto, dicitur enim corpus album, ratio vero albi nunquam de corpore prædicabitur.

Alia vero omnia aut de subiectis dicuntur primis substantijs, aut in subiectis eis sunt; hoc autem manifestum est ex his, quæ per singula proponuntur, vt animal de homine prædicatur: ergo de aliquo homine prædicabitur. nam si de nullo aliquorum hominum, neque omnino de homine.

Rursus color in corpore est: ergo & in aliquo corpore: nam si non aliquo singulorum, nec omnino in corpore. Quare alia omnia aut de subiectis primis substantijs dicuntur, aut in subiectis eis sunt. Non ergo existentibus primis substantijs impossibile est esse aliquid aliorum: omnia enim alia aut de substantijs eisdem dicuntur, aut in substantijs eisdem sunt.

Secundarum vero substantiarum, magis substantia est species quam genus: propinquior enim est primae substantiae. Siquis enim assignet primam substantiam quid est, euidentius & conuenientius assignabit speciem proferens quam genus, vt quendam hominem aliquis assignans, manifestius assignabit, hominem quam animal assignans: illud enim proprium magis alicuius hominis, hoc autem commune. Et cum aliquam arborem assignabit manifestius assignabit cum arborem reddiderit, quam plantam. Amplius primae substantiae, eo quod alijs omnibus subiectae sunt, & alia omnia aut de his praedicantur, aut in eis sunt, ideo maxime dicuntur substantiae. Sicut autem primae substantiae ad alia omnia se habent, & sic species ad genus se habet. subiacet enim species generi: genera enim de speciebus praedicantur, species autem cum generibus non conuertuntur: quare & ex his species magis genere substantia est.

Ipsarum vero specierum, quaecunque non sunt genera, nihil magis alterum altero substantia est, nihil enim familiarius assignabis de aliquo homine hominem assignando, quam de aliquo equo, equum.

Similiter autem & in primis substantijs, nihil magis alterum altero substantia est, nihil enim magis aliquis homo substantia est, quam aliquis bos.

Merito autem post principales substantias sola aliorum omnium species & genera dicuntur esse secundae substantiae. Eorum enim, quae praedicantur primas substantias sola haec indicant aliquem enim hominem siquis assignauerit quid est, si speciem protulerit conuenientius assignabit, quam si genus & manifestius faciet assignando hominem quam animal. Aliorum vero quicquid assignauerit quilibet, assignabit extranee: velut albũ, aut currit, aut quodcũque taliũ reddens. Ergo merito haec sola aliorũ secundae substantiae dicuntur. Amplius primae substantiae, eo quod alijs omnib. subijciuntur, vel in ipsis sunt, idcirco propriissime substantiae dicuntur. Sicut autem primae substantiae ad omnia alia se habent, ita primarum substantiarum genera & species ad omnia reliqua se habent. de his enim omnia reliqua praedicantur. aliquem enim hominem dices grammaticum esse: ergo & animal & hominem grãmaticum dices. similiter autem & in alijs.

Explicatis diffinitionibus tum primae, tum secundae substantiae, Arist. accedit ad ostendendum rationes, & modos secundum praedicationem de prima substantia, quaerendo pariter, quae eorum magis digna censeatur nomine substantiae.

Primo ergo memoriae mandandũ est, quod tria sunt quae de prima substan-

Secundæ substantiæ prædicantur de primis re, & nomine.

stantia prædicari possunt, s. secundæ substantiæ, accidentia abstracta, & accidentia concreta. Secundæ substantiæ dicuntur genera, & species, Accidentia abstracta dicuntur accidentia significata in abstracto, vt albedo, & nigredo. Accidentia vero concreta appellantur accidentia significata prout sunt in subiecto, sicut album, & nigrum, quæ denominant albedinē, & nigredinem. Tunc subdit Phylosophus, quod secūdæ substantiæ prædicantur de primis secundum rem, & rationem. Accidentia abstracta nō prædicantur nec secundum nomen, nec secundum rationem, sed concreta prædicantur secūdum nomen, sed non secundum rationem.

Explicatur.

Aduertendum est ergo secundo quid sit prædicari secundum nomen, & secundum rationem, vt notior fiat intellectus Arist. Prædicari ergo de aliquo nihil aliud significat, quam quod prædicatum conueniat illi rei de qua prædicatur, vnde prædicari secundum nomen, significat nomen prædicati conuenire subiecto. Sed nomen prædicati conuenire subiecto stat dupliciter. Primo secundum substantiam, quando illud nomen significat substantiam subiecti, vt animal hominis, & homo Socratis, vel Platonis. Secundo solum secundum significatum nominis, seu intrinsecū seu extrinsecum. In vniuocis nomen prædicatur primo modo, in alijs vero secundo modo, & hic sensus pro nunc magis videtur intētus ab Arist. quia accidētia hoc scdō modo prædicātur nomine de primis substāt is, i. denominando eas. Prædicari autem ratione est, quod ratio, seu diffinitio prædicati subiecto conueniat, quæ etiam ratio duplex esse potest. Prima totalis, explicans totam naturam rei intrinsece. Secunda partialis, explicans quidem naturam rei intrinsece, non tamen totaliter, sicut dicimus, quod subiectum hoc modo est de ratione prædicati, & corpus de ratione animæ. Primo modo saluatur in vniuocis, & in his quæ prædicantur secundum primum modum perseitatis. Secundo modo saluatur in alijs, quæ prædicantur in secundo modo perseitatis, vt latius in posterioribus habebitis. Est ergo sensus, quod ratio, & nomen secundarum substantiarum primis conuenit, accidentiū vero, & tantum concretorum solum nomen eis conuenit.

Declaratur textus.

Tertio animaduertenda sunt aliqua ex textu. Primum, quod Arist. dixit esse manifestum, quod secundæ substantiæ prædicantur de primis, & re, & nomine, quia superius .i. in antepredicamentis declarauerat naturam æquiuocorum, vniuocorum, & denominatiuorum, & diuisiones eorum, quæ sunt in subiecto, & prædicātur de subiecto, patet autem quod secundæ substantiæ vniuocè prædicantur de primis, & quod accidentia concreta sunt in illis. Secundo animaduertite ex eodem textu, quod Arist. reddens rationem cur accidens concretum prædicetur nomine de subiecto, habet, quia est in subiecto, vnde notate, quod esse in subiecto stat dupliciter. Primo quoad realitatem, sed non quoad modum significandi. Secundo quoad realitatem, & modum significandi. Accidens abstractū est in subiecto primo modo, quia non potest dari accidens de facto, quod non sit in subiecto, sed quia non significatur vt in subiecto, sed vt in abstracto, ideo tantum affirmauit de accidente concreto prædicari secūdum nomen de subiecto, quia hoc tale & est, & significat inhærentiam in subiecto.

Accidens concretū prædicatur de substātia re, & quō.

Aduertendum quarto circa eundem textum, quod accidēs concretū non prædicetur re, & nomine de subiecto pōt dupliciter itelligi, vt supra an-

nuimus. Primo de substantia, prout habet rationem substantiæ. Secundo de substantia inquantum induit rationem accidentis, v.g. quatenus Petrus est albus, vel niger. Primo modo intelligendus est Arist. nam secundo modo prima substantia habet rationem subiecti, & accidens concretum, prædicati re, & nomine, quia Petrus albus non solum nomine est albus, verum etiam re, quia realiter est albus, & non niger. Dicitur autem nomen albi prædicari de subiecto, quia v.g. Petrus erit albus, non vero ratio .i. definitio albi, vt explicat Albertus, quia definitio albi non explicat naturam Petri.

Prima substãtia alia sustẽtatant. Aduertendum quinto, quod deinceps Arist. comparat primas substantias omnibus alijs, & ait, primas substantias duo particulariter habere. Primum est sustentare omnia alia, quod probat, quia nisi essent indiuidua non essent species, & nisi esset aliquis homo, non esset homo. Secundum quod docet est, q. destructis primis substãtijs impossibile est aliquid aliud remanere .s. quod habeat rationem totius, vt excludamus materiam, & animam, & ratio est, quia tũ accidentia, tum secundæ substantiæ in primis sustentantur. Exemplificat autem quoad substantias secundas de generibus, & quoad accidentia de accidentibus in abstracto, quod fecit arguendo a fortiori, quia cum genera sint ab indiuiduis remotiora quã species & accidentia abstracta, quam concreta, si ipsa non possunt sine primis esse, ergo nec minus ea, quæ sunt propinquiora.

Species sũt magis substãtia quam genera. Aduertendum est sexto, quod deinde Arist. comparat secundas substantias adinuicem, & ait, secundæ substantiæ sunt genera, & species, sed magis sunt substantiæ species, quam genus. Probatur. Illud est magis substantia, quod est primis substantijs propinquius. Sed species sunt propinquiores primis, quam genera, ergo sunt magis substantiæ. Maior patet, quia quanto magis aliquid appropinquat calori, tanto magis fit callidum, Minor probatur, quia ad interrogationem factam de prima substãtia, rectius responderetur per speciem, quam per genus. Petenti enim quid est Sortes? rectius dicitur est homo, quam dicatur, est animal.

Vt substãtia dicitur a substando. Aduertendum septimo circa hæc, quod ista sunt intelligenda de substantia vt dicitur a substando, i. inquãtum est sustentatiua accidentium, & non vt dicitur a per se essendo. Primo enim modo magis substat homo, quam animal, vt propinquior. Secundo autem modo eadem ratione dicitur substantia de primis, & secundis.

Fallit in specialissimis. Aduertendum octauo, quod Arist. deinde comparat species, & indiuidua adinuicem, & habet, quod species specialissimæ hoc retinẽt, vt vna non sit magis substantia quam alia, & loquitur de specieb. specialissimis, quia si vna esset subalterna, & altera specialissima, vna esset altera magis substantia, quod & dicimus de primis substantijs ratione superiori, negata a generibus Hoc autem intelligitur intensiue, quia s. magis appropinquat indiuiduis, quæ propria virtute substant, nam extensiue superiora pluribus substant.

Genera, & species sunt tantum secundæ substãtiæ. Aduertendum nono, quod deinde Arist. subinfert, secundas substantias esse solũ genera, & species, quod dupliciter probat. Primo, quia solum illæ sunt secundæ substantiæ, quæ indicant quid sint primæ. Sed ad interrogationem factam de prima substãtia, solum respondemus per genus, & species, ergo. Secundo, quia secundæ substãtiæ solum habent subiacere accidentib. sicut habent & primæ.

Et differentiæ. Aduertendũ decimo, quod Arist. per genera, & species intellexit etiam dif-

differentias, nam intellexit loqui de omnibus his, quæ sunt realiter idem cum generibus, & speciebus, modo differentiæ nō differunt realiter (saltem Physice) a generibus, & speciebus, sed bene accidentia, ideo exclusit accidentia, & non exclusit differentias secundum rem.

Dubia.

QVoad secundum principale primum dubium versatur circa illam propositionem. Destructis primis substantijs, impossibile est aliud remanere. Contra. Per Porphyrium in Prædicabilibus, destructis singulis animalibus, adhuc remanet animalis ratio, ergo falsa est ꝓpositio Arist.

Confirmatur, quia argumentum procedit ab inferiori ad suum superius, sic autem arguere non est bonum.

Secundum dubium est, contra illud dictum, quod species est magis substantia, quam genus. Contra. Oppositum habet Arist. 8. Meth. s. genus esse magis substantiam, quam species.

Tertium dubium est circa illud dictum, quod solum substantiæ sunt genera, & species. Contra. Substantia vt dicitur Vsia etiam accidentibus conuenit, ergo non solum generibus, & speciebus substantiæ.

Ad primum Respondetur, quod secundæ substantiæ dupliciter considerari possunt. Primo quoad essentias, quatenus dicuntur vniuersales, in pluribus reperibiles, perpetuæ, & incorruptibiles. Secundo quoad existentias, & subsistentias, inquantum existunt in primis. Dictum Porphyrij intelligitur primo modo, & Arist. secundo modo. Vel dicamus, quod aliud est loqui de secundis substantijs vt rationes vniuersales sunt, & connexionem terminorum dicunt, & aliud est loqui prout sunt essentiæ, aptæ natæ existere in indiuiduis. Primo modo possūt esse sine primis substantijs, quia sic habēt esse obiectiuū, & veritatem perpetuę propositionis, s. quod homo sit animal rationale, nullo existente homine. Secundo autem modo non, quia sic intelliguntur habere esse reale. Tertio dicimus, quod verus sensus Phylosophi est, destruere opinionem Platonis circa Idæas, per assumptam propositionem.

Ad confirmationem dicitur, quod arguere ab inferiori ad superius stat dupliciter. Primo insufficienter arguendo, ab hoc solum, vel illo solum inferiori. Vel secundo sufficienter, arguendo ab omnibus, & singulis inferioribus, sufficienter enumeratis. Primo modo non tenet consequentia. Secundo sic, non enim valet. Petrus currit, & Paulus currit, ergo homo currit, sed bene valet, Petrus currit, & Paulus currit, & sic de singulis, & omnibus hominibus, ergo homo currit, & hoc secundo modo argumentatus est Arist.

Ad secundum dicendum, quod quatuor modis vna dicitur magis substantia alia. Primo quoad nobilitatem, quo pacto intelligentiæ vocatæ sunt ab Arist. primæ substantiæ. Secundo quoad notitiam, quo iure substantię sensibiles magis vocantur substantiæ, vt magis notæ, insensibilibus substantijs. Tertio modo quoad substare accidentibus, quia vna magis substat accidentibus alia. Quarto modo quoad abstractionem, quia vna substantia est abstractior altera, & hoc quarto modo locutus est in octauo Methaphisicæ, & nos loquimur tertio modo, non negantes quod primæ substantiæ sunt nobiliores secundis in esse existentiæ, & si secundæ sint præstantiores in esse essentiæ.

Ad tertium dictum iam est, quod

Vsia

Vsia .i. essentia impropriè dicitur substantia.

LECTIO XI.

Commune est autem omni substantiæ in subiecto non esse. prima enim substantia neque de subiecto dicitur, neque in subiecto est. Secundarum vero substantiarum constat quidem etiam sic, quod nulla est in subiecto. etenim homo de subiecto aliquo homine dicitur, in subiecto autem nullo est, neque enim in aliquo homine homo est, similiter animal de subiecto quidem dicitur aliquo homine, non est autem animal in aliquo homine. Amplius, eorum, quæ sunt in subiecto, nomen quidem de subiecto aliquando nihil prohibet prædicari, rationem vero impossibile est prædicari, secundarum vero substantiarum de subiecto ratio prædicabitur & nomen, rationem enim hominis & animalis de aliquo homine prædicabis, ergo non erit horum substantia, quæ sunt in subiecto.

Non est autem proprium substantiæ hoc: sed & differentia eorum est, quæ in subiecto non sunt, bipes enim & gressibile de subiecto quidem homine dicitur, in subiecto autem nullo est, non enim in homine est bipes, neque gressibile. Ratio quoque differentiæ de illo dicitur, de quo ipsa differentia prædicatur, vt si gressibile de homine dicitur, & ratio gressibilis de homine prædicabitur: est enim homo gressibilis.

Non nos vero conturbent substantiarum partes, quæ ita sunt in toto, quasi in subiecto sint: ne forte cogamur confiteri non eas esse substantias, nō enim ita ea, quæ sunt in essent alicui in subiecto dicebantur, quasi vt partes.

Scientia prædicamentorū in duas partes principales secatur. In prima Phylosophus agit de diffinitionibus prædicamentorum, vt in prædicamento substantiæ de diffinitione primæ, & secundæ substantiæ, & sic in alijs prædicamentis. In secunda vero parte principali agit de proprietatibus singulorum prædicamentorum. Completa ergo prima parte prædicamenti substantiæ, secundo loco secundam partem aggreditur, tractando de proprietatib. substantiæ. Nos igitur in hac lectione primo explicabimus primam communitatem substantię. Secundo dubitabimus.

Quoad primum primo animaduertendum est. Phylosophum dicere, commune esse omni substantiæ in subiecto non esse, & hoc probat dupliciter. Primo inductiue, quia non conuenit nec primis, nec secundis, igitur nulli substantiæ. Antecedens probatur. Primæ enim substantiæ neque sunt in subiecto, neque dicuntur de subiecto, secundę vero & si sint in primis, non tamen dicūtur de subiecto. Secundo hoc probat particulariter de secundis substantijs. Illa quæ sunt in subiecto, non prædicātur nomine, & ratione de subiecto, sed tantum nomine, vt supra ostensum est, sed secūdæ substantiæ prædicantur de primis nomine, & ratione, igitur. *Cōmune est omni substātia ī subiecto non esse.*

Secundo notanda sunt aliqua ex textu. Primum, quod dixit commune est omni substantiæ in subiecto non esse, & voluit nos intelligere, hoc non esse proprium lātum primæ substantiæ, vel tantum secundæ, sed omnibus. Secundo notandum, quod dixit in subiecto, intelligendo de subie- *Ex textu.*

cto inhæsionis, & non prædicationis, vnde vt res clarior fiat.

Subiectū inhæsionis, & prædicationis. Tertio notate, quod duplex est subiectum, vt sæpius diximus. Primum vocatur subiectum inhæsionis, & hoc modo solum accidentia habent tale subiectum, quia de essentia eorum est inhærere subiecto, cum accidentis esse, sit inesse. Secundum dicitur subiectum prædicationis, quod .s. ponitur vt inferius sub suo prædicato, vt in hac propositione. Sortes est homo, Sortes dicitur subiectum, homo prædicatum, & hoc secundo modo conuenit etiam secundis substantijs in subiecto esse.

Negatio hæc īfert positiuū. Quarto notate, quod hæc negatio substantiæ non sunt in subiecto, ad duo potest refferri. Primo vt sonet simplicem negationem, & hoc modo non sumitur hic, quia nulla negatio est proprietas substantiæ, cum substantia sit ens reale, & habeat passiones reales. Secūdo vt ponatur ad hoc vt circumloquatur naturam substantiarum, prout per negationes aliquā rem circumloquimur præsupponendo aliquam affirmationem, & hoc modo ponitur in præsenti, vt sit sensus. Substantiæ sunt entia per se, quæ non sunt in subiecto. Dicit autem quod non sunt in subiecto, circumloquendo naturam substantiæ, inquantum differt ab accidentibus, quæ sūt in subiecto.

Est cōmunitas & pprietas. Quinto notandum, quod substantijs sit commune non esse in subiecto, & non proprium, potest bifariam intelligi. Primo loquendo de omnib. substantijs secundum rem, & modū, vel secundum rem quidem, sed non secundum modum, & sic hæc non est proprietas, sed communitas, nam differentiæ substantiales quæ realiter sunt substantiæ, quamuis non habeant modum substantiæ, nec ipsæ sunt in subiecto. Secundo loqui possumus tantum de his substantijs, quæ secundum rem, & modum dicūtur substantiæ, & sunt in recta linea prædicamentali, & non a latere, sicuti sunt differentiæ, & sic hæc erit proprietas conueniens omni tali substātiæ, & soli substantiæ completæ, & semper, sed quia Arist. videtur primo modo locutus, ideo dicta est communitas, non proprietas. Loquimur autē hic de differentijs proprijssimis facientibus aliud, quæ dicuntur essentiales, hæ enim prędicantur re, & nomine, & in hæ sue non sunt in subiecto, vt propriæ, & communes.

Differentijs conuenit. Sexto notate, quod Phylosophus volendo probare differentijs conuenire non esse in subiecto adducit talem rationem. Illa quæ sunt in subiecto, non prædicantur re, & ratione de subiecto. Sed differentiæ prædicātur re, & ratione de subiecto ergo. Maior est nota ex superioribus. Minorem probat exemplificādo de hac differentia gressibile, gressibile enim re, & ratione de homine prædicatur. Re, quia ratio & diffinitio gressibilis dicitur de homine non vt homo, sed vt gressibilis est, sicut etiā nomine vocat gressibilis & ita differētia accipit hic nō vt substantialis, sed vt essentialis accomode, i. in suo prædicamēto.

Etiam describi. Septimo notandum est qualiter differentia dicatur habere propriam rationem, cum tamen sit quoddam simplex, & non compositum. Ratio igitur dupliciter sumitur. Primo pro diffinitione, vnde sic illa dicuntur habere propriam rationem, quæ habēt propriam diffinitionem, & hoc modo differentia non habet propriā rationem, i. diffinitionem, cum bona diffinitio constet ex genere, & differentia, & differentiæ non possit esse differentia. Secundo modo sumitur ratio magis vniuersaliter pro quacūque descriptione, sicut solemus dicere generalissima etiam habere proprias rationes, & hoc pacto etiam dif-

feren-

ferentiæ dicuntur habere proprias rationes, quia in earum diffinitionibus assumitur aliquid loco generis, & aliquid loco differentiæ.

Partes sũt in toto nõ vt in subiecto.

Octauo notandum, quod deinde Arist. mouet dubium, qualiter verũ sit, quod omni substantiæ conuenit in subiecto non esse, & tamen partes substantiæ vt manus, caput, & brachia respectu hominis sint in toto. Respondet autem, quod aliter partes substantiæ sunt in subiecto, & aliter partes in toto secundum quod explicatum est in antepredicamentis. Quare autem moueat talem dubitationẽ puto fuisse in causa, quia hic considerat substantias generaliter pro quacunque substantia, partes autem substantiæ aliqualiter sunt substantiæ, & ideo tetigit hoc dubium.

Nono notandæ sunt singulæ differentiæ, quibus alio, & alio modo partes dicuntur esse in toto, & accidentia in subiecto. Primo enim differunt, quia partes sunt de essentia, & integritate totius, inquantum est totum quantitatiuum, & si non vt est quoddam totum essentiale, quia sic tantum constat ex materia, & forma. De perfecta ergo, & completa ratione hominis vt est quoddam totum quantitatiuum, & integrale est, quod habeat omnes suas partes, puta caput, manus, brachia, pedes, &c. Accidens vero non est in subiecto tanquã integrans, & perficiens subiectum, aduenit enim subiecto post eius esse completum. Secundo partes non possunt separari a toto, quin totum destruatur, & loquor de omnibus partibus, vel saltem intrinsecis, accidens autem adest, & abest præter subiecti corruptionẽ. Tertio pars aliqualiter potest remanere separata a toto, accidens autem naturaliter (vt nunc excludamus miracula sacramenti altaris) non potest separari a subiecto, & si separatur, miraculose actu, non tamẽ aptitudine. Quarto partes aliqualiter possunt separari a toto, non tamen separatæ retinebunt eandem rationem vniuocam quam habebant in toto, manus enim abscissa non est vniuoce manus, sed æquiuoce, cum non sit viua, accidens autem potest separari a subiecto, nam albedo, & nigredo separatæ ita sunt accidentia, sicut etiam accidentia sunt in subiecto.

Quoad secundum duo sunt dubia facilia contra hanc proprietatem. Primum est fere generale, quia nulla videtur esse proprietas substantiæ talis, quod alijs non conueniat, nam non esse in subiecto conuenit differẽtijs, & partibus sicut supra dictum est.

Secundum dubium est, quia forma substantialis est in materia fere vt in subiecto, ergo non est proprium substantijs perfectis in subiecto non esse.

Ad primum Respondetur, quod esse proprium alicui stat dupliciter. Primo taliter quod nullo modo alteri conueniat, & sic multæ ex his proprietatibus non sunt propriæ substãtiæ, ita vt etiam alijs prædicamentis conuenire non possint, vt suis locis palam fiet. Secundo intelligitur, vt aliquo modo sunt substantijs appropriatæ, vnde quamuis quantitas non suscipiat magis, & minus, sicut nec substantia, tamen quia substantia nõ suscipit magis & minus substantialiter, & quantitas quantitatiue, ideo ex diuerso modo appropriandi aliquã communitatem dicuntur proprietates. De differentijs autem & partibus supra dictum est.

Ad secundum faciliter respondetur, quod esse in subiecto stat dupliciter. Primo in potentia, sicut forma aduenit materiæ ei subiectæ, quæ tamen proprie non dicitur eius subie-

ctum sed abusiue. Secundo modo intelligitur esse in subiecto proprie cõpleto, & existenti in actu, & hoc tantum conuenit accidentibus, & hoc modo locuti sumus, argumentum autem procedit primo modo.

LECTIO XII.

INest autem substantijs & differentijs omnia vniuoce prædicari. Omnia enim quæ ab his prædicata sunt, aut de indiuiduis prædicantur, aut de speciebus, a prima nanque substantia nulla est prædicatio: de nullo enim subiecto dicitur. Secundarum vero substantiarum species quidem de indiuiduo prædicatur: genus autẽ & de speciebus & de indiuiduo, similiter autem & differentiæ & de speciebus & de indiuiduis prædicantur. Rationem etiam suscipiunt primæ substantiæ specierum, & generum, & species generis: quæcunque enim de prædicato dicuntur, eadem & de subiecto dicentur. Similiter autem & differentiarum rationem suscipiunt species, & indiuidua, vniuoca autem erunt quorum & nomen commune est & ratio eadem. Quare omnia quæ a substantijs & differentijs sunt vniuoce dicuntur.

Substãtiæ vniuoce prædicantur.

HIc Arist. secundam ponit proprietatem substantiæ. Primo ergo dicit, quod substantijs, & eorum differentijs conuenit vniuoce prædicari, & probat. Illa prædicantur vniuoce, quæ prædicantur secundum idem nomen, & eandem rationem substantiæ, sed genera de speciebus, & de indiuiduis, & species de indiuiduis prædicantur secundum eandem rationem, & idem nomen. Similiter differentia de speciebus, ergo vniuoce. Maior est diffinitio vniuocorum. Minor est clara, quia ratio generis puta animalis conuenit speciebus, sicut & nomen, & ita dicite de speciebus, & de differentijs.

Inesse dupliciter sumitur.

Secundo notãdum est, quod Arist. ait. Inest substantijs, & differentijs &c. vbi notate (ly inest). Inesse enim dupliciter sumi potest. Primo proprie pro inhærentia ad extra, secundum quam dicuntur accidentia inhærere, & non per se esse. Secundo sumitur communiter, prout idem sonat, quod conuenit, & vtroque modo exponi potest, sed in secundo sensu nulla est difficultas. Si autem in primo intelligatur, quamuis res ardua videatur, tamen eam in apertis habes: cum hęc sit proprietas substantiæ, & non eius essentia, erit tamen accidens propriũ, & non commune.

Substantijs conuenit prædicari vniuoce.

Tertio animaduertendum est, ꝙ quamuis etiam accidentia suo modo prædicentur vniuoce de suis inferioribus, tamen Arist. hic, hoc attribuit solum substantijs, & hoc ob duplicẽ causam. Primo, quia vera, & proprijssima prædicatio vniuoca solum substantijs conuenit, vt videbimus. Secundo, quia & si accidentia vniuoce prædicẽtur de his quæ ponuntur sub suis proprijs, & proximis generibus, non tamen prædicantur tantum vniuoce sicut faciunt substantiæ, verum etiam denominatiue, cum omnia accidentia denominatiue prædicentur de substantia.

Ratio.

Quarto notandum, quod Princeps scholæ nostræ volens probare solum secundis substantijs, & differentijs conuenire vniuoce prædicari vtitur tali ratione. Quia si alicui cõueniret, conueniret primæ substantiæ, sed a prima substantia nulla est prædicatio, cum de nullo prædicetur, igitur. Habes ergo ex hoc voluisse inferre hanc esse proprietatem substantiæ, &

non communitatem.

Nō repugnanter. Quinto animaduertendum est, quod probans generibus, & specieb. conuenire vniuoce prædicari, dixit species prædicari de pluribus indiuiduis, quod intelliges non actu, cum falsum sit in multis speciebus, vt in corporibus cælestibus, in Angelis, in Fęnice, &c. Sed aptitudine, non Physica, sed Logica, vt sit sensus non repugnat speciei, vt species est, de pluribus prædicari, sed hæc explicuimus in tractatu de specie.

Non primis. Sexto intelligas, quod a prima substantia nulla est prædicatio, quia de nullo prædicatur subiecto, per quæ verba intelligimus non solum ei sufficere quod de nullo subiecto inferiori dicatur, verum etiam quod careat subiecto inhęsionis, nam hoc album, quod est accidens inhærens Sorti de eo prædicatur, quia & si sit quoddam particulare, tamen quia habet subiectum in quo inhæret, ideo de eo dicitur. Dixit ergo Arist. quod substantia de nullo dicitur subiecto, quia caret subiecto inhæsionis, & prædicationis.

Nisi modaliter. Septimo notandum est, quod a prima substantia nulla sit prędicatio potest dupliciter intelligi. Primo ex se, i. ex sui natura, & hoc verum est, quia substantia indiuidua de nullo dicitur, cum illud quod de alio dicitur sit eo vniuersalius, impossibile est autem quod idem realiter sit & vniuersale, & particulare. Secundo hoc potest intelligi inquantum prima substantia stat sub aliqua secunda intentione, i. sub modo particulariter subsistendi, & sic supra diximus, quod de indiuiduis signatis prędicatur.

Prædicatio tria requirit. Octauo notandum est pro maiori explicatione huius, quod prędicatio tria requirit. Primo requirit diuersitatem, i. vt vnum sit subiectum, & aliud prædicatum. Secundo requirit identitatem rei significatæ .i. quod non distinguantur realiter subiectū, & prędicatum, sed solum formaliter, vnde hæc non est vera prędicatio, homo est color, quia color distinguitur realiter ab homine, sed hęc est vera, homo est animal, quia animal idem est realiter cum homine. Tertio requirit quod prędicatum se habeat vt forma, & subiectum vt materia, idē autem seu eadem substantia prima non potest esse a se ipso diuersa, nec esse materia, & forma, & consequenter a prima substantia nulla est prędicatio.

Prædicatū, & subiectū distinguuntur. Sed nono aduertendum est, quod vnus terminorum in prędicatione sit ab alio distinctus, & se habeat vt formale, & alius vt materiale, stat dupliciter. Primo ex natura rei, nam in hac propositione Sortes est albus, ly alb. est forma, & distinguitur subiecto .i. a Sorte, ex natura rei nullo intellectu considerante. Secundo aliquando contingit, quod ea quę ex natura rei idem sunt, intellectus distinguat, sicut facit in hac propositione, Sortes est Sortes, ex natura enim rei nulla est diuersitas, nec aliqua formalitas in vno termino respectu alterius, tamē intellectus Sorti attribuit rationem subiecti, & prędicati, sed hęc non est vera, & realis prędicatio, vnde absolute potuit dicere Arist. quod a prima substantia non est prędicatio.

Conditiones prædicationis vniuocæ. Decimo notandum venit, quod si velimus hanc esse proprietatem substantię tria apponemus. Primū, quod solum contrahatur ad standum pro secundis substantijs, nam si extendatur ad substantiam vt sic, inquantum est communis primis, & secundis, nō esset proprietas. Secundo requiritur, quod prędicetur non solum vniuoce, verum etiam intrinsece, & essentialiter, quia etiam proprium prædicatur de pluribus vniuoce .s. hominibus, non tamen prędicatur essentialiter, & intrinsece, sicut facit substan-

tia,

tia, sed accidentaliter. Tertium est vt subintelligatur prędicari vniuoce, & essentialiter de primis substantijs, nā si sumatur solum prędicari vniuoce, & essentialiter vt sic, etiam albedo vniuoce, & intrinsece prędicatur de omnibus albis, non tamen de primis substantijs.

Quoad secundum principale vnicum dubium est, quod hęc non sit proprietas substantię, quia omne prędicamentum vniuoce prędicatur de suis inferioribus.

Ad hoc dubium quamuis ex superioribus pateat responsio, tamen vlterius dicimus, quod prędicari vniuoce stat dupliciter. Primo de suis inferioribus, & sic conuenit omnibus prędicamentis. Secundo de prima substantia, & sic tantum conuenit secundis substantijs. Secundo respondemus cum Caietano, & Alberto, quod prędicari vniuoce de suis inferiorib. potest bifariam considerari. Primo materialiter, s. considerando rem quę vere, & realiter nomine, & ratione prędicatur, & sic verum est, quod omnia prędicamenta non solum secundum nomen, verum etiam secundum rationem prędicantur de suis inferioribus, non enim solum nomen albi prędicatur de hoc, & illo homine, verum etiā ratio .i. diffinitio, quia hoc, & illud album est disgregatiuum visus. Secundo potest intelligi formaliter, vt non solum illud quod prędicatur, prædicetur & secundum nomen, & secundum rationē, vt ratio distinguitur contra nomen pręcise, verum etiam quod illa ratio sit rei intrinseca, vel totaliter, vel partialiter, vnde album hoc modo non prędicatur de hoc, & illo albo homine hoc secundo modo, quia albedo non est ratio hominis, qua constituatur in esse hominis, & quia vt inquit Caietanus sermones tanti Phylosophi intelligendi sunt formaliter, & non materialiter, ideo hoc tanquam peculiare, & proprie attributum est secundis substantijs, vt vniuoce prędicentur.

LECTIO XIII.

Omnis autem substantia videtur hoc aliquid significare. In primis igitur substātijs indubitabile & verum est, quod hoc aliquid significant, indiuiduum enim vnum numero est quod significatur. In secundis vero substantijs videtur quidem similiter appellationis figura hoc aliquid significare, quando quis dixerit hominem, vel animal, non tamen verum est, sed magis quale aliquid significant, neque enim vnum est quod subiectum est, quemadmodum prima substantia: sed de multis homo dicitur & animal. Non autem simpliciter quale quid significat, quemadmodum album (nihil enim aliud album significat quam qualitatem.) Genus autem & species circa substantiam qualitatem determinant, qualē enim quandam substantiam significant, plus autem in genere quam in specie determinatio fit: dicens enim animal plus complectitur quam qui hominem.

Pro explicatione tertiæ proprietatis substantiæ, s. quod videtur omnis substantia hoc aliquid significare tria habes ex Phylosopho. Primum, quod omnis substantia videtur hoc aliquid significare. Secundum est, quod hoc negat de secundis substantijs, & affirmat de primis. Et tertio ostendit radicem ex qua videntur secundæ substantiæ significare hoc aliquid. Primum sic probat. Omnis substantia videtur significare esse per se, *Prima substātia significat hoc aliqd*

ergo videtur hoc aliquid significare. Secundum probat de primis substantijs sic. Omne significans vnum indiuiduum numero videtur, & vere sic est, quod significat hoc aliquid. Sed prima substantia significat indiuiduum vnum numero. Ergo hoc aliquid. Quod autem hoc sit falsum de secundis substantijs sic probat. Illud quod non significat vnum numero per se subsistens, non significat hoc aliquid. Talis est secunda substantia. Ergo. Maior fundatur supra illam maximam Arist. Si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis, si ergo esse vnum numero est causa quod prima substantia dicatur hoc aliquid ergo illa substantia quæ non est vna numero, non significabit hoc aliquid. Tertium probat, quia secundæ substant æ, substantiæ vocantur, & ideo videntur significare hoc aliquid, sed tamen veritas est, quod non significant hoc aliquid, sed quale quid, sicut dicemus.

Termini explicantur. Secundo notandi sunt aliqui termini ex textu. Ait ergo Phylosophus, quod in primis substantijs hoc verũ est, & indubitabile, quod significant hoc aliquid. Dixit autem esse verum, quia aliquid videtur verum, & in dubitabile, quod tamen falsum est, vnde rudes iudicant stellas fixas primæ magnitudinis esse minores terra, & tamen hoc falsum est. Dixit ergo indubitabile referendo ad apparentiã, & dixit verum esse, referendo ad existentiam. Secundo, ly videtur sumitur pro eo quod videtur ita esse, & tamen non ita est. Tertio dixit secundam substãtiam non significare vnũ, intelligendo vnum numero, & non vnum specie, nam secundæ substantiæ habent vnitatem specificam, & genericam.

Tertio notanda sunt illa verba, s. secundæ substantiæ significant quale quid. Nam duplex est quale. Quodam enim vocatur quale simpliciter, quod puram qualitatem significat, sicut album simpliciter puram albedinem denotat. Secundum dicitur quale non simpliciter, sed cum additione importante perfectionem, vt in proposito, nam quale quid significat quale substantiale, & hoc est quod annuit Philosophus.

Quarto notandum, quod Arist. cõsiderans secundas substantias esse genera, & species, ideo dixit, genus magis significare quale quid, quam species, propter talem rationem. Quia quod magis elongatur ab vnitate numerali, maiorem secundum se importat indistinctionem numeralem, & consequenter magis significat quale quid, Tale est genus respectu specierum, cum magis sit elongatum ab indiuiduis, quam species, vt patet.

Conditiones hoc aliquid. Quinto notandum, quod ad hoc vt aliquid dicatur significare hoc aliquid, tres conditiones requiruntur, quæ omnes saluantur in prima substantia. Prima est, quod illa res dicta hoc aliquid sit singularis, & non vniuersalis, nam vniuersale non proprie dicitur hoc, sed solum res indiuidua, & singularis, quæ potest demonstrari vel digito, vel circumlocutione. Secunda conditio est, vt illud tale sit substantia, & non accidens, nam aliqd proprie significat substantiã, sicut aliquantum qtitatẽ, & aliquale qualitatẽ. Tertia est, quod hoc aliquid sit indiuiduum per se subsistens complete de quo species directe prædicetur in quid, & sit naturæ completæ, vt excludantur partes, caput, brachia, & anima intellectiua &c. quæ non sunt hoc aliquid, sed potius vocantur aliquid, huius aliquid, vel de hoc aliquid, & hæ tres conditiones substantiæ primæ conueniunt, nam ipsa est substãtia completa, per se subsistens, & singularis.

Sexto animaduertendum, quod pa-

Eius significatū parum reffert dicere primam substantiam significare hoc aliquid, vel significari per hoc aliquid, nam prima substantia dupliciter considerari potest. Primo absolute,& sic potius dicitur significata per indiuiduum vnum numero, quod est hoc aliquid. Secundo pro subiecto materiæ, & sic cum hic loquamur de prima substantia, quæ supponitur indiuiduo vno numero, sic dicitur significare hoc aliquid, idest importare significatum huius quod est hoc aliquid.

Quomodo secundæ substantiæ significent quale qd. Septimo explicandum venit, quid sibi velit quale quid, quod de secundis substantijs dicitur. Albertus ergo, & Auicenna sic interpretantur quale quid, quod cum secundæ substantiæ duo includant. Primum genus, vel speciem, quæ prædicantur in quid, & Secundum differentiam, quæ prædicatur in quale, ideo dicuntur non solum prædicari in quid, sed etiam ratione differentiæ in quale quid. Contra tamen hanc expositionem solent fieri aliquæ instantiæ, quæ etiam a sustinentibus hanc expositionem soluuntur. Prima instantia est, quia sic generalissima non significarent quale quid, cum non habeant differentias. Secunda est, quia hoc non esset proprium secundis substantijs (vt videtur velle Arist.) sed esset commune omnibus generibus, & speciebus omnium prædicamentorum, quia omnia genera includunt propriam essentiam, & differentias.

Sed ad primū dicūt, q habere differētias stat dupliciter. Primo in actu; & sic tm̄ habēt differentias in actu ipsæ species. Scdo potestate, & sic ēt generalissima habēt differētias, & ideo potestate significant hoc aliquid. Ad secundum dicunt, quod dici in quale quid sit proprium substantiæ stat bifariam. Primo sumendo quid pro essentia, & quale pro quali accidentali, & hoc pacto alia prædicamenta habent quale quid, idest proprias essentias, & qualitates. Secundo vt quid sumitur pro substantia, & quale pro quali essentiali, & hoc modo solum conuenit secundis substantijs, & in hoc sensu locutus est Philosophus.

Aduertendum tn̄ octauo, q significare quale qd adhuc stat dupliciter. *Et primò* Primo pure sumēdo quale qd pro solo significato substantiæ, cum qualitate, & hoc pacto conuenit solum scdis substantijs, inquantū distinguuntur per hoc a primis. Secundo sumitur pro significare quale quid non puro, & absoluto, sed prout coniunctum est cum conditionibus indiuiduantibus, ex quibus substantia dicitur hęc, & sic etiam primæ substantiæ conuenit significare quale quid, nam Sortes significat indiuiduum rationale, indiuiduatum per conditiones materiales, nempe per has carnes, & per hæc ossa.

Intentio Arist. Vlterius nono animaduertendum est, quod quamuis non euertamus totaliter interpretationem Alberti, & Auicennæ vt supra, tamen melius cū S. D. in septimo & 10. Meth. & cum Caietano hic dicimus, quod inter Arist. & Platonem maxima fuit controuersia. Nam Plato vltra indiuidua subsistentia dabat species per se subsistentes, vt vltra indiuidua humana materialia, dabat vnum hominem immaterialem per se existentē, qui dicebatur idea, & exemplar cæterorum, & hunc hominem dicebat esse hoc aliquid Arist. vero hoc putās purum figmentum quod præter omnes homines daretur vnus homo per se subsistens, contra Platonem hic inuehit dicendo, secundas substantias, quæ sunt genera, & species non hoc aliquid, sed quale quid significare, memor illius maximæ, quod a modis essendi, sumuntur modi prædicandi.

Decimo notandum venit pro perfecta

Secunda substantia bifariam considerā tur. secta intelligentia huius secundæ responsionis, quod substantia dupliciter considerari potest. Primo materialiter, inquantum est fundamentū quod quid erat esse rei, idest diffinitionis. Secundo vt stat sub aliqua secunda intentione vniuersalitatis, vel particularitatis. Primo modo considerant substantiam Methaphisici, nos cum Arist. secundo modo eam inspicimus, idest inquantum secundę substantiæ stant sub intentione vniuersalitatis vt sub conditione siue quanta, vt docuit Caiet. lib.1.post. cap.9. & D.Tho.opusc.42.cap.7.

Vndecimo notandum venit, quod secundæ substantiæ stent sub intentione, duobus modis considerari potest. Primo obiectiue secundum suam naturam, & sic cum sua natura sit natura substantiæ, dicta a per se essendo, merito dicit significare quid. Secundo quoad id, quod ei aduenit ex operatione intellectus, nempe vt vocentur vniuersales de pluribus prædicabiles, & sic significāt quale, quia cum omnis operatio intellectus circa rem non faciat substantiam, sed accidens, inquantum accidit huic rei ꝙ intelligatur de pluribus prædicabilis, & in pluribus reperibilis, ideo merito dixit Arist. habendo hanc considerationem, quod significant quale quid, idest substantiam vniuersalem Genera autem & species accidentiū non significant quale quid, sed quale simpliciter.

Vltimo memoriæ mandandum est, quod secundæ substantiæ substantiam vniuersalē presεferunt, ideo dicuntur significare quale quid, quia determinant qualitatem circa primas substantias, de qua re alibi tractauimus.

Vltimo loco dubitatur contra hāc secundam expositionem, quod quale quid significat substantiam vniuersalem. Nam homo, & animal, quæ sunt secundæ substantiæ significant res naturæ, & non naturam cum qualitate accidentali, idest cum illa vniformitate multorum in vnum, sibi ab intellectu attributa, igitur non est bona expositio.

Ad hoc dubium dicimus omissis superfluis, quod vniformitas reperta in natura communi potest dupliciter inspici. Primo fundamentaliter, & sic homo, & animal absque omni operatione intellectus sunt naturæ vniuersales repertæ in multis. Secundo formaliter, prout constituit formalem modum prædicandi, & sic concurrit vt conditio sine qua non, nam natura vniuersalis quamuis fundamentaliter reperiatur in multis, non tamen formaliter prædicatur de multis, nisi prout concipitur vniuersaliter, & hęc secūdo modo, importat quale quid, non quale simpliciter, vt importat album, sed quale quid .i. quid, simile quali, quoad modificare, quod dicitur quale modaliter. Vniuersalitas ergo dicit quale accidentale vt est secunda intentio, & se habet vt quo res substrata prædicatur. Sed habet quod si exerceat prædicationem rei substratæ de genere substantiæ dicat quale quid, & si exerceat prædicationem accidentis dicat simpliciter quale.

LECTIO XIV.

INest autem substantijs etiam nihil illis esse contrarium. Primæ enim substantiæ quid erit contrariū? vt cuidam homini nihil est contrarium, at vero nec homini, nec animali aliquid est contrarium. Non est autem hoc substantiæ proprium: sed & etiam multorum aliorum, vt quantitati, bicubito enim nihil est contrarium, at vero nec decem, nec alicui

ta-

talium. Nisi forte quis multa paucis dicat esse contrarium, vel magnum paruo, determinatorum vero quantorũ nullum nulli est contrariũ.

Videtur autem substantia non suscipere magis & minus. Dico autem, non quod substantia non sit magis & minus a substantia, hoc enim dictum est, quod est, sed qđ vna quæq; substãtia, hoc ipsũ qđ est, nõ dr̃ magis & minus, vt si est eadem substantia homo, non erit magis, & minus homo, neque ipse a seipso, neque alter altero, non est enim alter altero magis homo: neq; sicut est albũ alterũ altero magis & minus album: & bonum alterum altero magis, & minus bonum: sed & ipsum se ipso magis, & minus dicitur, vt corpus cum sit album, magis nunc album esse dicetur quam prius, & cum calidum sit, magis & minus calidum dicitur, substantia vero non dicitur magis neque minus: nihil enim homo magis nunc homo quam prius: nec aliorum quicquam, quę substantiæ sunt, quapropter non recipit substantia magis & minus.

IN præsenti lectione intendo examinare quartam, & quintam proprietatem substantiæ, & quidem primo per consuetas annotationes, & secundo per consueta dubia.

Substãtia non habet contrariũ

Quoad primum igitur primo notandum est, quod Arist. ait in textu. Inest substantijs nihil esse contrariũ. Sed hoc non est proprium substãtiæ quarto modo, ita vt non possit conuenire alijs, nam nec quantitas habet contrarium. Probat autem substantiæ nihil esse contrarium hac ratione. Tam primæ quam secundæ substantiæ non habent contrarium. Ergo substantiæ non habent contrariũ. Consequentia nota, Antecedens vt notum relinquit. Hoc idem docet Arist. de omni substantia completa & incompleta 5. Phy. tex. 10. vbi dicit secundam substantiam non esse motum, propterea quod nullum est entium substantiæ contrarium.

Textus explicatur.

Secundo notanda sunt aliqua ex textu. Primo ergo dixit. (Inest quia hæc est proprietas, & nõ essentia substantiæ. Secundo dixit substantijs, & non substantiæ, quia hoc conuenit omnibus substantijs, tam primis, quã secundis. Tertio non probauit hoc alio modo, quam interrogatione. Inquit enim, primæ enim substantiæ quid erit contrarium? &c. Puto autẽ non probasse hoc propter duas rationes. Primo, quia res clarissima erat substantiam non contrariari substantiæ, nam contrarietas est inter duas formas accidentales, mutuo se expellentes ab eodem subiecto, quæ debẽt esse eiusdem generis. Secunda ratio est, quia substantia non est in subiecto, modo contraria oportet quod sint in subiecto, & ideo sola interrogatione putauit se obtinuisse intentum.

Cõpleta.

Tertio sciendum est, quod substantia hic sumitur vt a per se stando dicitur, & non a substando accidentibus, talis autem substantia a per se stã do dicta dupliciter considerari potest. Primo cõiter, pro omni substantia, siue perfecta, siue imperfecta prout ẽt formas substãtiales, et partes substã tię substãtias appellamus. Secundo sumitur proprie, pro vera, & completa substantia, existẽte in recta linea prędicamentali. Primo modo non consideratur, nam duæ formæ possunt esse contrariæ, ita & duæ differentiæ, non autem duæ substantiæ completæ, & perfectæ, & hic non loquimur de substantia, vt essentiam cuiuscunque rei significat, quia taliter duæ formæ acciden-

cidentales sunt contrariæ, sed loquimur vt supra.

Cõtrarietate propria. Quarto sciẽdum est, quod duplex est contrarietas. Quædam communiter dicta, quæ in pluribus reperiri potest, prout etiam inter priuationem, & habitum, & inter duas differentias diuisiuas generis reperitur talis contrarietas, sicut & in omni genere vna prima contrarietas constituitur. Secunda dicitur contrarietas proprie, quæ est repugnantia duarum formarum, positiuarum, sub eodem genere, mutuo se expellentium ab eodem subiecto, & hanc contrarietatem negamus a substantia. Hæc autem debet habere octo conditiones. Prima, quod vtrumque contrariorum sit ens reale, vnde defectu huius, bonum, & malum, cæcitas, & visus non contrariantur tali contrarietate. Secunda, quod habeant idem subiectũ proximum, & non remotum, & ideo calidum, & frigidum in materia prima non sunt contraria, sed bene in eadem aqua. Tertia est, quod sint incompatibiles simul in eodem subiecto, vnde dulcedo, & albedo in lacte non sunt contraria, quia se compatiũtur simul in eodem subiecto. Quarta est, quod sint sub eodem genere, vnde albedo, & homo non sunt contraria, quia non sunt sub eodem genere, sed bene dicuntur diuersa, quia se ipsis differunt. Quinta est, quod maxime distent, vnde in numeris non est contrarietas, quia in numeris non est maxima distantia, cum vnus in alio includatur. Sexta est, quod illa distantia duarum illarum formarum sit successiue acquisibilis, & non in instanti, vnde duæ formæ substantiales si introducerentur in instanti in eodem subiecto non essent contrariæ. Septima est, quod hæ duæ formæ contrariæ aduenian enti in actu, vnde etiã defectu huius, duæ formæ substantiales non dicuntur esse contrariæ, quia si aduenirent, primæ materiæ aduenirent, & non subiecto existenti in actu, sicut faciunt duæ formæ accidentales. Octaua est, quod sint formę accidentales, sed de his alias.

Quinto sciendum, quod substãtia dupliciter considerari põt. Primo secundum se, seiungendo ab ipsa omnia accidentia. Secundo inquantum est accidentibus induta. Si primo modo consideretur, sic verum est, quod substantia non suscipit contrarietatẽ in se, ita vt secundum se habeat contrarium. Si autem secundo modo, cum simul sumatur cum qualitatib. accidentium, sic dicitur habere contrarium, sed hæc contrarietas nõ est respectu substantiæ secundum se cõsideratæ, sed respectu accidentium. *Secundũ se considerata.*

Quoad quintam proprietatem habet Arist. in textu, quod substantia non suscipit magis, & minus. & in sũma tria in textu facit. Primo excludit sensum falsum, quo substantia videtur suscipere magis & minus dicens, quod substantia vt a substando dicitur, sic vna est magis alia substantia, vnde supradictũ est quod species est magis substantia quam genus. Si autem sumatur vt dicitur a per se essendo, vna substantia non est magis substantia alia. Secundo hoc declarat exemplo hominis, nam vnus homo non est magis homo alio homine, inquantum ambo sunt homines. Tertio annuit diuersam esse rationem in accidentibus, quia vnum album est magis album altero. *Non suscipit magis & minus.*

Secundo notanda sunt aliqua ex textu. Primum est (ly videtur) nã hic sumitur pro re, quæ talis videtur, & talis est. Secundum est, quod apposuit duas negationes dicendo, dico autem non, quod substantia non sit magis, & minus a substantia, & hæ duæ negationes non ponuntur respectu eiusdem, quia sic facerent vnãm affirmationem, ideo prima negatio. s. *Textus explicatur.*

dico

dico autem non, quod substantia, refertur ad substantiam. Secunda autem s. non quod sit magis & minus a substantia, cadit supra ly quomodo vna substantia magis dicatur substantia alia. Tertium est, quod loquendo de substantia vtitur hoc termino substantia secundum id quod est. Ex quo infero, quod substantia vt dicitur a sustentando potius nominatur a proprietate quam a proprio esse, quia secundum talem rationem non conuenit omni substantiæ, i. sustentare accidentia, sed bene esse per se, vnde sic etiam conuenit diuinis personis.

Suscipere magis & minus multis modis dicitur. Tertio notandum est secundum S. D quod aliquid dici secundum magis, & minus quintupliciter stat. Primo secundum formam participatam respectu eiusdem, secundũ quod vna forma modo participatur nobiliori modo essendi, vel ignobiliori, sicut idem paries modo dicitur albus, modo albior, secundum quod maiorem, vel minorem participat albedinem, & hoc magis & minus secundũ intensionem eiusdem formæ reperitur solum in accidentalibus formis, & nõ variat speciem. Secundo modo dicitur magis, & minus non quoad rem participatam, sed quoad modum participandi, sicut Angelus dicitur magis intellectiuus homine, eo quod intelligit sine discursu, & homo cum discursu. Tertio modo dicitur secundum quod de vno per essentiam prædicatur, & de alio per participationẽ, sicut esse de Deo dicitur per essentiã, & de homine per participationem. Quarto, quando vnum est tale formaliter, & aliud eminenter, sicut ignis dicitur calidus formaliter, & sol eminẽter, quamuis tamen causaliter formaliter exsiccet, & calefaciat. Quinto modo sumitur pro eadem re, secundum quod augetur vel minuitur, sicut si diceremus, quod homo modo est magnus, & puer erat paruus. Arist. hic non intẽdit a substantijs negare magis, & minus secundo, tertio, & quarto modo, sed primo, nempe quod eadem substantia secundum se considerata secundum perfectionẽ substantialem intendatur, & remittatur, & quinto modo .i. quod quantitatiue secundum se considerata fiat maior, & minor.

Quarto notandum insuper est, quod dupliciter adhuc substantia potest dici suscipere magis, & minus. Primo secundum prædicationem, vt sit sensus, quod vna substantia non dicatur cum magis, & minus, & hic sensus falsus est, saltem sumptus in sua vniuersalitate, nam saltem genus extensiue de pluribus prædicatur quã species Secundo potest intelligi secundum rẽ, ita vt dicamus, quod animal, homo, vel Sortes, vt substãtiæ sunt, vna sit altera magis substantia, & hoc est quod intendimus, nam in ratione per se essendi omnes eodem modo sunt substantiæ, quamuis vt suscipiunt accidentia vna substantia magis dicatur susceptiua accidentium, quã alia, vt supra docuimus. *Non dicitur de substantia ut est ens per se stans.*

Dubia.

Contra supradicta essent quidem multa dubia ventilanda, quæ si adamussim essent tractanda, longã digressionem expostularent, sed quia sumus in Logicis, ideo parũ egrediẽdo terminos Logicales. Primo arguo contra quartam proprietatem. Quia duæ differentiæ diuisiuæ generis, de prædicamento substantiæ, sunt proprissime contrariæ, vt facientes aliud. Ergo substantiæ est contraria substantia.

Secundo. Formæ substantiali contrariatur priuatio, per Arist. primo Physicorum. Sed forma substantialis est substantia, Ergo habet contrarium.

Tertio. Illud quod corrumpitur, corrumpitur a contrario. Sed substantia corrumpitur. Ergo habet contrarium.

Contra quintam proprietatem arguitur primo. Anima est substantia, & tamē vna est magis substantia alia. Probo, quia nobilior operatio, testatur nobiliorem operantem. At vna anima nobiliori modo intelligit, & corpus informat, quam alia. Ergo substantia suscipit magis, & minus.

Secundo. Elementa sunt substantiæ, & tamen suscipiunt magis, & minus per Comment. Ergo.

Tertio. Quia rationalitas, quæ est substantia hominis, videtur magis in vno esse, quam in alio.

Ad primum respondetur quod differentiæ substantiales propriissime dicuntur differentiæ, sed non propriissime contrariæ, sed communiter, vt supra explicatum est.

Ad secundum similiter dicitur, quod forma, & priuatio non opponuntur contrarietate proprie dicta, prout explicatum est supra.

Ad tertium dicimus, quod ad corruptionem sufficit, quod res corrumpatur a contrarijs qualitatibus, vnde non prouenit hoc a substantia secundum se considerata, sed vt est vestita accidentibus.

Ad primum contra quintam proprietatē, pro nunc tripliciter respondeo. Primo, quod vna anima sit magis substantia alia, dupliciter potest intelligi. Primo in ratione substantię vt sic, & sic vna non est magis anima, nec magis substantia alia. Secundo inquantum informat corpus, & ita ex dispositione materiæ vna magis videtur apta ad exercendas suas operationes alia, vnde duplex est operatio animæ. Prima conueniens animæ vt anima est, quæ est animato, alia vero est operatio dependens ab alio, vt est intelligere cum nobilioribus phantasmatibus, sine tot impedimentis, &c. Prima operatio est illa, quæ indicat naturam rei per se, & non secunda. Igitur substantia vt dicitur a per se essendo simpliciter nō facit vt vna sit magis substantia alia. Secunda responsio est, quod anima dupliciter considerari potest. Vel quoad naturam specificam, & sic non facit quod vnus homo sit magis homo alio. Secundo quoad naturam indiuidualem in qua existit, & sic quia vnum corpus est magis bene dispositum, & organizatum, quam aliud, hinc nascitur, quod vnus homo est magis aptus ad capessendas scientias alio, secundum illud Aristot. molles carne, apti mente, sed hoc est per accidens, & extra propositum. Tertia responsio est, quod hic loquimur de substantia completa, modo anima est principiū substantiæ completæ.

Ad secundum dicimus falsum esse, quod elementa secundum se suscipiant magis, & minus, prouenit enim ex qualitatibus.

Ad tertium dic sicut ad primum.

LECTIO XV.

Maxime vero substantiæ proprium esse videtur, quod cū vnum & idem numero sit, contrariorum susceptiuum esse: quale in alijs quidem non habebit quisquam quod proferat tale: quæcumque non sunt substantiæ, quod, cum sit vnum numero, susceptibile contrariorum sit, velut color, qui est vnum & idem numero, non dicitur albus & nigre: neque eadem actio & vna numero erit praua & studiosa. Similiter autem

tem & in alijs, quæ substantia non sunt, substantia enim, cum vnum & idem numero sit, capax contrariorũ est, vt homo cum vnus & idem numero sit aliquando quidem niger, aliquando autem fit albus, & calidus & frigidus, & prauus & studiosus: in nullis autem alijs aliquid tale videtur. Nisi quis forsitan instet dicẽs orationem & visum eiusmodi esse: eadem enim oratio, & idem visus verum vel falsum esse uidetur, veluti si vera sit oratio, sedere quendam surgente eo falsa erit. Similiter autem de visu: siquis enim vere putat sedere aliquem, surgente eo falsum videtur ei eundem habente de eo visum: Sed & siquis hoc suscipiat tantummodo differt: nam ea, quæ in substantijs sũt, ipsa mutata susceptibilia sunt contrariorum: frigidum enim de calido factum mutatum est: alteratum enim factum est & nigrum ex albo, & studiosum ex prauo. Similiter autem & in alijs vnumquodque mutationem suscipiens est susceptibile contrariorum. Oratio autem & opinio ipsa quidem immobilia omnino perseuerant, cum vero res mouetur contrarium circa eam fit: oratio namque permanet eadem eo quod sedet aliquis. Cum uero res remota sit, aliqñ quidem vera, aliquando falsa fit, similiter autẽ & in opinione. Quapropter propriũ solummodo substantiæ est, eo quod secundum mutationem suam susceptiua est contrariorum. Siquis autem etiam recipiat placitum & orationem dicens susceptiua esse contrariorum, non est hoc verum, oratio namque & opinio nõ in eo quod ipsa aliquid recipiant contrariorum susceptiua esse dicuntur, sed in eo quod circa alterũ aliqua passio facta sit. Nam in eo quod res est vel non est, in eo etiam oratio vera aut falsa dicitur: non in eo quod ipsa sit susceptiua contrariorum. Simpliciter autem a nullo nec oratio mouetur nec placitum: quapropter non erunt susceptiua contrariorũ, cum nulla in eis passio facta sit. Verum substantia in eo quod ipsa contraria recipiat, in hoc susceptiua dicitur contrariorum esse. Languorem enim & sanitatem suscipit, candorem & nigredinem, & vnumquodque taliũ ipsa suscipiendo contrariorum esse susceptiua dicitur: quare proprium erit substantiæ, quod cum idem & vnum sit numero contrariorum susceptiuam, cum sui permutatione esse. Et de substantia quidem hæc dicta sufficiant.

HAec est vltima proprietas substã tiæ, circa quam duo agemus. Primo eam dilucidabimus. Secundo contra eam dubitabimus.

Quoad primum primo notandũ est, quod tria facit Arist in textu. Primo quidem assignat vltimam proprietatem substantiæ dicendo, quod maxime proprium est substantiæ suscipere contrarium. Probatur. Illud quod remanet vnum numero, & ex se suscipit contrarium, maxime illi conuenit suscipere contrarium .i. nõ ex alio. Sed talis est substantia vt videtur. Ergo. Secundo mouet dubiũ, quia hæc proprietas videtur alteri a substantia conuenire, nam oratio nõ est substantia, & tamen mutatur de vera in falsam. Tertio respõdet, quod hoc nõ accidit orationi vt oratio est, sed ex variatione rei, quia dum Sortes sedet, verum est dicere Sortes se- *Substãtia suscipit cõtraria.*

det, Sorte autem surgente, falsa est oratio .s. Sortes sedet.

Textus. Secundo notanda sunt aliqua ex textu. Primum est (ly maxime) quod aliqui interpretantur nominaliter, & non aduerbialiter, nam maxime dupliciter sumi potest. Primo aduerbialiter, vt sit sensus, quod inter sex proprietates substantiæ assignatas, illa, quæ ei maxime conuenit, est vltima .i. esse susceptiuam contrariorum. Secundo sumitur nominaliter, vt cadat supra maximam substantiam, quæ est prima. Sed primus sensus videtur inrectus, vt patet per discursum Arist. attribuentis hanc proprietatem etiã secundis substantijs. Secundum est, quod dixit proprium, ad hoc vt intelligamus iam assignatas proprietates substantiæ, vel in re esse communitates, vel si aliquo modo sunt proprietates, non sicut ista, quę est maxime substantiæ propria. Tertium est, quod dixit substãtiæ, & non substantijs, quia hic sumit substantiam vt est singulare prædicamentum contradistinctũ contra alia, & non vt dicitur precise de prima, vel secunda, vnde merito subinfert: Quæcunque non sunt substantiæ, &c.

Successiue non simul in actu pfecto. Tertio notandum est, quod suscipere contraria stat duobus modis. Primo in potentia, & sic vna substantia potest suscipere duo contraria in potentia, quia v.g. eadem manus tepida, potest suscipere & maiorem frigiditatem, & maiorem caliditatem. Secundo in actu, ita vt simul eadem manus dicatur simul esse susceptiua duorum contrariorum .s. frigiditatis, & caliditatis, & hoc impossibile est. Sed & suscipere duo contraria simul stat dupliciter. Primo in actu cõpleto, & perfecto, ita vt eadem manus simul dicatur calida, & frigida in summo. Secundo in esse imperfecto, & remisso, secundum quod participat vtrumque contrariorum, & hoc possibile est, nam eadem manus tepida participat simul de caliditate, & frigiditate. Loquit' ergo Arist. ĩ hoc sensu, quod substantia est susceptiua cõtrariorum in actu, sed successiue, prout ei conuenit.

Si substãtia est corruptibilis. Quarto notandum est, quod duplex est substantia. Prima dicitur corruptibilis, veluti ea, quæ est composita ex contrarijs, aliæ sunt substantiæ incorruptibiles, non compositæ ex contrarijs, vt Deus, Angeli, & astra. Proprie ergo intellexit Arist. loqui de substantijs corruptibilibus, non autem de incorruptibilibus, sed quomodo etiam ipsę aliquo modo suscipiant contraria, Deo excepto, infra dicemus.

Cum conditionib. Quinto notandum est, quod susceptiuum contrariorum has debet habere conditiones. Prima, quod sit vnum, ita vt vna, & eadem substantia sit illa, quæ suscipit contraria, nã quod Sortes modo sit calidus, & Frãciscus frigidus, non est inconueniens, quia sunt duæ substantiæ distinctæ. Secunda est, quod eadem substantia non simul, sed successiue sit susceptiua contrariorum, vt eadem manus modo sit calida, & deinde fiat frigida, & non simul sit calida, & frigida, quia duo contraria non possunt esse in eodem subiecto simul, & semel. Tertia est, quod sit susceptiua contrariorum per mutationem sui, & non alterius, nam oratio (vt infra dicemus) non est susceptiua contrariorum ex se, sed ex subiecto affirmato, vel negato. Quarta est, quod & si non sit susceptiua omnium contrariorum, suscipiat tamen aliqua contraria, secundum quod illi naturæ congruit, vt quod intellectus etiam Angeli suscipiat verum, & falsum, & voluntas bonum, & malum, & corpora cælestia, quæ & si non suscipiant contraria alterantia, vt sunt primæ qualitates, tamen suscipiunt motus

con-

cōtrarios ab occidente in orientē, & rarū & densum, clarum, & obscurū, vt patet in luna, vnde omnes substantiæ prædicamentales suscipiunt aliquo modo contraria, non quælibet, & quomodolibet, sed suo modo. Quia est, vt suscipiat contraria vt quod, & non vt quo, sicut facit superficies, vt dicemus.

Ab eo qđ res est uel nō est, oratio dicitur uera, uel falsa.

Sexto animaduertendum est circa illam propositionem hic assumptam ab Arist. ad probandum, quod oratio ratione rei subiectæ mutatur de vero in falsum, Ab eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa, quod, hæc propositio multipliciter exponitur. Prima expositio est, quod ab esse realis existētiæ, oratio dicatur vera, vel falsa, ita vt si res non existat in rerū natura, dicatur falsa, & si existat, vera. Secundo modo potest intelligi non quoad existentiam, sed quoad essentiam, vt sit sensus. A conuenientia prædicati cum subiecto, vel repugnantia, oratio dicitur vera, vel falsa. Primo modo non intelligitur, quia sunt multæ propositiones veræ, v.g. iste, homo est animal rationale, bos est animal irrationale, quæ non requirunt actualem existentiam, sed solum quod prædicatum sit de essentia subiecti. Intelligitur ergo secundo modo. Secunda interpretatio aliorū est, quod quædam sunt propositiones per se, & quædam per accidens. Per se sunt illæ, quæ constituunt primū, & secundum modum perseitatis, in quibus prædicatum est de essentia subiecti, vel subiectum de essentia prædicati, & in his non requiritur actualitas realis, vt propositiones illæ dicantur veræ. Quædam vero sunt per accidens, quādo prædicatum accidit subiecto, sicut dum dico. Homo est albus, vel Sortes sedet, & in istis requiritur actualitas inhærentiæ, quia accidentis esse, est inesse, & de istis locutus est Arist. vt patet ex eius exemplis. Sed colligamus omnes responsiones dicētes. Primo, quod valet de re, non quoad existentiam, sed quoad intellectionem conuenientiæ prædicati cum subiecto. Secundo dicimus, quod valet quoad substantiam rei cognitæ in vniuersali, vt v.g. cognoscam hominem, vel Sortem esse rationales, non vero valet quoad modum, quia intellectus, imaterialia immaterialiter cognoscit, & composita simpliciter. Tertio valet in prædicatis accidentalibus, quoad actualem existentiam, sed non in substantialibus, & proprijs, nisi quoad essentiā. Quarto valet, vt non intelligatur sub prædicato opposito repugnanti, vt v.g. homo intelligatur esse asinus, vel lapis; non autem valet quoad omnes conditiones singulares, & variabiles in rebus. Quinta est, vt intelligamus quod ab eo quod res est, vel non est, non absolute, sed vt scibilis, vel non scibilis, oratio dicatur vera, vel falsa, quod quidem verificatur quoad vniuersalia, non autem quoad particularia, vt particularia sunt variabilia, & mutabilia.

Dubia.

QVoad secundum principale. Primum dubium est, quia hæc non videtur proprietas substantiæ, cum oratio vna, & eadem, mutetur de vero in falsum, nam hæc oratio, Sortes sedet, est vera eo sedente, & est falsa, eo ambulante, Ergo conuenit alteri a substantia.

Secundo. Superficies, quæ est de genere quantitatis, modo recipit albedinem, modo nigredinem, ergo non est proprietas substantiæ.

Tertio. Ignis est substantia, & tamē non suscipit contrarium, idest frigiditatem. Ergo non omnis substantia est susceptiua contrariorum.

Quarto. Hæc proprietas non conuenit

uenit secundis substantijs. Probatur, quia susceptiuum contrariorum debet esse vnum numero, vt hic dicit Arist. Ergo.

Ad primum respōdet Arist. quod esse susceptiuum contrariorum stat dupliciter. Primo secundum se, quando res transit secundum se, & non respectu alterius de vno contrario, ad aliud contrarium. Secundo respectu alterius, & hoc modo conuenit orationi, quia ex mutatione rei, mutatur veritas orationis. Substantia autem dicitur susceptiua contrariorum per sui mutationem. Vnde aduerte hic quod diuersimode veritas reperitur in rebus, in intellectu, & in oratione. In rebus veritas est fundamentaliter, i. tanquam in suo fundamento & causa, quia ab eo, quod res est, vel nō est fundamentaliter, oratio dicitur vera, vel falsa. In intellectu vero est formaliter, quia veritas formaliter consistit in adæquatione rei intellectæ, cum intellectu. s. in compositione, & diuisione, in affirmatione, & negatione, quæ sunt actus intellectus. In oratione vero est tanquam in signo veritatis, quia oratio veritatem significat, vnde ad hoc vt oratio sit vera, oportet quod prius habeat fundamentū in re & formalitatem ab intellectū. Nec prius oratio erit vera formaliter, quam fundamentum sit tale, prout per orationem explicatur.

Ad secundum respondetur, quod suscipere contraria stat duobus modis. Primo vt quo, i. mediate, sicut superficies vt quo suscipit accidentia contraria, vt albedinem, & nigredinem. Secundo vt quod, ita vt illud quod suscipit contrariā, secundum se illa suscipiat, vt ea per se sustentans, & hoc modo substantia suscipit contraria, superficies vero vt quo, idest mediante substantia.

Sed contra hanc responsionē sunt duæ instantiæ. Prima, quia immo videtur superficies immediate suscipere contraria, & substantia mediate, quia substantia non suscipit nisi mediāte superficie, non enim paries dealbatur, nisi quia, superficies parietis dealbatur. Secundo ad quid vsus est tanta sollicitudine Arist. si intellexit solum loqui de susceptiuo vt quod, nam clarissimum est, quod nullum prædicamentum accidentium est subiectum susceptiuum vt quod alterius, sed solum vt quo. Ad primum dicimus, quod suscipere contraria immediate stat dupliciter. Primo via generationis, & sic verum est quod superficies recipit immediate contraria, quia est prima dealbata. Secundo ordine causalitatis, & sic falsum est quod superficies immediate suscipiat contraria, quia non suscipit nisi mediante substantia, i. quia est in substantia. Ad secundum respondetur, quod contraria sunt in duplici ordine. Quædam enim primo denominant substantiam, & secundario accidens, vt callidum, frigidum, album, & nigrum, quæ primo denominant subiectum, vel nigrum, & secundario albedinem, vel nigredinem. Quædam vero sunt accidentia, quæ primo denominant accidentia, vt verū, vel falsum, quæ formaliter sunt in intellectu. Fuit ergo sollicitus Arist. ad hoc vt sciremus quomodo aliqua fiant contraria in eodem, vt primo denominantia subiectum, & quædam non.

Ad tertium responsum est, quod conditio subiecti susceptiui contrariorum est, non suscipere omnia accidentia contraria, sed aliqua, vnde & si ignis non possit naturaliter fieri frigidus, potest tamen violenter deorsū trahi. Vel secūdo respondetur, quod proprie subiectum est illud, quod est susceptiuum contrariorum, vnde & si ignis non suscipiat frigiditatem, ignitum tamen potest eam suscipere. Vel

tertio

tertio dicendum, quod subiectum di citur susceptiuum contrariorum, si ad vnum non sit naturaliter determinatum, sicut ignis naturaliter determinatus est ad caliditatem tantum.

Ad quartum respondetur, quod verba Arist. s. quod susceptiuum contrariorum debeat esse vnum numero dupliciter exponi possunt. Primo vt se teneant ex parte subiecti, ita vt sit sensus, Substantia vna numero, est susceptibilis contrariorum, & hic sẽsus falsus est. Secundo potest intelligi vt se teneat ex parte prędicati, vt sit sensus. Omnis substantia, seruata vnitate numerali, est susceptibilis cõtrariorum, & hic sensus verus est, & intentus, & ita secundæ substãtiæ puta homo, vel leo, seruata vnitate numerali, quam retinent dum existunt in Sorte, vel tali leone, dicuntur suscipere contraria. Vel dicas quod suscipere contraria primo conuenit primæ substantiæ tantum, sed secundario etiam secundis, sicut & substare accidentibus.

Posset autem quis hic dubitare. An proprietates substantię distinguã tur realiter a substantia. Cui respondet. S.D. opusc. 48. cap. 1. Quod substantia duo habet. Primũ quod substet accidentibus, & hoc habet vt significatur per modum substantiæ. Secũdum est quod a nullo priori dependeat, vt significatens per se. In his autem duobus fundantur proprietates substantiæ. Subdit autem S.D. Et isti modi sunt idipsum, quod substantia differentes sola ratione animę concipientis ipsam secundum diuersas habitudines. Quæ ratio non est ficta sed accipitur a re, ita enim in re est. Nam & substantia substat accidẽtibus, & nulli innititur, tamen ista nõ sunt duę res distinctę, sed distinctio sumitur a ratione. Vult ergo S.D. dicere, quod rationes substantiæ attributæ non sunt fictæ. i. conceptę tantum ab intellectu, ita vt distinguantur tantum secundum rationem ratiocinantem, sed sunt verę rationes reales, sed non distinctæ subiectiuæ quia in vna entitatem substantiæ subiectuntur, sed bene obiectiue, quia intellectus vt distinctas concipit.

LECTIO XVI.

QVantum autem aliud quidem est continuum, aliud discretũ, & aliud quidem ex habentibus positionem ad se inuicem in ipsis partibus constat, aliud autem ex non habentibus positionem.

Est autem discreta quantitas, vt numerus & oratio: continua vero, vt linea, superficies, corpus. amplius autem præter hæc, tempus, & locus.

Partium etenim numeri nullus est communis terminus, ad quem copulantur partes eius, vt quinque & quinque si decem sunt partes, ad nullum communem terminum copulantur quinque & quinque, sed semper discreta sunt. Et tria & septem ad nullum communem terminum copulantur, neque omnino habeas in numero communem terminum partium accipere, sed semper discretæ sunt, quapropter numerus, quidem discretorum est. Similiter autem & oratio, quod enim quantitas est oratio, manifestum est: mensuratur enim sylla ba breui & longa. Dico autem orationem cum voce prolatam, ad nullum enim communem terminum partes eius copulantur: non enim est cõmunis terminus, ad quem syllabæ copulentur, sed vnaquaque diuisa est, ipsa secundum seipsam.

Linea vero continua est, est enim

sume-

sumere communem terminum, punctum ad quem partes eius copulentur: & superficiei lineam, plani namque partes ad aliquem communem terminum copulantur. Similiter autem & in corpore poteris sumere cōmunem terminum lineam, vel superficiem, ad quam copulantur corporis partes.

Est autem talium & tempus & locus: præsens enim tempus ad præteritum & ad futurum copulatur: Rursum locus continuorum est: locum enim quædam corporis partes obtinent, quæ ad quendam communem terminum copulantur. Ergo & loci partes, quæ obtinent singulas corporis partes ad eundem communem terminum copulantur, ad quem & corporis partes, quapropter cōtinuus erit locus: ad vnum enim terminum communem copulantur eius particulæ.

Amplius autem alia quidem constant ex particulis, quæ in eis sunt, positionem ad se inuicem habētibus, alia autem ex non habentibus positionem, vt lineæ quidem particulæ positionem habent ad se inuicem, singulæ namque earum sitæ sunt alicubi: & habeas vnde distincte sumas & assignes vbi singulæ sitæ sint in plano, & ad quam partem reliquarū copuletur, similiter autem & particulæ plani habent quandam positionem, similiter autem assignaretur vnaquæque vbi iacet, & quæ ad se inuicem copulantur, sed & solidi partes similiter & loci.

In numero autem non poterit quisquam ostendere quemadmodum particulæ eius positionem aliquam ad se inuicem habent: aut vbi iacent, aut quæ partes ad se inuicem connectuntur. Neque ea quæ temporis sunt, nihil enim permanent particulæ temporis, quod autem non est permanēs, quomodo positionem aliquam habebit? sed magis quendam ordinem dices habere: eo quod aliud quidem sit prius, aliud vero posterius. Sed & in numero similiter, eo quod prius numeratur vnus, quam duo, & duo quam tres: & ita habebunt quendam ordinem, positionem vero non omnino accipies. Sed & oratio similiter nulla enim permanet partium ei, sed dictū est simul, & non est hoc amplius assumere: quapropter non erit positio particularum eius: siquidem permanet. Alia itaque constat ex particulis, quæ in eis sunt, positionem ad se inuicem habentibus: alia autem ex non habentibus positionem.

Proprie autem quantitatis hæc sola dicuntur, quæ diximus: alia vero omnia secundum accidens sunt, ad hæc enim aspicientes & alia dicimus quanta, vt multum dicitur album, eo quod superficies multa sit: & actio longa, eo quod tempus multum sit, & motus multus, neque .n. horum singulum per se dicitur quantum, vt siquis assignet quanta sit actio temporis diffiniet anni mensuram, vel sic aliquo modo assignans, & album quantum sit assignans, superficiem diffiniet. Quanta enim superficies fuerit, tantum album esse diceres. Quare solæ proprie & secundum seipsum quantitates dicuntur, quæ dictæ sunt: aliorum vero nihil per se, sed si forte per accidens.

HOc est secundum prædicamentum, quod dicitur prædicamentum quantitatis, in cuius explicatione multa essent dicenda, si alibi tractanda non forent. Quantum igitur spectat ad negotium nostrum breuiter perlustrabimus, quæ vero ad Physicum, Methaphysicum, vel Mathematicum pertinent, relinquemus. In hac autem lectione summarie omnia ea complectemur, quæ ab Arist. de quantitate affirmantur, vsque ad assignationem proprietatum eius, difficultates omittendo, vsque ad sequentem lectionem.

Ordo. Primo ergo animaduertendum est, quod Arist. iure merito post tractatum de substantia apposuit illum de quantitate, propter multas rationes. Prima est Ammonij, quæ in hoc consistit, quod dum superius Arist. agebat de proprietatibus substantię, bis substantiam similem quantitati fecit f. in non habere contrarium & in non suscipere magis, & minus, de similibus autem recta fit disputatio, & vnum simile ad aliud sequitur. Secunda ratio est, quia materia via generationis præcedit formam, & quātitas se tenet loco materiæ, & qualitas loco formæ. Tertia est, quia quantitas secundum rem est maxime propinqua substantię, cum omnis substātia corporea sit quanta, vnde multi decepti dixerunt quantitatem esse substantiam. Ex maxima igitur propinquitate ad substantiam, de ea agitur. Quarta ratio est, quia quantitas, & substantia corporea simul generātur, & simul corrumpuntur.

Quātitas multipliciter diuiditur. Secundo notandū est, quod Arist. diuidit quantitatem in continuam, & discretam, vnde ex textu, Primo notandum est, quod dixit quantitatis, & non quantum, aliud continuū, aliud discretum, quia hic sumitur quantitas vt est genus generalissimū, & non vt est concretum quantitatis. Secundo dixit aliud, & non alia, seu altera, quia hæc est diuisio quantitatis in suas species realiter distinctas facientes aliud, non alterum, vel alteratum. Tertium est, quod prius diuisit quantitatem in continuam, & discretam. Secundo in habentem partium positionem, & non habentem, quia diuisio per differentias positiuas, est prior illa, quæ habetur per differentiam positiuam, & negatiuam, at diuisio in continuum, & discretum habetur per differentias positiuas, alia vero est per positiuum, & negatiuum, idest per habere, & non habere, ideo prius diuisā est quantitas in continuum, & discretum, antequam in habentem partiū positionem, & non habentem.

Quadam dicitur mollis & quadam virtutis. Tertio sciendum antequam ad vlteriora procedamus, quod duplex est quantitas, f. virtualis, & dimensiua. Virtualis, est virtus qua aliqua res mensuratur, vt dum dicimus hanc esse magnam scientiam &c. & hæc quantitas etiam reperitur dempris omnibus imperfectionibus in Deo, & suo modo in Angelis, & de hac nullam mentionem facit Philosophus, vt extra suum propositum. Dimensiua vero est illa, quæ dicitur mensurare substantiam, & hæc est duplex. Nam quędam dicitur dimensiua per se, quia per se mēsurat, vt sunt quinq; species quantitatis continuę, infra explicandæ. Quædam est dimensiua per accidens, quoniam mensurat per accidens, vt albedo, & nigredo dicuntur mensurare superficiem, vel corpus, quia extenduntur ad extensionē illorum. Sed & hæc duplex est. Quædam est dimensiua per accidens intensiue, per se ferens maximam intēsionem formæ, prout dicimus albedinem in niue esse maiorem intensiue albedine existente in pariete. Quędam vero dicitur maior extensiue, sicut albedo existens in magno parie-

te, dicitur esse maior albedine existẽte in parua niue.

Species eius multæ. Quarto. Philosophus enumerat species quantitatis continuæ, & discretæ dicendo, quod species quantitatis discretæ duæ sunt, s. numerus, & oratio, continuæ vero sunt quinque, s. linea, superficies, corpus, locus, & tempus. Vbi scito quod Arist. diuidendo quantitatem in continuum, & discretum, antepofuit continuam discretæ, sed in numerando species quãtitatis continuæ, & discretæ, antepofuit discretam continuæ, & ratio est; quia dupliciter considerari possunt. Primo naturaliter, & sic discreta est prior continua, quia vnitas quæ est principium quantitatis discretæ, naturaliter est prior multitudine, quæ causatur ex diuisione continui. Secundo possunt sumi prout a nobis intelliguntur, & sic continua est prior, quia quantitas discreta non cognoscitur a nobis, nisi vt causatur ex diuisione continui. Primo modo considerauit Arist. quantitatem in enumeratione specierum, & primo in diuisione.

Differũt. Quinto animaduertendum est circa eundem textum, quod Auctor assignãs species quantitatis continuæ ait, vt linea, superficies, & corpus, deinde subinfert, amplius autem pręter hæc, & locus, & tempus, quæ diuisio verborum, aliquid peculiare significat. Dicimus ergo, quod mensura est de ratione quantitatis, sed mensurare stat dupliciter. Primo intrinsece, & sic linea, superficies, & corpus dicuntur esse mensuræ intrinsecæ substantiæ, quia intrinsece mensurant, & sunt in re mensurata. Quædam vero mensurant extrinsece, sicut locus, qui mensurat inquantum est in locante, & tempus, vt est in motu primi mobilis. Vt ergo innueret, quod non eodem modo substantiæ mensurent, sed quædam intrinsece, & quædam extrinsece, illa verba adiunxit.

Litera Arist. explicatur. Sexto Arist. explicat, quæ sit quãtitas continua, & quæ discreta, & probat veritatem diuisionis suprapositę. Inquit ergo, quod quantitas cõtinua est illa, quæ habet vnum terminum communem, ad quem partes copulantur, & discreta est illa, quæ non habet vnum terminum communem. His duob. suppositis. Primo probat, quod numerus non sit quantitas continua, quia partes numeri non copulantur ad vnum terminum communem. Probatur. Quia quinque, & quinque ex quibus fit denarius numerus, non habet terminum communem. Secundo hoc probat de oratione, quia eius partes non copulantur ad vnum terminum communẽ, quia syllaba quæ componitur ex pluribus literis non copulatur ad aliquã literam, tanquam ad terminum cõmunem, cum singulæ literæ discretæ sint. Tertio probat, quod linea sit quãtitas continua, quia copulatur ad vnum terminum communem. scilicet ad punctum, qui est terminus duarum partium lineæ. Quarto probat de superficie, quia eius partes copulantur ad lineam, tanquam ad terminum communem. Quinto probat de corpore, quia dimensiones corporis terminantur ad lineam, vel superficiem, tanquam ad terminum cõmunem. Sexto probat de tempore, quia partes temporis copulantur ad vnum instans, quod est finis præteriti, & principium futuri. Vltimo probat de loco, quia eius partes copulantur ad continens.

Terminus communis qs sit. Septimo notãdum ex textu, quod terminus communis ille dicitur, qui est principium vnius partis, & finis alterius, vnde cum punctum positum in medio lineæ sit terminus ad quod finitur prima pars lineæ, & a quo secunda incipit, ideo dicitur terminus communis, & idem dic de superficie, corpore, loco, & tempore. Terminus

vero discretus non est cōmunis, quia ad ipsum non copulantur partes, dū enim dico duodecim, qui numerus componitur ex sex, & sex, nullum inuenio terminum communem, & idem dic de litteris, quia hic, terminus non potest esse initium vnius, partis, & finis alterius. Terminus autem communis primo habet, quod habeat actum terminandi communem. i. respectu vtriusque partis. Secundo, quod sit indiuisibilis, quia est vltimus terminus.

Numerus numerās, & numerus numeratus.

Octauo notandum circa numerū, qui ponitur quantitas discreta, quod dupliciter sumi potest. Primo pro numero abstracto, seu numero numerante, vt vnum, duo, tria, &c. & hic numerus ponitur formaliter in ratione numerāte secundum. S.D.p.p.q. 30. art. 1. ad 4. Secundo sumitur pro numero applicato, seu pro numero numerato, vt dum dico tres canes, & quatuor homines, & hic numerus est accidens consequens naturas rerum, in quo sunt duo consideranda. Primum est res quæ numeratur, & hæc potest esse distincta ab alio. Secundum est vltima vnitas rerum numeratarum, & hæc constituit vnitatem rerum sub numero, & habet rationem vltimæ formæ, vt octauo Methaphysicæ videndum erit. Nam prior numerus se habet vt materia & vltimus vt forma, non quoad omnes rationes formæ, sed quoad hoc, quod priorem actuat, & vltimum denominat, vnde ex his fit vnum per se, & realiter, quamuis formaliter sit opus rationis, separare vnum numerum ab alio numerando.

Oratio multipliciter sumitur.

Nono animaduertendum est circa orationem, quod multipliciter sumitur. Primo pro aggregatione subiecti cum prædicato, vt diffinitur primo Peryhermeniarum, quod est vox significatiua ad placitum, cuius partes separatæ .s. subiectum, & prædicatum aliquid significant. Secundo sumitur pro quacunque prolatione vocis, siue sit vnius termini, siue plurimorum terminorum, siue complexorum, siue incomplexorum, siue in mente, siue in scripto, & sic eā consideramus nunc. i. inquantum est in voce, sed sic etiam quadrupliciter sumi potest. Primo pro voce prolata, & sic non est quantitas, sed qualitas, de tertia specie qualitatis. Secundo sumitur pro numero syllabarum, & dictionum vocis prolatæ, & sic est numerus. Tertio sumitur in quantū aliquid significat, & sic est in genere relationis, cum dicatur relatiue ad rē significatam. Quarto sumitur pro quantitate literarum & syllabarum sibi succedentium, secundum quod vna est longa alia, breuis, & sic sumitur hic, & ponitur quantitas discreta. Sed aduerte quod breuitas, & longitudo in syllabis non est propria, quia talis reperitur in linea &c. sed est similitudinaria.

Linea dupliciter sumitur.

Decimo notandum est circa lineam, quod dupliciter considerari potest. Primo generaliter, prout dicitur de linea recta, & circulari. Secundo inquantum solum dicitur de linea recta finita, non de infinita, nec de circulari. Si cōsideretur scđo mō sic diffinitur. Linea est longitudo cuius extrema sunt duo puncta. Si vero consideretur primo modo, sic diffinitur. Linea est longitudo, fluxu imaginario puncti tracta per longum, & hoc secundo modo conuenit omni lineæ, etiam infinitæ, si autem consideretur primo modo, non conuenit nisi lineæ rectæ, & finitæ, linea tamē superficies, corpus, & species numerorum etiam in infinitum sunt prædicamentales, quia sunt infinitæ secundum quid, & sunt species attomæ, quia vno modo per se tantum extendunt quantitatem.

Vndecimo sciendum est circa su-

Et superficies. perficiem,quod etiam ipsa considera tur generaliter,& particulariter. Si consideratur generaliter, sic diffinitur. Superficies est longitudo,& latitudo, sine profunditate, causata ex imaginario fluxu lineæ in latum, & hæc conuenit etiam superficiei infinitæ,si daretur. Si autem consideretur particulariter pro superficie solũ finita, sic diffinitur. Superficies est longitudo,& latitudo sine profunditate,cuius extrema sunt duæ lineæ, nã Mathematicus imaginatur, quod ex fluxu lineæ in latum causetur superficies. Et aduerte quod semper est in substantia, quam etiam innotescere facit.

Et corpus Duodecimo notandum est circa corpus,quod pro nunc dupliciter sumitur. Primo pro re subiecta trinæ dimensioni,composita ex materia,& forma, & sic collocatur in prædicamento substantiæ. Secundo sumitur pro trina dimensione, & hoc etiam dupliciter. Primo generaliter, vt etiã dicitur de corpore infinito,& sic diffinitur,quod est longitudo, latitudo, & profunditas,tracta ex imaginario fluxu superficiei in profundum. Secundo sumitur solum pro corpore finito,& sic diffinitur. Corpus est longitudo, latitudo,cum profunditate, cuius extrema sunt duæ superficies, sed hæc parum sunt necessaria.

Linea Physice ẽ lata &c. Tertiodecimo aduerte,quod dum dicimus, lineam esse tantum longitudinem,hoc secundum veritatem, & realitatem non est verum, cum nõ possit reperiri linea sine latitudine, vnde loquimur secundum imaginationem nostram, & sic verum est, quod imaginamur lineam sine latitudine, sicut & superficiem sine profunditate .i. Mathematice, sed non Physice. Et his formaliter cõstitui intelliguntur,linea longitudine, superficies latitudine, & corpus ꝓfunditate,quãuis alias dimensiones includãt.

Quartodecimo animaduertendũ est circa tempus,quod sic diffinitur. *Tempus multa habet.* Tempus est numerus prioris, & posterioris in motu,& intellige primo, quod est numerus numeratus,& non numerans,quia est numerus prioris, & posterioris motus,& mobilis. Secundo habeas, duo esse in tempore, vnum quod se habet vt materiale, & hoc est continuatio, & successio motus, secundũm prius, & posterius. Aliud quod se habet vt formale,& hic est actus animæ numerantis. Possunt igitur esse motus,& tempus materialiter, idest vt sunt res successiuæ sine anima numerãte,sed non formaliter,vt numerus prioris, & posterioris copulantur ad vnum terminum communem, nam numerale ad animam tantum,formaliter spectat. Et ex hoc habes concordiam diuersorũ dictorum S.Doctoris. Tertio habeas, quod tempus dicitur vnum, quia fundatur in vno primo motu vniformi primi mobilis, vnde quamuis mẽsis, & annus non proueniant a motu primi mobilis, quia talis motus non facit nisi diẽ naturalem, & sol proprio motu incedens sub eclyptica facit mẽses,cum anno,tamen nec mensis, nec annus fiunt nisi per comparationem ad diem, sed & talis distinctio est respectu nostri.

Specie quæ habẽt positionẽ & quanũ Vltimo annotandum cum Arist. quod species quantitatis,quædam habent partium positionem, & quædã non. Quæ ergo habent positionem debent habere tres conditiones. Prima vt dicant permanentiam partium in toto,quia quæ iuxta se posita dicũtur,permanere oportet. Secunda vt habeant situationem,quia debet ostẽdi vbi sit vna pars, & vbi alia,s.an ante,an retro,an a dextris,vel a sinistris &c. Tertia vt habeant continuationem, quia copulantur ad vnum terminum communem, & inde sequitur quod linea, superficies, corpus,& locus

tas habent positionem partium, quia partes eorum permanent, & iuxta se inuicem iacent, & connectuntur ad vnum terminum. Numerus vero nõ habet positionem partium. Primo, quia caret situatione, cum a situ abstrahat. Secundo, quia caret continuatione, quia quælibet vnitas, quæ est principium numeri in indiuisibili cõsistit, similiter nec tps, qa primo caret permanentia, cum sit in fluxu, & secundo quia caret situatione, cũ ab ea abstrahat; nec oratio, quia caret permanentia, cum fugiat irreuocabile verbum.

LECTIO XVII.

Cum superius exposuerimus naturam quantitatis, & eius diuisiones, nunc vt clarior, & firmior habeatur eius notitia necessum est adducere omnia argumenta, quæ militant contra superiora, vsque ad primam proprietatem quantitatis.

Primo ergo arguo cõtra diuisionẽ. Nam omne vniuocum, prius est diffiniendum, antequam diuidendum. At quantitas est genus vniuocum ad quantitatem continuam, & discretã. Ergo male egit Arist. prius diuidendo quantitatem in continuum, & discretum, antequam diffinierit. Minor probatur, quia omnia genera generalissima vniuoce prędicantur de suis speciebus.

Secundo videtur, quod male eam diuiserit. Nam continuum, & discretum idem videntur significare, nam diuisibilitas quæ conuenit quantitati aptitudinalis est. Modo tum quantitas continua, tum discreta est aptitudinaliter diuisibilis in plures partes. Ergo.

Tertio. Hic considerantur hæ quãtitates inquantum, habent rationem mensuræ. Sed sic quantitas est discreta, quia principium quantitatis discretæ est vnitas. Ergo continua quãtitas non est distincta a discreta, sed reducitur ad ipsam.

Quarto. Accidentia in concreto per se primo non ponuntur in prędicamento, sed in abstracto, ergo male diuisit Arist. quantum in concreto dum dixit, quantum, & non quãtitas, aliud continuum aliud discretum. Antecedens patet, quia generalissima sunt abstracta vt substantia, qualitas, &c.

Quinto. Arist. præposuit continuũ discreto in diuisione, & in enumeratione oppositum fecit. Ideo male seruauit seruanda.

Sexto. Corpus est in prædicamento substantiæ. Ergo male locatur in prædicamento quantitatis.

Septimo. In spiritualibus substantijs est numerus, & tamen illæ substantiæ non sunt quantæ. Ergo numerus non est de prædicamẽto quantitatis.

Octauo. Arist. in quinto Meth. inter quantitates nõ enumerat nec orationem, nec locum, hic sic, igitur male vel hic, vel ibi se habuit.

Nono. Eodem in loco ponit in numero quantitatum per accidens, tempus, & motum, & hic ponit tempus inter quantitates per se.

Decimo. Videtur quod oratio non sit quantitas, quia vel erit mentalis, vel vocalis, vel scripta. Sed scripta est potius materialiter substantia, & vt significatiua est relatio, mentalis vero est qualitas, cum sit in mente, & vocalis est aer verberatus. Igitur.

Vndecimo. Quælibet per se sylla ba est quantitas continua, quæ vnico spiritu profertur, & continuo. Igitur non est discreta.

Duodecimo. Si linea, superficies, &c. sunt quantitates continuæ, ergo etiam suæ passiones. Hoc falsum. Ergo. Probo assumptum, quia considerans rem, considerat etiam eius passiones.

nes. Probo minorem, quia triangulus, Isocheles, &c. quæ ponuntur passiones quanti, sunt figuræ de prædicamento qualitatis.

Tertiodecimo. Magnitudo, longitudo, multitudo, & his similia sunt species quantitatis, & tamen non constat sub quibus assignatarum contineantur. Ergo mancus Arist.

Quartodecimo. Vnitas, & punctū pertinent ad prædicamentum quantitatis, sed sub qua specie continentur?

Quintodecimo. Multæ aliæ quantitates videntur omissæ, quæ sunt mēsuræ, vt Gomor, Vncia, libra, modius, & similes, Ergo Arist. diminutus.

Argumēta soluuntur.

Ad primum respondebant Doctores Louanienses, quod Arist. primo diuisit quantum, quia generalissima non possunt diffiniri. Sed hæc responsio non satisfacit, quia si non possunt diffiniri, possunt tamen describi, sicut descripta sunt alia prædicamenta. Secundo respondet Toletus, quod non diffiniuit quantitatem, nec quantum, quia hæc nota sunt, diffinitio autem datur causa innotescendi. Sed nec hæc responsio est bona, cum etiā manifestissima diffiniantur, vel describātur per essentialia, vt quod nix sit disgregatiua visus. Secundo, quia & si nota sit quantitas, non tamen est nota ratio quantitatis, s. an sit mensura, vel diuisibilitas. Tertio, quia propria natura quantitatis a multis est ignorata, vnde in signum, tot dubitationes de ea exoriuntur. Respondent tertio S. D. in quinto Metaphy. lect. 15. Caietan⁹ hic. Albertus, & Soto, quod quia ratio quantitatis hic considerata est esse mensuram substātiæ, & non eodem modo mensurant substantiam quantitas continua, & discreta (nam continua metitur magnitudinem rei, & discreta multitudinem) vnde ad interrogationē quanta sit q̄titas respondemus per continuā, idest, est magna, vel parua, & ad interrogationem discretæ dicimus, tot sunt, i. quindecim, vel viginti. Hanc responsionem reprehendit Toletus dupliciter. Primo, quia ratio mensuræ non est prima ratio quantitatis, vt quantitas est, sed vt est ratio partium. At hic consideratur secundum suam primam rationem. Secundo, quia si ratio mensuræ esset directa ratio quā titatis, quantitas non esset genus. Sed respondemus falsum esse, quod mensurare substantiam Logice, & si non Physice non sit prima ratio quantitatis, & quod quantitas vt mensura nō sit genus ad mēsurata. Vnde dicimus ad argumentā Toleti, quod ratio mēsuræ, quæ hic principaliter attribuitur quantitati, dupliciter considerari potest. Primo Logice, vt est ratio mensurandi vt sic. Secundo Physice, vt realiter mensurat, discrete, vel continue. Primo modo est genus vniuocū. Secundo analogum, quia inæqualiter participatur vt supra. Secundo dico, quod alio modo procedimus in scientia dum directe docemus, & alio modo dum potius exemplificamus, supponendo cognitionem rei. Nam primo modo procedimus diffiniendo, secundo diuidendo, & enumerando, & quia hic Arist nolebat adamussim agere de natura quantitatis, quia in Methaphysica eam secundum suum esse erat diffiniturus, ideo hic adduxit diuisiones, & enumerationes, quibus contentus fuit, & nos, contēti esse debemus, vsque quo peruenerimus ad quintum Meth. Scias autem hic mensuram esse rationem formalem quantitatis Logicam, quia sic dicitur de substantia. Sed diuisibilitas est eius ratio formalis realis, & Physica, non vt sumitur formaliter pro diuisibilitate, sed vt consideratur fundamentaliter, & radicaliter, i. vt vendicat sibi extensionem, ex qua nascitur diuisibilitas.

Ad

Ad secundum respondemus, quod & si quantitas continua, & discreta sint diuisibiles, tamen sunt diuisibiles in diuersas species distinctas realiter, ideo diuisio est per aliud, & aliud, vnde & si vna educeretur ex altera, tamen non sequitur, quod non essent distinctæ species, quia vna in ordine ad alteram potest esse quasi eius materia, quæ tamen secundum se habet propriam rationem formalem, & per hoc patet ad tertium.

Ad quartum dicimus verum esse antecedens secundum S. Thomam, & Paulum Venetum, quamuis Soto faciat aliquam difficultatē, quia prædicamenta non prædicantur nisi in concreto. Dico ergo, quod prædicamēta dupliciter considerari possunt. Primo prout vnum distinguitur ab alio, & secundum modum suum essendi sumuntur, & sic considerantur vt sint abstracta, quia sic sunt decem prima genera rerum simplicia, & non determinata. Secundo vt prædicantur de suis inferioribus in actu exercito, vel de substātia, & sic considerantur primo in concreto, sicut primo modo in abstracto, vnde textus Argiropoli bonus est in secundo sensu, quia dixit quantum, aliud continuum, aliud discretum, textus vero communis melior est primo modo, qui habet, quantitatis aliud continuum, aliud discretum.

Ad quintum primo respondet Albertus, quod quia quantitas continua notior est, ideo fuit primo diuisa, at quia discreta est simplicior, ideo fuit prius enumerata, vnde secunda est cōsideratio rei secundum suam naturam, & prima ratione nostri. Alij dicunt, quod quantitas continua & discreta dupliciter considerari possunt. Primo vt diuisibiles sunt. Secundo vt mensuræ sunt. Primo modo continua est prior, quia multitudo causatur ex diuisione cōtinui. Secundo modo discreta est prior, quia omnis quātitas per vnitatem mensuratur, quod vt significaret Aristoteles ordinem variauit. Sed ego dicerem, præter ea quę dixi in annotationibus, quod hęc fecit ex ordine. Prius enim dixerat quantum quoddam continuū, quoddam discretum, tunc conuertens sermonem, enumerat species ordine e conuerso.

Ad sextū responsum est superius, quod corpus dupliciter considerari potest. Primo pro trina dimensione, s. pro longitudine, latitudine, & profunditate. Secundo pro subiecto, subiecto trinæ dimensioni, s. pro substantia illis dimensionibus mensurata. Primo modo ponitur in prædicamento quantitatis, & secundo modo in prædicamento substantiæ, & ita diuersimode est consideratum varijs in locis.

Ad septimum dicendum, quod duplex est numerus. Primus non est prædicamentalis, sed transcendens circuens omnia genera, & hic dicitur numerus formalis, seu transcendentalis, seu multitudo, & hic reperitur etiam in Diuinis, & in Angelis, & in essentijs, prout dicimus in Diuinis esse tres personas, & magnam esse multitudinem Angelorum, & vnam esse tiam differre ab alia. Alius est numerus materialis, & rerum materialiū corporū, superficierum, & omnium quantorum, & hic est de prædicamēto quantitatis, & consideratur in præsenti a Philosopho.

Ad octauum primo dicam de oratione, deinde de loco. Oratio ergo dupliciter considerari potest. Primo secūdum se. Secundo inquantum est mensura sonorum discretorum, idest modaliter, & sic hic consideratur, & habet rationem quantitatis non secū dum rem, sed secundum modum, nō primo modo. Secundo respondetur, quod quamuis Arist. ibi explicite nō

fece-

fecerit mentionem de oratione, tamé tractando de numero transcendentali & multitudine, etiam implicite tractabat de oratione, quia oratio est multitudo syllabarũ. Tertio dicitur, quod hic loquebatur de quantitatibus secundum famositatem, prout famose plures ponebantur quãtitates, inter quas aderat oratio. In Methaphysica autem ex proprijs sententia procedit. De loco item respondetur, quod si consideretur quoad diuisionem, sic est idem quod superficies, quia diuiditur ad diuisionem superficiei. Si vero spectetur in ratione mensuræ, sic est distinctus, quia est mensura corporum separabilium a se. Secundo dico, quod est locutus secundum famositatem. Tertio dic, quod continetur sub superficie in communi, de qua ibi, quia locus est superficies corporis continentis &c.

Ad nonum primo dicam de tempore, secundo de motu. Tempus ergo dupliciter sumi potest. Primo secũdum suum esse, & sic cum recipiat quantitatem ab alio, id est a mobili, hinc dicitur quantitas per accidens. Secundo in ratione mensuræ, in quantum per vnum instans mensurat præteritum, & futurum, & sic ponitur quantitas per se, & consideratur hic. Primo autem modo alibi. De motu multa essent dicenda, quæ egrediuntur limites Logicales, pro isto interim dicimus, quod motus ratione mobilis dicitur quantitas per accidens, & vt mensurat, quantitas per se.

Ad decimum Toletus multa congeris superflua, sed sufficit dicere, quod oratio in qua prĩũ mensurat breuitatem, vel longitudinem syllabarũ est quantitas discreta, & sic hic fuit considerata.

Ad vndecimum dicendum, quod syllaba potest dupliciter considerari. Primo prout profertur continue, & sic est quantitas continua, quia continuo profertur. Secundo vt est longa, vel breuis, ex literis ex quibus cõponitur, & sic cum illæ literæ non habeant communem terminum, non video quomodo non sit quantitas discreta.

Ad duodecimũ respondetur, quod linea bifariam considerari potest. Primo vt est quanta, & mensura secundum longitudinem, & sic hic consideratur tantum, & non quoad eius species. Secundo vt est linea, & ens Mathematicum diuisibile secũdum diuersas rationes linearum, & sic cõsideratur a Mathematico, quoad eius species. Tamen nota, quod linea vt aspera, vel lenis consideratur in prædicamento qualitatis, & vt mensura est, & non secundum eius proprietates in prædicamento quantitatis.

Ad decimumtertium dicimus, quod magnitudo spectat ad corpus, longitudo ad lineam, latitudo ad superficiem, multitudo ad numerum &c.

Ad decimumquartum dicendum, quod punctum spectat ad lineam cuius est principium, non effectiuũ, quia non efficit lineam, nec materiale, quia linea non componitur ex indiuisibilibus, sed secundum dissignationem nostram, quia linea vel trahitur ad punctum, vel a puncto. Vnitas vero spectat ad numerum vt eius principium, quia quælibet vnitas variat speciem numeri, vnde vnum additum quinquenario numero constituit numerum senarium.

Ad vltimum dicendum, quod continentur improprie tamen sub speciebus enumeratis, præcipue sub corpore, & numero vt mensurant, leue tamen, & graue ad qualitatem pertinent secundum S.D. 5. Metaph. lect. 15. & ita pondera proprie considerata, quæ ponuntur in secunda specie naturalis potentiæ.

LECTIO XVIII.

De prima proprietate quantitatis.

Amplius quantitati nihil est cõtrarium. In definitis autem manifestum est, quod nihil est contrarium, vt bicubito, tricubito, vel superficiei, vel alicui talium nihil est contrarium. Nisi forte quis multum pauco dicat esse contrarium, vel magnum paruo: horum autem nihil est quantum, sed magis ad aliquid. Nihil enim ipsum p seipsum paruũ vel magnum dicitur, sed eo quod ad alterum refertur, nam mons quidem paruus dicitur, milium vero magnũ, eo quod hoc quidem sui generis maius sit, illud vero minus, ergo ad alterum est eorum relatio, nam si per seipsum magnum vel paruum diceretur, nunquam mons quidẽ aliquando paruus, milium vero magnum diceretur. Rursus in vico quidem plures homines esse dicimus: Athenis vero paucos, cum sint illis multo plures, & in domo quidem multos, in theatro vero paucos, cum sint plures. Amplius, bicubitum vero, vel tricubitum, & vnumquodque talium quantitatem significat, magnum vero, vel paruũ non quantitatem, sed magis ad aliquid, quoniam hæc ad aliquid sunt. Amplius autem siue ponat aliquis hæc esse quanta, siue non ponat, nihil illis contrarium erit. Quod enim non potest sumi per seipsum, sed ad solam alterius rationem refertur, quomodo huic aliquid erit contrarium? Amplius autem, si erunt magnum & paruum contraria, contingeret idem simul contraria recipere, & ea ipsa sibimet esse contraria. Contingit enim idem ipsum simul paruum esse & magnum, est enim aliquid ad hoc quidẽ paruum, ad aliud vero idipsum magnum, quare idem paruum & magnũ in eodem tempore esse contingit, quare contraria simul suscipiet. Sed nihil est, quod videatur simul contraria posse suscipere, vt in substantia quidem: susceptibilis contrariorum quidem esse videtur: sed non suscipit vno eodemque tempore, nam nullus simul & sanus est & æger: nec albus & niger simul est: nihilque aliud simul contraria suscipiet. Et eadem sibiipsis contingit esse contria, nam si est magnum paruo contrarium: ipsũ autem idem simul est paruum & magnum: ipsum sibi erit contrarium: sed impossibile est ipsum sibi esse contrarium, non est igitur magnum paruo contrarium, nec multum pauco. Quare nisi relatiuorum hoc quilibet dicat, tamen quantitatis nihil habebũt contrarium. Maxime autem circa locum videtur esse contrarietas quantitatis, sursum enim ad id quod est deorsum contrarium ponunt: locum, qui in medio est, deorsum, dicentes, eo quod multa distantia medij ad termi nos mundi sit. Videntur autem & aliorum contrariorum diffinitionem ab his auferre, quæ enim a se inuicem multum distant eorum, quæ sub eodem genere sunt, contraria determinant.

Non videtur quantitas suscipere magis & minus: vt bicubitum, neque enim est aliud alio magis bicubitum,

neque in numero: vt tria quam quinque nihil magis tria dicuntur quam quinque: nec quinq; magis quam tria, neque tempus aliud alio magis & minus dicitur, nec in his, quæ dicta sunt magis & minus dicitur. Quare quantitas non suscipit magis & minus.

Proprium autem maxime quantitatis est, quod & æquale, & inæquale dicitur. Singulum enim earum quæ dicta sunt, quantitatum, æquale dicitur & inæquale, vt corpus æquale & inæquale dicitur, & tempus æquale & inæquale dicitur: et numerus æqualis & inæqualis dicitur: & oratio æqualis & inæqualis, similiter autem & in alijs, quæ dicta sunt, vnumquodque æquale & inæquale dicitur. In cæteris vero, quæ quantitates non sunt, non prorsus videbitur æquale & inæquale dici, namque dispositio æqualis & inæqualis non multum dicitur, sed magis similis & dissimilis, & album æquale & inæquale non multum dicitur, sed simile. Quare quantitatis est proprium æquale, vel inæquale dici.

Littera Arist. POstquā Arist. egit de quantitate, & eius speciebus, modo trāsit ad agēdum de eius proprietatibus. Habet ergo, quod prima proprietas quantitatis est non habere contrarium, vt autem hoc explicet tria facit. Primo hoc declarat. Secundo contra hoc dubitat dupliciter, Primo in initio, & hoc dubium soluit. Secundo in fine (ly maxime autem &c.) & dubium in decisum relinquit. Tertio inter hæc, duo dubia explicat, & probat quomodo quantitati nihil sit contrariū.

Quātitati nihil est contrariū. Quoad primum ergo ait, quod ex supradictis possumus deducere quātitati nihil esse contrarium, v.g bicubito, tricubito, superficiei, lineæ &c. Quoad secundum dubium proponit, quod quantitati videtur aliquid esse cōtrarium, nam magnum, & paruū, multa, & pauca ad quantitatem pertinent, & tamen hæc inter se videntur contraria, quia magnum videtur contrariari paruo, & multum pauco. Ad hoc dubium dupliciter respōdet. Primo negando quod hæc sint de genere quantitatis, quia videntur esse de genere ad aliquid, cum dicantur per respectum ad aliud, quod primo probat. Quantum absolute dicitur, magnum, & paruum absolute non dicuntur, sed ad aliquid. Ergo sunt ad aliquid. Probat minorem, primo exēplo, quia aceruus milij dr̄ magnus cōparatione aliorum granorum, v.g. arenæ, milij, & aliorum componentium aceruum, & mons quidam dicitur paruus respectu aliorum montiū ipsum excedentium. Secūdo hoc probat ratione, quia si magnum, & paruum absolute dicerentur, nunquam aliquem montem magnum, vel paruum dicere liceret. Secundo probat, quod non dicantur absolute, sed ad aliquid ex significatione vocabuli, quia magnum, & paruum significant excessum, excessus autem ad aliquid spectat, cum relatiue dicatur respectu excessi.

Secundo principaliter respondet dubio, quod dato magnum, & paruū esse quantitates, non tamen est admittendum quod sint contrariæ, quod tripliciter probat. Primo, quia contraria sunt duæ formæ absolutæ. Sed magnum, & paruum sunt relatiua. Secundo, quia contraria non possunt esse simul, sed magnum, & paruum sunt simul, quia idem erit magnum, & paruum respectu diuersorum. Tertio, quia idem non potest sibi esse contrarium, idem autem dicitur magnū, & paruum. Secundum dubium non solu-

solutum est, quia locus est de genere quantitatis, at in loco est contrarietas, quia centrum terræ maxime distat a concauo cæli, illa autem dicuntur contraria, quæ maxime distant.

Apparet. Circa hæc primo notandū, quod Arist. assignans hanc primam proprietatē vtitur isto termino (amplius) qui relatiue dicitur ad præcedentia, potest igitur duo sonare. Primum, quod hæc non sit prima proprietas quantitatis, sed alia iam sit assignata, & hoc non, quia nulla alia prior apparet. Secundo vt sonet quod quantitati nihil sit contrarium ex superioribus dictis, & sic est verum, Primo, quia in prędicamento substantiæ hoc dixerat, & secundo quia supra posuerat lineam, superficiem, bicubitum, tricubitum, &c. esse quanta, quæ non dicuntur habere contrarium.

In continuo & discreta. Secundo notandum, ꝙ cū duplex sit quantitas, s. continua, & discreta, Arist. explicuit quod in vtraque quātitate nō est cōtrarietas, nec in aliqua eius specie, nam exemplificando de magno, & paruo hoc determinauit de quantitate continua, & exemplificando de multo, & pauco, de discreta, cum talia sint.

Cur solutionem secundi dubij omisit. Tertio notandum, quod primum dubium soluit, & non secūdum, quia ex solutione primi constabat etiam solutio secundi, nam & sursum, & deorsum relatiue dicuntur, & non absolute, nam respectu mei existentis modo in ciuitate Veronæ domiciliū est dexterum, & pons nouus sinistrū, platea deorsum, & castrum S. Petri sursum. Respectu vero militum existentium in castro, mons ille est deorsum &c. Secundo omisit solutionem, quia dubitauerat secundum opinionem antiquorum, dicentium locum esse loco contrarium, quia sursum, & deorsum maxime distant, sicut faciūt contraria, sed supra dixerat, quod cōtraria maxime distant non secundū diuersa vbi, vt faciunt sursum, & deorsum, sed vt duæ formæ actiuæ, quarum vna aliam expellit.

Dubia.

Sed videtur, quod quantitati aliqd sit contrarium. Primo, nam longum contrariatur breui. At longum idem est quod linea, quæ dicitur longitudo, sicut latitudo idem est quod superficies, & corpus idem quod longitudo, latitudo, & profundum. Ergo si longum est de prædicamento quātitatis, in quantitate erit contrarietas.

Secundo. Motus augmenti, & decrementi sunt contrarij, quia motus est de cōtrario ad contrariū, ꝑ Arist. 5. Physicorum. Sed motus augmenti est ad magnum, & diminutionis ad paruum, igitur magnum, vel paruum sunt contraria, & quanta. Ergo.

Tertio. Ad quātitatem est motus, per Arist. 5. Physicorum. Sed vt diximus motus non est nisi inter contraria per se. Ergo.

Quarto. Aequale contrariatur magno, & paruo, per Arist. decimo Methaphisicæ, textu 17. tanquam medium duobus extremis. Ergo.

Quinto. Locus vt superficies contrariatur loco, quia corpora contraria naturaliter feruntur ad superficies contrarias, habentes virtutes contrarias conseruatiuas, vnde graue deorsum tendit, & leue sursum, igitur in quantitate erit contrarietas.

Antequam respondeamus his argumentis. Primo notandum venit, quod aliquid conuenire alicui stat dupliciter. Primo ex se, & ex sua natura, sicut homini conuenit ex sua essentia esse rationale. Secundo ex alio adiuncto, quia s. ei adiungitur aliquid, per quod ab alio differt, v.g. Sortes albus differt a Sorte nigro, nō ex se, cum ambo sint rationales, sed *Quātitas non habet contrariū secundum se.*

ex albedine, sibi adiuncta, & ita dicimus in quantitate, vnde.

Per se. Secundo considerandum, quod quantitas bifariam considerari potest. Primo secundùm se, vt quantitas est. Secundo ratione qualitatum sibi adiunctarum, vel rationum formalium. Si primo modo consideretur, nihil est ei contrarium, quia quātum vt sic, non contrariatur quanto vt sic. Secundo modo ita, sed hoc est per aliud.

Ad primum ergo dicitur, quod lōgum dupliciter sumitur. Primo absolute, prout dicitur diuisibile secundū longitudinem, sicut latum secundum latitudinem &c. & sic spectat ad prędicamentum quantitatis, & non habet contrarium. Secundo relatiue, vt dicit excessum respectu eiusdem, & sic dicitur ad aliquid, & habet contrarium, & idem dicimus de magno, nam absolute magnum est quantum diuisibile sed in respectu dicitur ad aliquid & habet contrarium.

Ad secundum dicimus, quod magnum, & paruum tripliciter sumi possunt. Primo absolute vt sunt quantitates diuisibiles. Secundo vt dicuntur in respectu. Tertio vt sunt termini rei naturalis augmentabilis, vel diminubilis. Primo modo spectant ad prædicamentum quantitatis. Secundo ad prædicamentum relationis, & tertio ad prædicamentum substantię, quia intelligūtur vt termini substantię, & sic ponuntur habere contrariū, & non primo modo. Si quis autem instet, quod quantum rarefit, & congregatur, quę sunt motus contrarij. Respondetur, quod hoc non habet vt quantum, sed quatenus ei adiungitur qualitas rarefaciens, vel inspissans.

Ad tertium idem dicimus, quod motus est in quantitate ratione, qualitatum contrariarum, & non absolute. Notandum tamen, quod quantitas dupliciter considerari potest. Primo vt est quantitas, & sic non habet contrarium, cum contrarietas stet inter duas formas actiuas, quæ sunt qualitates. Secundo vt est quantitas physica determinata ad maximum, & minimum, & sic non solum ratione qualitatum, sed & per se, & ratione terminorum in ea est contrarietas, & motus, nos autem mathematice, & Logice eam consideramus, & nō Physice, quia sic spectat ad Physicum. Vel dicas talem esse cōtrarietatem communiter dictam, quæ reperitur in omni prædicamento, & non est contrarietas propria, de qua in prædicamento substantiæ, actum est.

Ad quartum dicimus, quod æquale vt medium inter magnum, & paruum contrariatur magno, & paruo sumpta non absolute; sed in respectu.

Ad quintum pariter dicimus, quod locus tripliciter sumitur. Primo vt tantum dicit superficiem corporis continentis. Secundo vt dicit certum respectum ad centrum terræ, & polos mūdi. Tertio vt dicit virtutem cōseruatiuam, vel destructiuā locati, sibi a cęlo īpressam mediantib. qualitatibus alteratiuis. Primo modo spectat ad prædicamentum quantitatis, & non habet contrarium. Secundo modo spectat ad prædicamentum relationis, & vbi, & habet contrarium. Tertio modo habet contrarium, & consideratur a Physico.

LE-

LECTIO XIX.

De alijs proprietatibus quantitatis.

Quātitas non suscipit magis & minus. SEcunda proprietas quantitatis est nō suscipere magis,& minus. Probatur. Quæ habent contrarium suscipiunt magis, & minus,& quæ nō habent contrarium, non suscipiunt magis,& minus. Quantitas non habet contrarium vt supra probatum est. Ergo nec suscipit magis & minus.

Contra tamen hanc proprietatem arguitur. Quia sicut calidum est species qualitatis, ita longum est species quantitatis. Sed sicut per rarefactionem aliquid efficitur magis calidum, ita & magis longum. Ergo sicut qualitas suscipit magis & minus,ita & quantitas.

Confirmatur auctoritate S. Doctoris prima secundæ q.52.art primo ad primum vbi dicit, quod quantitas habet proprium augmentum, sicut aliæ formæ accidentales,per modum intensionis eius in subiecto,sicut patet in his quæ rarefiunt.

Ad primum tamen dicitur, quod quantitas non suscipiat magis, & minus potest bifariam intelligi. Primo secundum maiorem extensionem, & dimensionem, & hoc non,quia patet quod eadem quantitas quandoque rarefit ex calore, & ex frigore cōstringitur. Secūdo ſm maiorē intensionē, & radicationem in subiecto, & sic est verum,quod non suscipit magis, & minus ,quia de ratione talis non solū est extensio,sed maior & minor radicatio in subiecto.

Ad confirmationem primo dicitur,quod forsan litera D.Thomæ nō est legenda per ly intensionis,sed extensionis. Sed si legatur intensionis, dicimus quod similitudo in hoc stat, quod sicut qualitas augetur extensiue per additionem nouæ qualitatis,& intensiue per maiorem radicationem in subiecto,ita quantitas augetur extensiue per additionem nouæ quantitatis.v.g. augetur animal per nouū alimentum, & etiam per rarefactionem eiusdem quantitatis, non ex se, sed medijs qualitatibus.

Quātitas dicit æquale & inæquale. Tertia proprietas quantitatis est quod secundum quātitatem aliquid æquale vel inæquale dicitur. Hoc probat Arist. dupliciter. Primo inductione, ostendendo hoc conuenire omni q̄titati, nam linea per se est æqualis lineæ, numerus numero,& corpus corpori &c. Secūdo inductione ostendēte, quod alijs a quantitate non conueniat, inducendo duas species qualitatis, s. primam, & tertiam, in quibus maxime potuisset apparere æquale,& inæquale,sic arguendo implicite. Si de quo magis videtur inesse, & non inest,ergo nec de quibus minus videtur. Sed in prima,& tertia specie qualitatis videtur esse ęquale, & inæquale, & non inest,ergo minus in alijs. Minorem probat in prima specie,q̄a dispositio potius dicitur similis alteri dispositioni quam æqualis, sicut & vnum album non dicitur alteri albo æquale sed simile.

Argumenta.

COntra tamen hanc proprietatem quantitatis arguitur primo. Hęc proprietas conuenit substantiæ. Ergo non tantum quantitati. Probatur antecedens, quia vna substantia vt est substantia alteri substantiæ dicitur æqualis in perfectione substātiali, vel inæqualis, secundum diuersos gradus substantiarum.

Secundo. Duæ qualitates v.g. duæ albedines inæqualiter intensæ sunt similes, & tamen inæquales, nisi eodem modo intendantur, ergo æquale, &c

le, & inæquale erunt etiam in qualitate.

Tertio. Aequale, & inæquale relatiue dicuntur, ergo sunt etiam in prædicamento ad aliquid.

Quarto. Dato quod omnes quantitates perirent, & vna tantum de nouo producatur & conseruetur, hæc nulli alteri erit æqualis, cum nulla alia sit. Ergo non conuenit quantitati vt sic.

Quinto. Nulli generi, vel speciei quantitatis conuenit æqualitas, vel inæqualitas. Ergo. Probatur antecedens, nam quantitas continua non est æqualis discretæ, nec superior inferiori, cum non distinguantur, quod est de ratione quantitatis, nec species numerorum alicui sunt æquales, quamuis inter se sint inequales.

Sexto. Duæ virtutes, & duæ substãtiæ separatæ possunt dici æquales, & tamen ab eis remota est omnis quantitas.

Septimo. Pondus, & pondera dicuntur æqualia, & inæqualia, & tamẽ non sunt quantitates, cum pondera non connumerentur inter species quantitatis.

Secundũ proprietatem.

Antequam his argumentis respondeamus, primo venit notãdum, quod hæc non est communitas quantitatis, ita vt alijs a quantitate conuenire dicatur, sed est proprietas quantitatis, quæ conuenit omni, soli, & semper, & conuersim .s. omni quantitati, soli q̃titati & sẽper, ita vt omne æquale, & inæquale sit quantum, & omne quantum ęquale, vel inæquale.

Aptitudine.

Secundo notandum, quod aliqua dicantur æqualia, vel inæqualia stat dupliciter. Primo in actu, & hoc non est semper necessarium. Secundo in aptitudine, s. vt duo quanta possint fieri æqualia, vel inæqualia, & sic est verum.

In propria quantitate.

Tertio notandum, quod sicut duplex est quantitas, ita duplex est ęqualitas. Quædam enim quantitas est propria, q̃ est proprie diuisibilis, alia vero methaphorice, quæ vocatur q̃titas virtutis, vt supra ostensum est. Ita duplex est ęqualitas, vna propria, quę saluatur inter duo vere, & proprie quanta, alia metaphorica, quæ saluatur inter duo quanta metaphorice, v.g. inter duas scientias, vel virtutes. Prima .i. propria non inuenitur extra genus quantitatis, nam duo ligna dicuntur æqualia, quia quantitates eorum sunt æquales. & duæ actiones vocantur æquales, quia earum tempora sunt æqualia. Secunda vero æqualitas inuenitur extra genus quantitatis propriæ, non tamen metaphoricæ, vnde.

Quarto notandum, quod aliqua non proprie quanta vocentur æqualia, vel inæqualia bifariam stat. Primo per se, & hoc est falsum. Secundo ratione quantitatis, vel inquantum supponunt quantitatem propriam, vel induunt modum quantitatis .i. modaliter, & sic est verum.

Ad primum ergo respondetur, ꝙ duplex est æqualitas. Vna ĩ extẽsione, & hæc est propria, & soli q̃titati conuenit. Alia in perfectione substantiali, vel similitudine alicuius qualitatis, & hæc est methaphorica, & alteri a quantitate conuenit. Secundo dicitur, quod illa æqualitas, vel inæqualitas non prouenit ex substantia, quatenus substantia est, vel qualitate, quatenus qualitas est, sed quatenus induunt modum quantitatis, & ideo non conuenit eis per se, sed per aliud, & per hoc patet ad secundum.

Ad tertium dicunt aliqui, quod æqualitas dupliciter considerari potest. Primo fundamẽtaliter, & sic cõuenit q̃titati, quia q̃titas est proximũ fundamẽtũ relationis repertę inter ęquale, & inæquale. Secundo formaliter, & sic dicit relationem inter duo extrema. Puto autem sub hac distinctione

ctione posse errorem latere scilicet, quod æquale sit primo relatiuum, & secundario quantū, quod est falsum, quia non est relatiuum nisi, quia quantum, nam si æquale non esset quantum, nec esset æquale, vel relatiuum, Ly ergo (formaliter) quod æqualitas non sit de genere quantitatis potest dupliciter intelligi. Primo realiter causaliter, & sic est falsum, quia etiam nullo intellectu considerante duo ligna æqualia essent similia. Secundo formaliter, & denominatiue, & sic duo quanta æqualia non denominantur, nec dicuntur æqualia, nisi propter relationem inter ea repertam.

Ad quartum dicimus, quod illa quantitas sola existens, etsi in actu non esset alteri æqualis, esset tamen in aptitudine, & hoc sufficit.

Ad quintum pariter dicimus, quod omnibus generibus, & speciebus quantitatis quamuis de facto non cōueniat æqualitas, conuenit tamen in aptitudine, & non repugnantia, quia si possent dari duo generalissima quantitatis essent æqualia, & ita duæ species, nec opus est vt eadem quantitas habeat aliā æqualē, sed vel æqualē vel inæqualem, sicut nec quod q̄titates distinguantur subiectiue, sed formaliter per denominationem æqualitatis, & inæqualitatis.

Ad sextum diximus, quod procedit de quantitate virtutis, & æqualitate virtutis.

Ad septimum dicimus, quod pondus est quantitas translatiua, seu metaphorica, primo, quia pondus secundum se non extenditur, sicut facit propria quantitas, & secundo, quia non est nisi grauitas, quæ ab Aristot. primo Metaphysicæ cap. 14. ponitur inter species qualitatis.

LECTIO XX.

De prædicamento ad aliquid.

Ad aliquid vero talia dicuntur, quæcunque hoc ipsa quod sunt, aliorum esse dicuntur: vel quomodolibet aliter ad alterum. Vt maius id quod est alterius dicitur: aliquo enim maius dicitur, & duplum: alterius dicitur hoc ipsum quod est alicuius enim duplum dicitur: similiter autem & alia quæcumque sunt huiusmodi. At vero sunt etiam & hæc ad aliquid: vt habitus, affectus, disciplina, sēsus, positio hęc .n. omnia q̄ dicta sunt, hoc ipsum quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum & non aliud aliquid; habitus enim alicuius est habitus, & disciplina alicuius est disciplina: & positio alicuius est positio, & alia quoque similiter. Ad aliquid ergo sunt, quecumque hæc ipsa quæ sunt aliorum esse dicuntur: vel quodlibet aliter ad alterum, vt mons magnus dicitur ad alterum, (magnus enim mons ad aliquid dicitur,) & simile alicui simile: & omnia talia similiter ad aliquid dicuntur. Sunt autem & accubitus, & statio, & sessio positiones quædam, positiones vero ad aliquid sunt, iacere autem & stare, vel sedere, ipsa quidem non sunt positiones: denominatiue vero dicuntur ab his, quæ dictæ sunt, positionibus.

PRædicamentum ad aliquid in tres partes principales diuiditur. In prima diffinitur secundum communem diffinitionem. In secunda ponun-

ponuntur quatuor eius proprietates. In tertia proponit Arist. vnum absurdum, contra primam definitionem, & ea emendata, aliam ponit.

Ad aliqd definitur. Quoad primam partem ergo Philosophus ait, quod ad aliquid talia dicuntur, quæcunque hoc ipsum quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud, & ponit exempla per varios casus; quia maius, aliquo maius est, & duplum, alterius dicitur duplum. Vlterius ait, hęc quoque ad aliquid esse habitus, dispositio, scientia, sensus, positio. Nam habitus alicuius est habitus, & ita dispositio, & sic de cæteris, insuper magnum ad aliquid dicitur, & simile, ac cubitus etiam statio, & sessio connumerantur inter ea, quæ dicuntur ad aliquid, quia sunt positiones. Positio autem ad aliquid est, ergo & ea quę sunt positiones, sed non eorum cōcreta vt sedere, stare &c.

Ordo. Circa supradicta primo notandū venit, quoad ordinem, quod male videtur Arist. processisse, non ponendo qualitatem ante ad aliquid, quia qualitas conuenit rei secundū se, & absolute ad aliquid vero prout alteri cōparatur. Et confirmatur, quia Arist. 3. Meth. cap. 14. qualitatem præposuit relationi. Animaduertendum igitur est, quod duplex est ordo, s. naturæ, quo absoluta pręcedunt respectiua, causæ, effect⁹, & nobiliora ignobiliora. Alius dicitur doctrinæ, quo notiora præcedunt ea quæ sunt notiora naturæ, sicut & respectiua quandoq; absoluta, & ignobiliora notiora, nobiliora minus nota hac distictione stante. Ammonius, & Caietanus dicunt Arist. seruasse ordinem doctrinæ, nam in prædicamento quantitatis iam longam propòsuerat disputationem de ad aliqd, & iterum in prædicamento qualitatis de eo instituendus erat sermo, vnde doctrinæ ordo expostulauit, vt prius de eo ageretur, quam de qualitate. Sed simplicius Porphyrius, Boetius, & Toletus tenēt seruatum esse etiam ordinem naturę, quia substātia corporea prius est quā ta, quam qualis. ad quantitatem autem immediate sequuntur magnum, & paruum, & clarū est quod aliquę relationes immediate sequuntur ipsam quantitatem, sicut aliæ sequuntur qualitatem, vt simile, habitus, sciētia &c. Dicamus ergo nos quod ad aliquid vt medium ponendum erat inter quantitatem, & qualitatem, ratione diuersarum relationum, ita vt ratione relationum fundatarum in qualitate dicatur prius ordine doctrinæ, & ratione relationum fundatarum in quātitate dicatur posterius, propter diuersas rationes fundatas su per hæc prædicamenta.

Relatio, multipliciter nominatur. Secundo notandum quod realiter idem significant relatiuum, relatio, respectiuum, & ad aliquid prout distinguuntur contra prædicamenta absoluta, tamen rectius, & cōgruentius Plato secundum Porphyrium, Alexandrum, & Albertum volendo diffinire relatiuum vsus est termino ad aliquid, quam relatiui, & relationis propter duas rationes. Primo propter modū significandi, nā relatio tripliciter significari pōt. Primo vt est concepta, & sic significatur per relationē vt sic, v.g. per paternitatē, filiationem, &c. Secundo significatur vt exercenda, i. prout importat potentiam quādam ad referribilitatem. Tertio significatur vt exercita in actu, & sic exprimitur per ad aliquid, quasi dicēs exercitium relationis, modo melius exprimitur relatio per exercitium, quam per potentiam, vel conceptionem relatiuam. Secunda ratio desumitur ex re significata, nam relatio cum sit inter duo extrema, s. inter fundamentum, & terminum, non potest melius significare vtrumque, quam per ad aliquid, nam relatio potius videtur significati-

gnificare fundamentum, vt paternitas significat fundamentum filiationis, sed ad aliquid vtrunque significat, quia ly ad respectum significat, seu relationẽ, & ly aliquid terminũ. Relatio autem abstracte accepta non est quod refertur, sed quo relatiuum .i. id quod est ad aliquid refertur, idẽ vero non põt quacunque potẽtia separari a suo relatiuo, quia ex eo indiuiduatur, & in actu exercito per hoc tãtum refertur.

Describitur. Tertio notandum descendendo ad diffinitionem prædicamenti ad aliquid, quod hæc non est propria, & quidditatiua diffinitio constans ex vero genere, & differentia, cum supra generalissimum non possit esse verũ genus, erit ergo descriptio, ita vt ly (quæ) stet loco generis, q̃a per Arist. 5. Meth. cap. 6. dicitur de essentia, siue absoluta, siue respectiua, aliç vero particulæ ponuntur ad differentiam absolutorum, quæ secundum id quod sunt non dicuntur relatiue, sed absolute. Relatiua ergo semper ad sua correlatiua, & non ad absoluta dicuntur, vel formaliter vt in relatiuis primi, & secundi ordinis, vel fundamentaliter vt in relatiuis tertij ordinis, & hoc sẽper sumendo relatiua, vt sunt relatiua.

Relatio dicit respectum ad terminũ. Quarto notandum, quod aliqua prædicamenta accidentium duos respectus includunt, s. respectum ad subiectum per quem distinguuntur a substantia, quia substantia non est in subiecto, omnia vero accidentia in subiecto esse intelliguntur. Secundus est quo distinguũtur a relatione, quia quantitas, & qualitas non dicunt respectum ad terminum, sed tantum ad subiectum, relatio vero vt accidens dicit respectum ad subiectum, cuius dicitur forma inhęsiua ordinans subiectum ad terminum .i. vt relatio. Distinguitur etiam ab alijs sex prædicamentis, quia illa dicunt respectum extrinsecum, sed relatio dicit respectum intrinsecum.

Definitur in plurali. Quinto notandum circa ly talia dicuntur, quod Arist. diffiniuit ad aliquid in numero plurali, & non singulari, ad innuendum quod non potest saluari nisi inter duo, s. inter fundamentum, & terminum, quia nõ est verum ad aliquid formaliter, si nõ dicatur ad terminum, v.g. si dominus non haberet subditos quos posset coercere, diceretur tantum fundamentaliter, & non formaliter dominus propter potestatem coercitiuam in potentia, nec per hoc voluit dicere, quod relatiuum non possit singulariter proferri, sed non exerceri, quãuis Soto placeat Arist. loco singularis posuisse plurale, vt esset sensus. Ad aliquid est ea res, quæ alterius dicitur, quem morem dicit frequentem apud Arist. Sed primus sensus dignior est Arist.

Sexto notandum, quod in diffinitione duo relatiua miscuit, s. ly talia, & ly quæcunque, ad significandum duo. Primum est quod relatiuum sẽper fundatur in aliquo accidẽte, s. vel in quantitate vt magnum & paruũ, vel in qualitate, vt simile, & dissimile, vel in actione, vt agens, & patiens, nam tale est relatiuum identitatis accidentis. Secundum est, quod etiam fundatur in substãtia, vt patet in creatione. Sed necessarium est quod tunc substantia induat modum accidentis, s. vel actionis, vel qualitatis, &c. & hoc voluit significare per ly quæcunque, quod est relatiuum substantiæ.

Dupliciter cognoscitur. Septimo notandum, quod Plato docuit cognoscere relatiua secundũ suam naturam vt differunt a cæteris propter duo, quæ sibi vendicant proprie. Primum est, quod non sint absoluta, vt est albũ, nigrum, &c. Quia esse relatiuorum est esse correlatiuorum, v.g. hic est dominus, quia habet seruum, esse vero absolutorum non

Ii est

esse aliorum, sed proprium, v.g. esse albedinis est denominare subiectum, & non terminum. Secundum est, quod non dicantur ad seipsa, quia esse relatiuorum est, esse aliorum, & non suum, v.g. dominus non est sui domi nus, sed serui. Nec arguas, quod relatio identitatis numeralis est eiusdem ad seipsum; quia hoc verum est secũdum rem, sed secundum rationem idem induit rationem duorum.

Ad aliqd dicitur. Octauo notandum, quod hinc sequitur, idem non diffiniri per idem vt sit sensus. Ad aliquid dicitur, id cuius esse ad aliquid dicitur, nam ly (ad aliquid) primum sumitur pro prędicamento. Secundum vero sumitur pro termino vt sit sensus. Prædicamẽtum ad aliquid est cuius esse est ad terminum referri; vnde male Soto ex posuit ly aliquid pro aliquid transcẽdenti, cum non transcendens, sed prędicamentum relationis quod ab alijs distinguitur hic diffiniatur.

Diuersimodi. Nono notandum, quod sub disiunctione diffinitionem compleuit subdendo, vel quomodolibet aliter ad aliud, quia ad aliquid diuersimode exercetur. Dum igitur dicit aliorum esse dicuntur, voluit inferre modum quo relatiua dicuntur in casu genitiuo, vt dominus, serui dominus, pater filij pater, dum vero subdit, vel quomodolibet aliter ad alterum, voluit subinferre, quod relatiua referuntur etiam secundum alios casus, v.g. secundum datiuum vt dicendo, simile simili simile, vel secundum ablatiuũ, vt dicendo, maius est minore maius, & quia aliqua dicuntur cum præpositione accusatiui, vt magnus dicitur ad paruum, & aliqua quæ in genitiuo dicuntur, cum reflexione dicuntur, vt pater filij pater, filius patris filius, & quædam non, vt scientia dicitur scibilis scientia, sed scibile non dicitur scientiæ scibile, sed scientia scibile, apud Græcos tamen genitiuus ponitur pro ablatiuo.

Exercetur. Decimo notandum, quod postquam Philosophus exemplificauit de maiori, & minori, duplo, & dimidio, quasi de nouo reasumens sermones ait. Sunt etiam & hæc ad aliquid habitus, dispositio &c. Dicũt aũt Doctores, Aristotelem non continuasse ista exempla cum superioribus sed separasse propter multas causas, quarum duas Ammonius assignat. Prima, quia priora exempla erant habitudinis genitiui casus, & ista posteriora aliorum casuum. Secunda est, quia priora erant de his, quæ consequuntur quantitatem, & posteriora de his quę consequuntur alia prædicamenta, vt qualitatem, situm, &c. Tertia quæ est Toleti, est, quoniam hanc diffinitionem recensebat non vt suam, sed vt antiquorum, ideo dedit etiam exempla data ab antiquis, quæ spectabant ab alia prædicamenta relationis, hæc autem emendaturus erat in tertia parte huius tractatus. Quartam rationem addit Caietanus, s. quia tripliciter exercetur relatio. Primo per relatiua, quæ referuntur sola flexione casuum, vt dominus serui dominus; alia non nisi addita propositione; & aliqua flexione casuum vniformi hinc, & inde, & quædam non, & quia aliqua sunt relatiua secundum esse, & quædam secundum dici, & ideo propter tantam multiplicitatem referendi, varijs vsus est exemplis.

LECTIO XXI.

Quæstio prima.

An relatio sit ens reale.

Videtur quod non. Nam relatio dicit ad. Sed ad abstrahit & a termino, & a subiecto, & a fundamēto, ergo &c.

Secundo. Complementum ad ad aliquid, vel est aliquid, vel non, Si secundum, habemus intentum, Si primum, est contra Arist. dicentem in quinto Physicorum, quod ad ad aliquid non est motus, quia per ipsum nihil aduenit subiecto de nouo.

Tertio. Albedo reperta in duobus albis, quæ est ens reale, est quoddam absolutum, conformitas vero non videtur nisi fabricata ab intellectu, cū nihil ponat in re, nam sublatis omnibus intellectibus, adhuc duo alba sunt similia, ergo non erit nisi ens rationis.

Quarto. Relatio non est nisi quædam habitudo vt quid reale dicitur, sed talis est in omni accidente, & nō singulariter in adaliquid, ergo.

Quinto. Referri est actus intellectus, nam genus, & species non habēt esse nisi ab intellectu abstrahente, & vnum referente ad aliud, ergo pariter relatio quæ reperitur inter genus, & speciem, & sic in alijs non erit nisi opus intellectus, ergo non erit ens reale, sed rationis.

Sexto. Ens reale realiter producitur. Sed relatio non, quia ad ipsam non est motus, ergo non est ens reale.

Opiniones. Primo ergo pro claritate difficultatis notandum venit, quod circa præsentem difficultatem sunt duæ opiniones. Prima est relata ab Auerroe 2. Meth. com. 19. & ab Auicenna lib. tertio suę Meth. quam secutus est Aureolus in primo dist. tertia q. prima, & multi ex modernis, qui dicunt nullam esse relationem realem, sed denominationes quæ ad modum relationum realium explicantur, ab absolutis desumuntur, vel ex eorum coexistentia. Altera est S. Doctoris prima p. quæst. 13. art. 7. & quæst. 28. art. primo. Caiet. ibidem, & fere omnium Peripateticorum, s. quod dētur relationes reales, quæ vere sunt ens reale.

Relatio realis, & rationis. Secundo ergo notandum, quod Doctores, distinguunt relationem in realem, & rationis. Realem vocant habitudinē repertam inter duo correlatiua realiter distincta, quæ habēt esse seclusa omni operatione intellectus, vt inter duo alba, nullo intellectu considerante reperitur vera, & realis similitudo, & relatio fundata in vnitate similitudinis in albedine, & pater nullo intellectu considerante, ita per virtutem generatiuam actiuam est pater, quod non potest respectu eiusdem per generationem passiuam esse filius. Rationis vero dicunt illam quā facit intellectus inter duo, quæ ex parte rei non sunt distincta, sed tantum ex eius operatione, vt est relatio eiusdem ad seipsum. Scias tamen quod relatio dicit in i. inhærentiam cum sit accidens, & dicit ad i. respectum ad terminum. Ratione in est semper ens reale, ratione vero ad realis est ens reale. & rationis, rationis. Simpliciter autem abstrahit ab ad reale, & rationis, in actu signato; sed in actu exercito omne ad, est determinatum, s. reale, vel rationis, & sic cessant argumenta Sanchez.

Realis cōditiones. Tertio notandum, quod relatio realis debet habere tres conditiones. Prima, quod sit fundamentaliter, & formaliter inter res reales, vnde relatio generis ad speciem non est realis, sed rationis, quia genus & species formaliter sunt secundæ intentiones. Secunda est, vt sit inter res prædicamenta-

les & inter ea quæ sunt eiusdem ordinis, vt excludamus relationem Dei ad creaturas, quæ est rationis, diuersi ordinis, & trāscendentalis. Tertia, quod sit inter res realiter distinctas, aut quę habent distinctas realitates, vnde defectu huius, relatio similitudinis in diuinis in essentia, & relatio ad seipsum, non est realis. Sed & triplex est genus relationis realis, s. fundatæ in quantitate, in actione, & passione, & in mensura, de quib. agemus in quinto Meth. Ex his autem fundamentis desumitur indiuiduatio relationum. vt a virtute generatiua patris, paternitas ipsa, A terminis vero non numeralibus, sed specificis, & totalibus desumitur specificatio, vt erit esse genitum, respectu omnium filiorum.

Rationis tripliciter fit. Quarto notandum, quod relatio rationis quæ fit ex opere intellectus tripliciter fit. Primo, quando est inter non vere entia, s. quia vel non existūt, vel chymerica sunt, vnde ego solum relatione rationis sum posterior Adā, & prior Antichristo, quia hi nō sunt, sic chymera quæ non est, refertur ad ens quod est. Secundo, quando fit inter entia, quæ quamuis habeant fundamentum in re, formaliter tamen sunt a ratione, sicut relatio generis ad species. Tertio, quando est inter res, quæ vere sunt, non tamen sunt distinctæ nisi secundum rationem, vt est relatio eiusdem ad seipsum secundū numerum, in qua intellectus vnum considerat sub ratione duorum. Esse ergo idem numeraliter dicit relationem rationis, sed esse idem in specie vel genere est relatio realis; ideo idem in qualitate v.g. in albedine, quæ est species facit simile, & esse idem in q̄titate æquale, & idem in substantia facit idem in substātia vt tradit. S. D. p.p.q.28.art.p.

Realis exigit res reales. Quinto notandum, quod aliud est dicere quod extrema sint rationis, & quod distinctio inter illa extrema sit relatio rationis, secundum quem sensum vt plurimum laborant argumenta Scoti, nam inter extrema realia potest dari relatio rationis, puta iustitia & misericordia sunt attributa realia Dei, & tamen non sunt in Deo distincta nisi secundum rationem, quia idē secundum rem potest concipi sub pluribus rationibus realibus, vt obiectiue, & virtualiter eis correspondet, & ideo diximus quod ad relationem realem nō solum requiritur quod, fit inter res reales, verumetiam quod ipsa sit realis, i. ex natura rei, & non fabricata ab intellectu. Relatio tñ rationis prædicamētalis est, cōtra Sanchez hic, vt expresse docet S.D.p.p.q.13. art.7.& q.28.art.1.& 2.& q.2.de pot. art.5.Caie.p.p.q.28.art.2.Ca.in.1.d. 33.art.1.& Ferr.4.cōtra gentes c.14. Hoc .n. singulare habet relatio .s. q̄ dicat aliquid rationis, ad differentiā aliorum prædicamentorum, quæ solum formaliter dicunt ens reale, vnde nō dicit ī, nisi vt est relatio realis.

Conclusio probatur. Quoad secundum pono talem cōclusionem. Dantur de facto relationes reales. Probatur primo. Perfectio realis non est nisi quid reale. Sed ordo vniuersi ad suas partes est quędā perfectio realis in vniuerso, & relatio. Ergo datur relatio realis. Confirmatur, quia multæ res sua natura adinuicem ordinatæ sunt, & adinuicem inclinationem habent. Hic autem ordo, & inclinatio sunt fundamenta realia, & relationis realis, & non tantum apprehensæ.

Secundo. Si relatio non potest esse realis, aut prouenit ex imperfectione rerum, aut ex perfectione. Non primum, quia in diuinis reperiuntur relationes reales constitutiuæ personarum. Non secundum, quia quod relatio sit accidens, nón est extra latitudinem rei creatæ. Hinc Arist. in anteprædicamentis, & 5.Metaph. diuidit ens reale in decem prædicamenta inter

ter quæ est relatio.

Tertio patet in exemplis in quibus exercetur relatio sine aliqua operatione intellectus, vt patet in maiori, minori, æquali, simili, patre, filio, &c.

Argumenta soluuntur. Ad primum dicimus, quod non solum datur ad rationis, quod refertur ad terminum secundum rationem, verum etiam datur ad reale relatum realiter ad terminum, a quo non abstrahit, sed ipsum necessario includit. Vel secundo dicendum, quod ad vt ad abstrahit ab ente reali, & rationis, sed permissiue est vtrumque, vnde potest dari ad reale. Vel tertio dicitur, quod relatio abstrahat a fundaméto dupliciter intelligi pōt. Primo materialiter, & hoc est falsum, q̄a relatio realis habet fundamentum reale. Secundo formaliter, i. non illud exprimat, sed tamen supponat, & hoc est verum, sed non facit propositum aduersariorum.

Ad secundum dicendum, quod duplex est complementum. Quoddam absolutum, & hoc non erit nisi p̄ motum & ideo motus tm̄ est ad q̄titatē, qualitatem, & vbi, quæ sunt prædicamenta absoluta. Aliud est complementum relatiuum, & formale, & hoc potest aduenire sine motu, v.g. me non mutato, quis mihi fit similis in oriente. Vel secundo dicendum, quod complementum quoddam fit naturali sequela, & hoc non aduenit per motum sicut est relatio, quæ naturaliter sequitur ad positionem rei, v.g. sui similis, aliud fit singulari actione, & consequenter motu, & de hoc procedit argumentum.

Ad tertium dicendum, quod illa conformitas est realis, quia sublato omni intellectu adhuc esset, quãuis non esset intellecta.

Ad quartum dicendum, quod duplex est habitudo. Quædam est ad subiectum, & hæc est in omni prædicamento accidentis. Alia est ad termini, & hæc est propria relationis. Hæc autem formaliter potest terminari absque mutatione subiecti, quia realitas fundamenti non augetur, sed terminatur. Si autem creatio diceret respectum realem in Deo, diceretur mutatus, quia aduenisset ei quid reale, diuersi ordinis ab eo.

Ad quintum dicimus, quod referri est opus intellectus in relationibus rationis, sed non omne referri est opus rationis, sed quoddam est reale. Secundo dicendum, quod aliud est quod aliqua referãtur, & aliud quod intelligantur referri. Secundum est ab intellectu, sed primum in relationibus realibus, est a rebus.

Ad sextum dicendum, quod ens reale, vel per se producitur, vel consequitur productionem sui subiecti naturali sequela, sicut facit relatio.

LECTIO XXII.

Quæstio secunda.

Vtrum relatio realiter distinguatur a fundamento.

Hanc quæstionem vide in 5. Meth.

Quæstio tertia.

Vtrum relatiua secundum dici spectent ad prædicamentum ad aliquid.

Videtur quod non. Nam si relatiua secundum dici ad hoc prædicamentum pertinerent, sic omnia accidentia quocunque modo absoluta pertinerent ad hoc prædicamentum, quia quodlibet accidens dicit aliquē respectum, saltem ad subiectum cui inhæret.

Secundo. Nulla res formaliter ponitur in duobus prædicamentis. Igitur v.g. scientia formaliter non erit qua-

qualitas, vel si est formaliter non refertur ad scibile, & erit formaliter etiam ad aliquid. At scientia est relatiuum secundum dici, ergo prædicamenta secundum dici non spectant ad hoc genus.

Pro solutione huius difficultatis primo aliqua annotabo, deinde secundo loco probabo conclusionem, & tertio soluam argumenta.

Relatiuũ dicit duplicem respectum. Primo ergo notandum, quod relatiuum duplicem respectum dicit, quia dupliciter considerari potest. Primo vt accidens, non enim est substantia, sed dicit respectum ad substantiam, quem respectum habet cõmunem cum omnib. prædicamentis accidentium. Secundo modo potest considerari vt est tale accidens, i. respectiuum, quod dicitur ad terminũ, & per hunc respectum distinguitur prædicamentum ad aliquid a cæteris, quia alia solum primum respectũ important, relatiua vero & primum, & secundum; vnde si non adsit hic secundus respectus. s. ad terminum, nulla res ponitur in prædicamento ad aliquid.

Relatiua secundum esse & secundũ dici qua. Secundo ergo annotandum, quod ea, quæ dicunt respectum ad terminum sunt in duplici differentia, ex qua aliqua dicuntur relatiua secundum esse, & aliqua secundum dici. Nam aliqua primo sunt adinuẽta ad significandam relationem, siue realẽ, vt paternitas primo adinuenta est ad significandam relationem ad filiationem, vel rationis, quo pacto genus refertur ad speciem, & omne superius ad suum inferius, & hæc vocantur relatiua secundum esse. Quædam vero primo adinuenta sunt ad significandum absolutum, & connotatiue tantum respectum ad terminum, vt nomen scientiæ, primo inuentum est ad significandum qualitatem quandam absolutam perfectiuam intellectus, & connotatiue habitũ relatũ ad scibile, vt dicitur scibilis scientia, & hæc vocata sunt relatiua secundum dici. Ideo Caiet. de ente & essentia, cap. 7. quæst. 15. ait relatiua secundum esse respicere terminum sub ratione termini dic correlatiui, relatiua vero secundum dici respiciunt terminum sub ratione, vel causę, vel effectus, vel obiecti, uel subiecti prout sunt alterius prædicamenti.

Caue duos errores Hinc tertio caueas duos errores. Primus est Henrici quodlibeto tertio quæst. quarta ex Auicena lib. tertio suæ Meth. dicentis, idem esse relatiuum secundum dici, quod relatiuũ rationis, hoc inquam falsum est. secundum S. Doct. p. p. q. 13. art. 7. & de potentia Dei, quæst. 7. Nam apertissime cõnstat, quod scientia refertur realiter ad scibile, & sensus ad sensibile, & tamen ista sunt relatiua secundum dici. Secundus error est multorum Doctorum, qui dicunt relatiua secundũ dici esse relatiua secundum relationẽ transcendentalem, & non prædicamentalem, volentes inferre quod relatiua secundum dici non spectent ad prædicamentum relationis, sed tantum relatiua secundum esse, quod falsum esse ostendimus. Vnde.

Veritas aperitur. Quarto notandum venit, quod relatiua secundum dici dupliciter considerari possunt. Primo secundum rẽ, & formaliter prout res sunt, & sic nõ pertinent ad prędicamentum relationis, sed ad alia prædicamenta, v. g potentia materiæ ad prædicamentum substantiæ; magnum ad prædicamentum quantitatis, & scientia vt est habitus intellectus ad prædicamentum qualitatis. Secundo possunt considerari secundum connotatum formaliter, quia non solum secundum totum id quod sunt entia absoluta sunt, sed etiam respectiua v. g. considero magnum vt respectu parui, magnum dicitur formaliter, & scientia prout formaliter dicitur scibilis scientia, & sic

cum

cum relationem realem finitam determinatam non ad subiectum, sed ad terminum importet, nescio videre quomodo non spectent secundum talem rationem ad prædicamentum relationis. Relatiua tamen rationis secundum totum suum esse non dicitur ad terminum, sed secundum connotatum, vnde quilibet ordo rerū non est relatio, nisi ille ordo dicat tantum, & secundum totum suum esse formaliter respectum ad terminum, vt est ordo patris ad filium.

Conclusio probatur. Quoad secundum ergo pono talem conclusionem. Relatiua secundum dici vt relatiua sunt, ad prædicamentum ad aliquid spectant. Probatur primo. Cui conuenit diffinitio prædicamenti adaliquid, illud tale erit de prædicamento ad aliquid. Sed relatiuis secundum dici conuenit diffinitio ad aliquid, quia secundum id quod sunt, i. vt relatiua formaliter; aliorum esse dicuntur, nam secundū id quod sunt quædam absoluta, ad aliquid non dicuntur, sed vt sunt relatiua. Et ita quælibet res sua natura absoluta, si connotet aliquem ordinē poterit dici relatiua secundum dici, sit relatiua de genere relationis finitæ, siue infinitæ, & transcendentalis, vnde est omnis ordo, permisiue.

Secundo. Per Arist. Prædicamenta sunt impermixta, quia secundum diuersas rationes eadē res pōt poni in diuersis pdicamentis. Sed non potest fingi qūo relatiua secundum dici dicantur relatiua, & non sint in prædicamento ad aliquid: Ergo.

Tertio. Respectus ad subiectum transcendentalis quidem est, sed ad terminum formaliter relatiuus est, ergo.

Ad primum ergo respondetur, nō esse inconueniens, quod omnia accidentia quæ possunt dicere duplicem respectum, s. ad subiectum, & ad terminum sint in prædicamento relationis; sed non omnia accidentia talia sunt, nam & si omnia dicant respectum ad subiectum, non tamen ad terminum, & hic respectus tantum relatiuus est.

Ad secundum dicendum ad maiorem, quod vna res formaliter, idest secundum eandem rationem, & denominationem formalem non potest poni in diuersis prædicamentis, sed bene secundum diuersas rationes formales, sic autem est in proposito, nā relatiua secundum dici vt absolute res sunt, formaliter sunt in suis proprijs prædicamentis, vt relatiua vero in hoc, Nec quispiam interroget vtrū hæc ratio formalis in relatiuis vt relatiua sunt sit prima, aut secunda, qa quælibet suo modo est prima.

LECTIO XXIII.

Quæstio quarta.

Vtrum relationes rationis reponantur in prædicamento ad aliquid.

Videtur quod non. Nam tantum relatiua realia vere dicuntur relatiua, rationis non, sed vocantur respectus. Ergo.

Secundo. Prædicamentum ad aliquid vniuoce prædicatur de suis relatiuis. At relatio non prædicatur vniuoce de relatione reali, & rationis, cum non sit eadem ratio vtriusque. Ergo.

Tertio. Ad aliquid est prædicamētum reale. Sed relatio rationis non est ens reale. Ergo non ponitur in prædicamento ad aliquid.

Ad sciendam veritatem quæstionis primo venit notandum, quod circa præsentem difficultatem sunt duę opiniones. Prima est S. Doct. prima parte quæst. 28. art. primo & quæst. 13. art. 7. & Caietani locis citatis. Capreoli in primo. dist. 33. quæst. prima *Opiniones.*

Ferra

Ferr.4. Cont. gener.cap.14.& Soncinatis quinto Meta.quæst.26,hi enim omnes tenent,quod relationes rationis reponuntur in prædicamento ad aliquid. Oppositum sentit Suarez in sua Meth. disp.47. sect.3.& in idem videtur cadere Soto hic.s. quod relationes rationis non spectant ad hoc prædicamentum.

Relatio dicit ad. Secundo ergo notandum,quod relatio vt diximus duo habet. Primū, quod sit accidens, inquantum contra substantiam distinguitur. Secundum, quod sit relatio dicens respectum ad terminum, quod in idem redit ac dicere,quod vt accidens dicit in. & vt relatio dicit ad. Primum ergo habet commune cum alijs prædicamentis accidentium. Secundum autem habet particulare vt distinguitur ab eis, & ideo proprium constitutiuum prædicamenti relationis erit dicere respectum ad terminum,& non dicere inhærentiam ad subiectum.

Ex termino. Tertio est insuper notādum,quod relatio dupliciter potest considerari. Primo fundamentaliter, i. ratione fundamenti. Secundo formaliter,s. respectu termini. Primo modo fundamenta relationum sunt tria, s.quātitas supra quam fundatur æquale, & inæquale, & omnes proportiones Arithmeticæ,Geometricæ, & Mathematicæ temporis,& loci. Secundum est qualitas, supra quam fundantur simile,& dissimile, amicus,& inimicus, &c. Tertium est actio,& passio supra quas fundantur pater,& filius, causa, & effectus &c. Immo duplex assignatur fundamentum relationi. Primum dicitur remotum, & hoc est subiectum cui accidens inhæret, v.g. album simile alteri albo,vt primo fūdamento inhæret corpori. Secundum dicitur proximum, & hoc est ratio inhærendi,v.g. albedo qua vnū album alteri dicitur simile, vnde est semper necessarium,quod relatio realis vt accidens inhæreat ratione fundamenti.Sed & relatio rationis in re aliqua fundatur, vt genus fundatur in re substrata,quæ est prima intentio,& res realis,vnde quod aliqua relatio sit vere ens, & alia rationis proprie prouenit non ex fundamento, sed ex termino, quia si terminus est realis,erit realis,& si ex opere intellectus, rationis.

Aliquo modo. Quarto ergo pensandum, quod relationes rationis fundantur in re prædicamentali, & sic cum habeant tanquam quoddam commune cum realibus quod fundentur in alienis prædicamentis, quia non possunt habere proprium fundamentum eiusdem prædicamenti,ideo non poterūt ex hoc excludi a proprio prædicamēto. Diuinæ autem relationes non dicuntur prædicamentales, quia non fundantur in ente finito, sed infinito. Si igitur relationes rationis proprium habent ad, quamuis non habeant ordinem, & inclinationem ad inuicem ex natura rei, merito collocandæ veniunt in prædicamento ad aliquid.

Conclusio igitur affirmatiua est .s. Relationes rationis finitæ sunt. Ergo ponuntur in prædicamento ad aliquid. Probatur. Vel ponuntur in prædicamento absoluto, vel relatiuo. Non primum, vt patet,ergo secundum.

Secundo. Cui cōuenit diffinitio ad aliquid,illud tale spectabit ad prædicamentum ad aliquid. Sed relationibus rationis conuenit diffinitio ad aliquid,s. quod dicantur ad aliud,secūdum id quod sunt,nam esse eorum consistit in habitudine ad aliud. Nec valet respondere quod non dicantur ad aliud secundum esse, sed secundū conceptionem, i. quod concipiantur ad aliud,& sic non sint ad aliud, quia vere,& realiter, & essentialiter,& intrinsece ad aliud sunt, nam genus ēt

nullo

nullo intellectu considerante quoad ordinem fundamentaliter & intrinsece refertur ad speciem,& omne superius ad suum inferius.

Tertio. Aliud est dicere quod ad rationis non sit ad, & aliud quod nō sit ad reale. Secundum quidem est verum, sed tamen per hoc non tollimus primum, s. quod non dicat ad.

Ad primum ergo dicimus, quod vtraque relatiua vere vocantur relatiua, & respectus, s. realis, vel rationis,& velle ponere in hoc differentiā est chymerizare.

Ad secundum dicimus vt supra, quod ad dupliciter potest considerari. Primo vt dicit purum ad,& sic de vtraque dicitur vniuoce. Secundo vt dicit tale, & tale ad, s. reale,& rationis,& sic dicitur analogice, quod est dicere, quod ad est vniuocum Logice,non Physice, sed nec proprie dicitur vniuocum positiue, quia non dicit vnam rationem positiuam,sed permissiuam vt supra.

Ad tertium dicendum, quod relatio est prædicamentum reale vt dicit in,non vt dicit ad nisi permissiue, quia aliquod relatiuum idest reale est ens reale. Vocatum est enim prædicamentum reale vt distinguitur con tra substantiā,qꝫ est accidēs. Vel scdo dicas, ꝙ est prædicamentum reale re spectu fundamēti quia s. fundatur in re reali. Vel tertio dicas, quod sufficit vt realiter referatur, seu dicat respectum ad aliquod reale. Vnde notabis quod relatio rationis dicatur rationis,& non realis, potest dupliciter intelligi. Primo effectiue, quia non est quid effectum habens esse reale per se subsistens in rerum natura, sed habet suum esse ab intellectu, & sic vera est distinctio. Secūdo modo potest intelligi formaliter, ratione referribilitatis, & sic dico quod omnis relatio quæ intrinsece refertur ad terminū, siue sit ad extra, siue tantum in intellectu dicitur realis, quia realiter respectum habet ad terminum, & sine eo non potest intelligi. Hinc colligas relationes, ex fundamentis diuersis materialiter, & causaliter distingui, sed ex terminis formaliter, non consideratis numeraliter, sed specifice, & totaliter, v.g. paternitas & filiatio radicaliter distinguuntur ex virtute generatiua sed formaliter, ex patre & filio, vt filius tamen dicitur terminus totalis .s. vt dicitur genitus, quia sic comprehendit, & patrem, & matrem.

Quæstio quinta.

Vtrum recte sit assignatum prædicamentum ad aliquid a cæteris distinctum.

Videtur quod non. Nam genus habet species, differentias,& propria. Ad aliquid vero non. Ergo non erit genus. Probo minorem, quia nō apparent istæ species, vel differentię, nec Arist. eas explicat.

Respondeo tamen quod est genus determinatum, aliter non essent decem prædicamenta, sed tantum nouem, vnde non est modo immorandum nisi circa assignationem diuersarum relationum, vt rem explicatam habeamus. Primo ergo diuiditur relatio in trāscendentalem,& prędicamentalem: Caue autem ne relatiua secundum dici voces relatiua secundum relationem transcendentalem, quia possunt esse in omni genere, quia aliud est circuire omnia genera, vt quoddam transcendens, & aliud est posse esse in omni genere secundum diuersas rationes fundamentales. Nam relatiua secundum dici non sunt supra omnia genera, vt sunt transcendentia, sed sunt in diuersis generibus, & ideo vere relatiua sunt, sicut & relatiua rationis, sed vocantur relatiua secundum dici, quia primo significant absolutum,& dein *Relatio prædicamentalis, & transcendentalis.*

Kk de

de respectum, Istæ ergo sunt differentiæ inter relationem prædicamentalem, & transcendentalem. Prima est, quod prædicamentalis per se, & simpliciter respicit terminum, & non subiectum, obiectum, vel finem, relatio vero transcendentalis respicit subiectum, quo pacto dicimus omnia prædicamenta accidentium vt accidentia sunt respicere subiectum. Vel respicit obiectum, sicut potentia obiectum respicit, & in summa si respectum non habeat rationem termini correlatiui directe, relatio non erit prædicamentalis. Secunda differentia est, quod respectus transcendentalis potest esse per se intentus a natura, & fieri per motum, sicut est respectus vnionis materiæ, & formæ, resultans ex compositione, respectus vero prædicamentalis non fit per motum, sed resultat naturali sequela. Ideo tertio differunt, quia respectus transcendentalis potest esse principium agendi, vt patet in scientia vt respicit intellectum, quem operari facit, prædicamentalis vero non est principium agendi formaliter, quia solū dicit similitatem naturæ, & intellectus Quarto differunt, quia transcēdentalis genera transcendit, & prædicamentalis tantum reperitur in prædicamento relationis, quamuis diuersimode.

Realis & rationis. Secundo. Diuiditur relatio prædicamentalis in relationem realem, & rationis, quamuis non omnis relatio rationis sit necessario prædicamentalis, sed permissiue. Nam Deus refertur relatione rationis ad creaturas, nec tamen illa relatio est prædicamētalis, quia nihil ponit in Deo, & si aliquid poneret, non esset finita.

Secundū esse, & secundum dici. Tertio. Distinguere possumus relationem in secundum esse, & secundum dici, non quod omnis relatio secundum dici, vel secundum esse sit prædicamentalis, sed quia talis est .i. permissiue.

Mutua, & non mutua. Quarto. Dicimus, quod adhuc relatio distinguitur in mutuam, & non mutuam. Relatio mutua est quando ex parte vtriusque extremi correlatiui est realis, vel rationis. Realis vt filius dicitur patris filius, & pater filij pater. Rationis, vt genus dicitur speciei genus, & species generis species. Non mutua est quādo ex parte vnius extremi correlatiui est realis, & ex parte alterius rationis, & sic Deus refertur ad creaturas, & scibile ad scientiam .i. sm rationem, sciētia vero ad scibile, & creatura ad Deum referuntur relatione reali, & ideo nō mutua.

Equiparātia & nō. Quinto iterum diuidere possumus relationem in relationem æquiparātiæ, idest secundum sunt mutuam, & simile denominationem in vtroq; extremorum, quo iure duo alba dicuntur sim ha in albedine, & consequenter correlatiua æquiparantur. Disquiparantiæ vero sunt, quando habent diuersam denominationem, vt paternitas, & filiatio, duplum, & dimidium, vnde relatiua æquiparantiæ fundantur supra vno fundamento, v.g. in albedine, disquiparentiæ non, nam v.g. pater fundatur in actione, & filius in passione.

Ad argumentum igitur respondemus, quod genus est ad aliquid, species erunt diuersi modi relatiuorum superius enumerati, & indiuidua, quando accipiuntur in determinatis subiectis. Relatio autem dicitur habere terminum Primo in communi non vt est extremum, quia sic darentur duo generalissima relationis, sed vt medium .i. vt est relatio considerata in communi, de cuius ratione est habere duos terminos respectiuos vnius ad alterum in communi. Secundo in particulari, & ita relatio in vno intelligitur esse vt in subiecto, vel principio, & in altero vt in termino vt do cet. S. D. 1. d. 27. quæ. 1. art. 1 ad 2.

L E-

LECTIO XXIV.

INest autem & contrarietas in his, quæ sunt adaliquid, vt virtus vitio contrarium, cum sit vtrunque ad aliquid, & disciplina ignorantiæ. Non autem omnibus relatiuis inest contrarietas: duplici enim nihil est contrarium, neque triplici, nec vlli talium.

Videntur autem magis & minus relatiua suscipere simile enim & dissimile magis & minus dicitur, & æquale & inæquale magis & minus dicitur, cum vtrunque sit relatiuum, simile enim alicui simile dicitur, & inæquale alicui inæquale. Non autē omnia relatiua suscipiunt magis et minus, duplum .n. non dicitur magis & minus duplum, nec aliquid taliū.

In relatiuis est cōtrarietas. HAec est secunda pars huius tractatus, in qua Auctor agit de proprietatibus relatiuorum, inter quas primam connumerat habere contrarium. Ait ergo, quod inest contrarietas in his quæ sunt ad aliquid, & dat exemplum de vitio, & virtute, quę opponuntur, & de disciplina, & ignorantia, quæ omnia sunt ad aliquid. Subdit tamen, quod non omnibus relatiuis inest contrarietas, & exemplificat de duplici, & triplici, quibus nihil est contrarium.

Circa hoc primo notandum est, quod Arist. primo agit de communibus prædicamenti huius, antequam de proprietatibus, quia a communioribus est incipiendum, ipso teste primo Physicorum.

Vitiū virtuti opponitur. Secundo notandum, quod in hoc prędicamento ponit Arist. exempla de virtute, & vitio, de disciplina, & ignorantia, quæ sunt in prædicamento qualitatis. Primo secundum Ammonium ad labefactandam supradictam diffinitionem secundum quam sequitur, quod ea quæ spectant ad alia prædicamenta ad hoc reducantur. Vel secundo, & melius cum Simplicio dicimus, quod supradicta dupliciter considerari possunt Primo in ordine ad subiectum, & sic reponuntur in alijs prædicamentis. Secundo in ordine ad terminum correlatiuū, v.g. quatenus virtuti opponitur vitiū, vt terminus priuatiuus, & sic potuerunt etiam considerari in prædicamēto relationis.

Dubia.

DVbitatur vero contra hanc proprietatem, quia supra in prædicamento quantitatis dixit, magnum & paruum non esse contraria, quia sunt in prædicamento relationis, & hic modo dicit, quod ea quæ sunt in prædicamento relationis sunt contraria.

Secundo. Quia vel secundum propriam sententiam determinare intēdit, quod relatiua secundum esse contrarium habeant, aut tantum secundum opinionem antiquorum, & de relatiuis secundum dici. Non primū, quia cap. de substantia dixit, quod relatiuo secundum esse nihil est contrarium. Si secundum, videtur quod relatiua secundum esse habeant contrarium, quia nihil respectu eiusdem potest esse simile, & dissimile, æquale, & inæquale, aut pater, & filius.

His tamen breuiter occurrimus primo dicendo, quod relatiua dupliciter considerari possunt. Primo vt relatiua sunt, & sic non sunt contraria, sed sunt simul intellectu, & natura, vnde sic virtus est studiosi virtus, & vitium vitiosi vitium, & virtus nō dicitur ad vitium. Secundo modo possunt considerari vt habent annexam qualitatem, & sic possunt susci-

 pere

pere contrarietatem, si qualitates relatiuorum contrariæ sint. Secundo dicitur, quod quædam sunt relatiua secundum esse, quæ tantum considerantur vt relatiua, & sic ista non habent contrarium. Alia sunt secundũ dici, quæ primo spectant ad alia prædicamenta, & ista, si illa prædicamenta in quibus reponuntur contrarietatem suscipiant, & ipsa dicuntur esse contraria. Tertio dicitur, quod relatiua vt relatiua .i. formaliter non habent contrarium, sed bene fundamẽtaliter, s. ratione fundamenti in quo fundantur, seu melius dicendo fundamenta eorum, & hæ responsiones in idem fere redeunt. Sed quarto possumus nos addere, quod duplex est contrarietas Prima dicitur absoluta, & hæc saluatur inter qualitates contrarias. Secunda dicitur relatiua, & hæc saluatur inter diuersas relationes, quia v.g pater paternitate non filiatione est pater, & filius filiatione est filius, & non pater, & hæc saluatur in omnibus relatiuis formaliter consideratis, etiam in diuinis, quia diuinæ personæ oppositis relationibus constituuntur, & distinguuntur.

Ad primum ergo dicimus, quod Arist. in prædicamento quantitatis considerauit relatiua formaliter, hic fundamentaliter, & ratione qualitatum. Vel secundo dicas, quod hic expresse distinguit relatiua de prædicamento qualitatis a relatiuis de prædicamento quantitatis, quia prima dicit habere contrarium, & secunda non, vt patet in litera.

Ad secundum dicimus, quod loquitur de relatiuis secundum dici, & quod duplex est oppositio. Vna simpliciter, & hac non opponuntur simile, æquale, &c. cum de eodem possint verificari, & si non secundum idem. Alia vocatur secundum quid, quæ poterit esse eiusdem ad seipsum secũdum diuersas rationes, & sic erit verum, sed non ad propositum. Vel secundo dicas, quod argumentum cõcludit de oppositione relatiua, & nõ absoluta.

Videntur autem, magis & minus relatiua &c.

Hic ponit secundam proprietatẽ relatiuorum, s. quod relatiua suscipiunt magis, & minus, vt simile, & dissimile, quæ secundum magis, vel minus dicuntur, ita æquale, & inæquale, quæ omnia sunt relatiua, sed sicut supra dixerat non omnia relatiua contrarietatem suscipere, ita nunc asserit nec suscipere magis, & minus, quia duplum non dicitur magis, & minus duplum. *Relatiua suscipiunt magis, & minus.*

Dubia.

Quæritur ergo. Vtrum relatiua suscipiant magis, & minus. Et videtur quod non, & singulariter de simili, & æquali. Nam Arist. 5. Meth. text. 2. ait, quod similitudo, & æqualitas in vnitate consistunt, quia vnum in substantia facit idem, vnum in q̃titate facit æquale, & vnum in qualitate facit simile. Sed vnitas non suscipit magis, & minus. Ergo nec simile, nec æquale.

Secundo. Si relatiua suscipiunt magis, & minus, vel erit ratione fundamenti, vel ratione relationis. Si primum, sequeretur ꝙ, si fundamentũ nõ susciperet magis, & minus, nec relatiuũ susciperet, qđ est falsum, quia ęquale, & inęquale suscipiunt magis, & minus, & tñ suum fundamentum .i. ipsa q̃titas nõ suscipit. Si 2m, non apparet maior ratio, quod vnum relatiuum suscipiat magis, & minus quam alterum.

Ad primum tamen dicitur, quod vnitas dupliciter considerari potest. Primo abstracte, & secundum se, & sic non suscipit magis, & minus. Secũdo ratione fundamenti, i. respectu

vnius

vnius similitudinis inæqualiter participatæ vel maioris, & minoris æqualitatis & sic suscipit magis & minus.

Ad secundum. Albertus, Simplicius, & Ammonius respōdent quod relatiua suscipiunt magis, & minus, & contrarietatem ratione fundamēti. Sed contra hanc responsionem vrget argumentum de æquali, cuius fundamentum, id est quantitas non suscipit magis, & minus. Ideo respondent, quod æquale, & inæquale dupliciter considerari possunt. Primo vt quantitates sunt, & sic non suscipiunt. Secundo vt habēt modum qualitatis denominantis subiectum magis, vel minus alteri æquale, & sic suscipiunt, & Aristot. intellexit. Sed contra hoc est argumentum, quia etiam qualitas ratione subiecti habet quod suscipiat magis, & minus, & tamen dicimus quod qualitati conuenit per se suscipere magis, & minus: Posset tamē quispiam respondere, quod subiectum non suscipit magis, & minus vt subiectum est, aliter substātia susciperet magis, & minus, sed si suscipit, suscipit rōne intensionis qualitatis in subiecto.

Albertus tamen considerat, quod suscipere magis, & minus stat dupliciter. Primo proprie, & sic fit per maiorem, & minorem intensionem eiusdem qualitatis in subiecto, & hoc est suscipere magis, & minus intensiue. Secundo improprie, & abusiue, seu extensiue, & sic non suscipit magis & minus, quia vna q̄titas nō est maior vel minor altera, Arist. autem locutus est de suscipere magis, & minus vt sic, siue intensiue, siue extensiue, & ideo dedit exempla dē simili, & æquali. Architas tamen, & Toletus a quibus non longe est Caietanus tenent, quod relatiua etiam secundum se, & ratione fundamenti possunt dici suscipere magis & minus. Nam quod ratione fundamenti suscipiant stat dupliciter. Primo causaliter ex fundamēto, quia scilicet fundamentum suscipit, & hic sensus est falsus, quia quātitas quæ est fundamentum æqualitatis non suscipit magis, & minus, & æqualitas sic, & in hoc stat differentia, quod contrarietas relatiuorum, causatur ex contrarietate fundamenti, non vero suscipere magis, & minus. Secundo modo intelligitur cōsecutiue, scilicet quod ad variationē fundamenti secundum magis, & minus, etiam relatiua varientur secundum magis, & minus, & hic sensus verus est, quia ad relationem non est motus, sed ipsa consequitur motum, & diuersitatem rei mobilis, & sic verum est, quod æquale non susci pit magis, & minus nisi quantitas varietur secundum magis & minus, quod est suscipere magis, & minus non proprie, & intensiue, sed extensiue, & secundum existimationem, quia illa reputantur æqualia, quæ nullo modo se excedunt, vel quæ parum se excedunt. Vel respondēdum erit, quod relatiua suscipiāt magis, & minus vt relatiua stat dupliciter. Primo vt dicunt in, id est inquantum & ipsa sunt accidentia in subiecto, & sic possunt suscipere, nō omnia quidem, sed quæ habent subiectum variabile, & mutabile secundum magis, & minus, nam æquale vt quantum, non variatur, sed vt alteri æquale secundum aliquam dimensionem, vel vt est talis quātitas, & sic potest variari. Secundo vt dicunt ad, & sic nullum relatiuum vt purum ad dicit, suscipit magis, & minus, quia abstrahit ab omni esse, & solum dicit respectum ad terminū. Vel tandem dicendum, quod suscipere magis, & minus stat bifariam. Primo Physice, & ex se, & sic non conuenit nisi qualitati, vel si alijs cōuenit, ratione qualitatis conuenit.

Secun-

Secundo logice, & secundum praedicationem, & sic potest etiam reperiri in quantitate secundum diuersum modum eam habendi, quia vna quantitas potest esse altera maior. Vel dicendum, quod relatiuum vt relatiuum dicitur ad terminum in esse indiuisibili consideratum. v. g. simile in tribus gradibus albedinis non dicitur simile habenti quatuor gradus albedinis, vt relatiuum est similitudinis in tribus gradibus, ideo non suscipit magis, & minus, sed forma eius vtique.

LECTIO XXV.

Omnia autem relatiua ad conuertentiam dicuntur, vt seruus domini seruus dicitur, & dominus serui dominus, & duplum dimidij duplũ, & dimidiũ dupli dimidiũ: et maius minore maius, et minus maiore minus, similiter aũt & in alijs. Sed casu aliquoties differunt secundum locutionem, vt scientia scibilis scientia, & scibile scientia scibile, sensus sensati, & sẽsus, & sensatũ sensus sensatum. At vero aliquoties nõ videbitur conuerti, nisi conuenienter ad quod dicitur assignetur, sed peccet is qui assignat, vt ala si assignetur aui, non conuertitur, vt sit auis ala, neque enim prius conuenienter assignatum est ala auis, neque enim in eo quod auis est, in eo auis ala dicitur, sed in eo quod alata est, multorum enim & aliorum alae sunt, quae nõ sunt aues, quare si assignetur conuenienter & conuertitur, vt ala alati ala, & alatum ala alatum. Aliquoties autem forte & nomina fingere necesse erit, si non fuerit positum nomen, ad quod conuenienter assignetur; vt remus si naui assignetur non erit conueniens assignatio, neque enim in eo quod est nauis, eius remus dicitur, sunt enim naues, quarum remi non sunt, quare non conuertitur, nauis enim non dicitur remi nauis. Sed forte conuenientior assignatio erit, si sic quodammodo assignetur, remus remitae remi remus, aut aliquo modo aliter dictum sit, nomen enim non est positum, conuertitur autem si conuenienter assignetur: remitum enim remo remitum est. Similiter autem & in alijs, vt caput conuenientius assignabitur capitati, quã si animalis assignetur, neq. enim eo quod animal est caput hẽt multa. n. sunt aĩalia capita nõ habentia. Sic aũt facillime fortasse sumetur qb. posita sunt noĩa, si ab his, quae prima sunt, & ab his, ad quae cõuertuntur, noĩa ponantur: vt in his, quae dicta sunt, ab ala alatũ, à remo remitũ. Omnia ergo quae ad aliquid dicuntur, si conuenienter assignentur, ad conuertentiam dicuntur: nam si ad quodlibet aliud assignentur & non ad illud, ad quod dicuntur, non conuertuntur. Dico autem, quoniam neque eorum, quae indubitanter conuertibilia dicuntur, & nomina eis posita sunt, nihil conuertitur si ad aliquid corũ, quae sunt accidentia, assignentur, & non ad ea, quae dicuntur, vt seruus, si domini non assignetur seruus, sed hominis vel bipedis, aut alicuius talium, non conuertitur, neque enim dici potest, homo est serui homo, non enim est conueniens assignatio. Amplius si conuenienter assignetur ad quod dicitur, omnibus alijs circumscriptis

scriptis quæcunque accidentia sunt, relicto solo illo, ad quod assignatū est conuenienter, semper ad ipsum dicetur, vt si seruus dicatur ad dominum: circunscriptis omnibus, quæ sunt accidentia domino, vt esse bipedē, vel sciæ susceptibilem, vel hominē, relicto vero solo domino, semper seruus dicetur ad ipsum: seruus enim domini seruus dicitur, Si autem non conuenienter dicatur ad id, ad quod dicitur: circunscriptis omnibus alijs, relicto illo solo, ad quod redditum est, non dicitur ad illud, assignetur enim seruus hominis & ala auis, circumscribatur ab homine esse dominum, non iam seruus ad hominem dicitur, cum enim dominus non sit seruus non est; similiter autem & de aue: adimatur ab ea alatum esse, & amplius non erit ala sed aliquid, cum non sit alatum, nec ala erit alicuius, quare oportet assignare ad id, ad quod conuenienter dicitur: & si sit nomen positum facilis erit assignatio, si autem non sit, fortasse erit necessarium fingere nomen, si autem sic reddantur, manifestum est, quoniam omnia relatiua conuersim dicuntur.

Videntur autem ipsa ad aliquid simul esse natura, & in alijs quidem pluribus verum est, in aliquibus vero non verum, simul enim duplum est & dimidium: & cum sit duplū dimidium est, & cum sit seruus dominus est. Similiter autem his, & alia, simul enim auferunt sese inuicem, si enim non sit duplum, non est dimidium, & si non est dimidium nō est duplum, similiter autem & in alijs quæcumque talia sunt.

Non autem & in omnibus relatiuis verum videtur esse simul esse natura, scibile enim scientia prius naturaliter esse videbitur. Namque in pluribus rebus, præexistentibus scientiā accipimus, in paucis vero vel nullis hoc quis reperiet simul cum scibili scīetiam esse factam. Amplius scibile sublatum simul aufert scientiam: scientia vero non simul aufert scibile, nam si scibile, non sit, non erit scientia, scientia vero si non sit nihil prohibet esse scibile, vt circuli quadratura si est scibilis, scientia quidem eius nondum est, illud vero scibile est. Amplius animali quidem sublato nō est scientia scibilium vero plurima esse continget.

Similier autem his habent sese & ea quæ de sensu sunt. Sensibile enim prius quā sensus videtur esse, sublato enim sensibili simul aufertur sensus, sensu vero sensibile nō simul aufert, sensus enim circa corpus & in corpore sunt, sensibili autem perempto peremptum est & corpus, sensibile enim corpus, cum vero corpus non sit, sublatus est sensus. Quare simul aufert sensibile sensum, sensus vero sensibile non, animali enim perempto, sensus quidem peremptus est, sensibile autem permanet: vt corpus calidum, dulce, amarum, & omnia alia quæcunque talia sunt. Amplius sensus quidem simul cum sensitiuo fit, simul enim animal fit & sensus. Sensibile enim ante est quam sensatum esset. Ignis enim & aqua, & alia huiusmodi, ex quibus ipsum animal constat, ante sunt quam animal sit omnino, vel

sensus, quare prius sensibile quam sensus esse videbitur.

HAec est tertia & vera proprietas relatiuorũ .s.dici ad conuertentiam. In cuius explicationem Philosophus multa facit. Primo ergo proponit hanc proprietatem omnium relatiuorum, s. dici ad conuertentiam, quod multis exemplis corroborat, videlicet quia dicimus dominus est serui, dominus, & seruus domini seruus, & duplum dimidij duplum, & dimidium dupli dimidium, & maius minore maius, & minus maiore minus.

Secundo subinfert, quod non omnia relatiua eodem modo dicuntur ad conuertentiam, sed duobus modis. Primo secundum similem casum, vt fuit exemplificatum. Secundo secundum dissimilem casum, v.g. sciẽtia in genitiuo dicitur scibilis scientia, scibile vero non in genitiuo, sed in ablatiuo dicitur scientia scibile.

Tertio docet, quod hoc conuenit relatiuo non absolute, sed tantum respectu sui correlatiui, vnde si vnum relatiuum nõ referatur ad aliud proprium correlatiuum, error accidit, & dat exemplum de ala, quæ si assignetur aui, male assignatur, quia nõ omne habens alas est auis, vt patet de muscis, apibus, vespibus, &c. Vnde dicendum est ala est alati ala, & non ala est auis ala, sicut male assignatur caput animali, cum sint quædam animalia sine capite, vt conchilia, & ostreæ. Vnde dicendum est caput est capitati caput, & e conuerso capitatum est capitati capitatum.

Quarto tradit, quod quando proprijs vocabulis caremus relationem exprimentibus licet ea fingere, & adinuenire, ad hoc vt intelligamus propriam relationem ad conuertentiam. Vnde remus non dicitur triremis remus, quia etiam non triremes habent remos, vere autem dicitur remus remitæ remus. Vbi notandum, quod tria tacta sunt relatiuorũ genera, Nam quædam sunt de quibus dubitatur an ad conuertentiam dicantur, vt exemplificatum est de ala. Quædam vero sunt innominata quoad terminum, vt diximus de remo, Et quædam sunt cognita, & ab omnibus confessa, vt ea de quibus primo exempla dedit.

Vltimo proponit canonẽ quo absque errore possit semper congnosci terminus cuiuscunque relatiui & est. Quod si vnum tale relinquatur, & relatio saluetur, illud tale habet rationem proprij correlatiui, sicut etiã si remoueatur, & relatio simul etiam remoueatur, ita vt si alia cum illo cõiunguntur sint accidentia v.g. filius est verum correlatiuum patris, quia remoto filio, pater non est pater, & eo posito est pater, quod vero filius sit albus, aut magnus, hæc extra rationẽ relatiui sunt, vt relatiuum est.

Circa hanc proprietatem. Primo nota, quod duæ priores sunt communitates, hæc autem est proprietas, quia conuenit omni relatiuo, soli, & semper.

Secundo animaduertendum erit, quod secundum Albertum differunt conuersio, conuertibilitas, & conuertentia, quia conuersio est passio propositionum, cum consistat in transpositione subiecti, & prædicati, & diuidatur in tres species, vt patet in libris Perihermeniarum, s. in conuersionem simpliciter, per accidens, & per contrapositionem. Conuertibilitas vero est passio terminorum, & consistit in mutua consecutione eorum, & in duas species diuiditur, i. in substãtialem, & non substantialem, vt habetur primo Topicorum. Conuertentia autem consistit in mutuo respectu duorum, & ideo dr̃ passio relatiuorũ.

Dubi-

Dubitatur vero circa supradictam proprietatem. Primo, quia conuenit alijs à relatiuis. Nam propria passio, & subiectum dicuntur ad conuertentiam, v.g. omnis homo est risibilis, omne risibile est homo, & tamen hęc non sunt relatiua.

Secundo. Quia omne denominatiuum cuiuscunque prædicamenti dicitur ad conuertentiam cum suo abstracto, v.g. quantum quantitate dicitur quantum, & quantitas, q̃ti dicit' quantitas, & calidum calore est calidum, & si calor est calidi calor est.

Ad hæc argumenta respondent quidam, quod hæc proprietas conuenit omnibus relatiuis tam secundum esse, quam secundum dici, & ideo vt mutuo referuntur secundum aliquẽ respectum, possunt dici ad conuertẽtiam. Sed melius respondetur, quod duplex est conuertentia. Prima dicitur adæquationis, & vniuersalitatis, quæ in hoc consistit, quod vnum in plus non se habeat quam alterum, & quod inter illa cadat ordo, & dependentia, siue sit ordo ad subiectum, siue ad terminum. Alia est conuertentia relatiua, quæ semper respicit terminum vt correlatiuum, & sub relatione, vt sunt omnia correlatiua vt correlatiua sunt, & hæc quidem tantum ipsis conuenit. Vnde primum argumentum procedit de conuertentia adæquationis, & esse, sicut dicitur ẽt ad secundum, de qua non loquimur, sed de relatiua.

Videtur autem ipsa ad aliquid simul esse natura &c.

Relatiua sũt simul natura

HAec est altera proprietas relatiuorum, s. simul esse natura, quã proprietatem asserit Philos. in multis esse verã vt in ijs quę posita se ponũt, & perempta se perimunt vt patet in duplo & dimidio, in seruo & in domino, & in similibus, in alijs autem affirmat eam esse falsam, quod exemplificat in duobus. Primo in scientia, & scibili quia vt in pluribus scientia acquiritur ex re scibili, vnde res scibilis præcedit scientiam. Dixit autem scibile vt in pluribus præcedere scientiam, vel secundum Boetium propter Chimerica, & ficticia, quæ cum non sint, non possunt scientiam pręcedere, vel secundum Albertum propter moralia, quia mores dupliciter considerari possunt. Primo vt sunt concepti, & sic scientiam pręcedunt. Secundo vt sunt in esse, & sic eam sequũtur, quia homo virtuose agit, dum a virtute studiose esse agẽdum cognoscit. Vel secundum Caietanum hoc dixit propter practica, nam duplex est sciẽtia. Prima dicitur speculatiua, & hæc est posterior rebus, quia ab eis causatur. Secunda dicitur practica, quæ res facit, & operatur, & hæc est prior rebus artificialibus. Vel secundum Simplicium locutus est de scientia intelligentiarum, quæ simul est cum ipsa re scibili, ab ea effecta.

Secundo hoc probat, quia perempta scientia v.g. rosæ in Petro, non perimitur scibile .s. rosa. Ea autem quæ simul sunt natura hoc habent, quod vno perempto, & aliud perimitur.

Tertio hoc probat, quia sublato omni animali non tollitur scibile, v.g. perempto homine, propter hoc nõ tolluntur elementa, nec aliæ partes vniuersi, quæ de se scibiles sunt, dato etiam, quod nullus esset homo, qui eas cognosceret.

Ostendit etiam quod sensus, & sensibile non sunt simul natura & hoc dupliciter. Primo, quia perempto sensibili, corpus sensibile perimitur, ac perempto sensu non perimitur sensibile, nam ablato animali non tollitur omne sensibile. Ergo sensus, & sensibile non sunt simul natura. Secundo hoc probat, quia sen-

sibile est prius animali, sicut ea sunt priora ex quibus res componitur, v. g. quatuor elementa sunt priora animali, quod ex eis componitur, vnde concluditur, quod sensibile est prius sensu.

Dubia circa supradicta.

Circa supradicta autē dubitatur. Primo an relatiua sint simul natura. Videtur enim quod non: propter rationes adductas in litera a Philos.

Secundo arguitur, quod processus Philos. sit sophisticus. Quia cōparat scibile, & sensibile in potentia, cum scientia, & sensu in actu, cum debe-rēt hæc comparare, aut secundum actum, & actum, aut secundum potentiam, & potentiam.

Ad decisionem horum primo adnotandum venit, quod huic difficultati sunt tres modi respondendi. Primus est Ammonij, & Simplicij dicentiū, quod scibile, & sciētia in actu, simul sunt in actu, & sumpta in potentia, simul sunt in potentia. Sed hoc est cōtra Philos. hic, & tertio de Anima cap. 2. vbi habet contra Antiquos sensibile, & sensum in actu simul quidem esse, sed sensibile in potentia, & sensus in potentia nequaquam, & ratio potest esse, quia sensus in actū est actus sentiendi, & sensus in potentia est potentia sensitiua, quę sentire potest, sensibile autem in actu est obiectum quod de facto sentitur, & sensibile in potentia ꝙ non sentitur, sed potest sentiri; Ita scientia in actu est actus intelligendi, & in potentia est habitus sine operatione, scibile vero in actu est obiectum quod intelligitur, & in potentia, ꝙ non intelligitur, sed intelligi potest, vnde patet quod sensibile, & scibile in potentiā non sunt simul cum potentia sensitiua, vel intellectiua, sed bene in actu, &c.

Secundus modus respondēdi est, quod sensibile, & sensus, scibile, & scientia dupliciter considerari possunt. Primo fundamentaliter, idest, pro re quæ est sensibilis, vel scibilis. Secundo formaliter, idest pro sensibili, & scibili, vt formaliter dicuntur scibile, & sensibile. Primo modo dicunt non esse simul. Secundo autē modo vtique. Sed hæc inquit Caietanus puerilis est perscrutatio. Primo, quia omnibus cōstat, relatiua materialiter considerata non esse simul natura. Secundo, quia materialiter nullum est relatiuam simul cū alio, nā sic pater præcedit filiū, &c. Et tertio quia relatiua materialiter considerata non sunt relatiua, sed res absolutæ.

Tertius ergo modus respondendi est D. Caiet. qui in hoc consistit, quod oīa relatiua sint simul natura si recte assignentur. Ad hoc ergo sciendum. Secundo obseruandum venit, quod relatiua sint simul natura bifariam intelligi potest. Primo in esse reali, & existentiæ, quia scilicet vno posito, aliud ponitur, & vno perempto, aliud perimitur, & hoc est verum, sed non sufficiens, ideo. Secūdo intelligitur in esse reali, cum negatione causalitatis, si formaliter considerentur, nam risibile, & homo sunt simul natura, quia homo est causa risibilis. Relatiua ergo sunt simul natura, relatiue, & formaliter, quando posita se ponūt, & perempta se perimunt, sed cum hoc, quod vnum formaliter sumptum, & vt relatiuum consideratum, non dicitur causa alterius, ideo.

Tertio considerandū venit, quod ad hoc vt relatiua recte assignentur, & sic sint simul natura, oportet semper inter ipsa proportionem seruare, vnde dicimus scibile non esse simul cum scientia, quia scibile poten-

tentiam significat, id est, quod potest sciri, scientia vero actum denotat, scilicet scitum, ideo scibile & scitiuum simul sunt, quia ambo potentiam significant, & ita scientia, & scitum significant actum, & ita dic de cæteris; ideo omnia relatiua recte assignata sicut dicuntur ad conuertentiam, ita etiam simul sunt.

Quarto tamen cōsiderandum venit secundum S. D. p. p. q. 13. ar. 7. quod in relatiuis duo sunt, scilicet res significatæ, & significatio relationū formaliter. Ex primis ergo nō pensatur simultas, sed ex significatione formali relatiua. Hæc autem alio modo inueniūtur in relatiuis secundum esse, & alio modo in relatiuis secundum dici. Nam prima mutuo semper se includūt: secunda vero in quibusdam sic, vt patet in capite, & capitato; & in quibusdam nō, secundum idem significatum principale, nam scientia primo significat actum, quia scientia simpliciter dicit actum cognitionis, scibile vero non exigit ad hoc vt sit simpliciter scibile, quod actu sciatur, sed quod potētia sciri possit, & ideo scientia realiter refertur ad scibile, quia ab eo dependet, vt eius effectus realis; scibile autem refertur ad scientiam secundum aptitudinem, & rationem, & per hoc patet ad argumentum.

LECTIO XXVI.

Habet autem quæstionem, vtrum nulla substantia ad aliquid dicatur, quemadmodum videtur, an hoc contingat secundum quasdam secundas substantias: Nā in primis substantijs verum est; nā neque tota, neque partes primarum substantiarum ad aliquid dicuntur; nam aliquis homo non dicitur alicuius aliquis homo, nec aliquis bos, alicuius aliquis bos. Similiter autem & partes, quædam enim manus non dicitur alicuius quædam manus, sed alicuius manus, & quoddam caput non dicitur alicuius quoddam caput, sed alicuius caput. Similiter autem & in secundis substantijs, atque hoc quidem in pluribus, vt homo non dicitur alicuius homo, nec bos alicuius bos, nec lignum alicuius lignum, sed alicuius possessio dicitur, ī huiusmodi ergo manifestum est, quoniam non sunt ad aliquid. In aliquibus vero secundis substantijs habet aliquam dubitationem, vt caput alicuius caput dicitur, & manus alicuius manus dicitur, & singula huiusmodi, quare hæc fortaße ad aliquid eße videbuntur.

Si igitur sufficienter eorum, quæ sunt ad aliquid, diffinitio assignata est, aut omnino difficile, aut impoßibile est ostendere, quoniam nulla substantia eorum, quæ sunt ad aliquid dicitur, si autem non sufficienter, sed sunt ad aliquid quibus hoc ipsum eße est ad aliud quodammodo se habere, fortasse aliquid contra ista dicetur. Prior vero diffinitio sequitur quidem omnia relatiua, non tamen eis hoc est esse quod sint ad aliquid, quod ea ipsa, quæ sunt, aliorum dicantur.

Ex his ergo manifestum est, quod siquis aliquid eorum, quæ sunt ad aliquid, diffinite sciet, & illud, ad quod dicitur, diffinite sciturus est: quoniam eorum esse, quæ sunt ad aliquid, est ad aliquid quodammodo se habere. Si enim non nouit omnino ad quod hoc

quodammodo se habet sciturus est, sed & in singulis palam hoc est, vt hoc si quis nouit diffinite quod est duplum, & cuius duplum est mox diffinite nouit. Si vero nihil diffinite nouit ipsum cuius duplum est, neque si est duplum omnino nouit. Similiter autem & hoc ad aliquid si nouit quis quod melius est, & quo melius est necessarium est nosse. Propter hæc auté non indefinite hoc cognoscent, quod hoc est peiore melius, opinio enim hęc est, non disciplina, non enim adhuc sciet ex lacte, quod est peiore melius si enim sic contingit nihil est peius eo propter hoc. Qua propter palam est & necessarium quod si nouerit quis aliquid relatiuorum diffinite, necessarium est & illud, ad quod dicitur, diffinite nosse.

Caput vero & manus & horum singula, quæ substantiæ sunt hoc ipsum quod sunt possunt sciri diffinite: ad quod vero hæc dicantur non est necessarium scire, cuius enim caput hoc vel hæc manus, non est scire diffinite, quare nõ erunt hęc adaliquid. Si vero non sunt relatiuorum, verum erit dicere quod nulla substantia relatiuorum est. Fortasse autem difficile sit de huiusmodi rebus confidenter declarare, nisi sæpe pertractata sint: dubitasse autem de singulis non erit inutile.

Substãtiæ & earum partes nõ dicuntur adaliqd.

Haec est vltima pars principalis huius prædicamenti ad aliquid, in qua Arist. conatur emendare diffinitionem Platonis datam relatiuis. Dubitat ergo vtrum aliqua substãtia sit ad aliquid. Respondet vero substantiam quadrupliciter diuidi .s. in primam, & secundam, & in partes primæ, & secundæ substantiæ. Tunc subinfert, quod primæ substãtiæ v.g. quidam homo, & eius partes, v.g. quædam manus, & quoddam caput non dicuntur ad aliquid, quia non dicimus aliquis homo est alicuius aliquis homo, nec quędam manus alicuius quædam manus. Hoc autem intelligas relatiue, & nõ per modum possessionis, quia aliquis homo v.g. seruus erit alicuius aliquis homo .s. domini sui, sicut & quidam equus, est alicuius quidam æquus .s. patroni sui. Hoc idem pronunciat in secundis substantijs, & earum partibus, sed subinfert in his habere aliquam dubitationem, quoniam caput dicitur alicuius caput & manus alicuius manus. Sed quispiam potest dubitare, quomodo caput sit adaliquid, & hoc caput non sit adaliquid, stando quod quid quid conuenit speciei, cõueniat etiam indiuiduo. Sed respondetur quod dicẽdo hoc caput duodicimus. Primum est substantia, s. caput. Secũdum est indiuiduatio .s. hoc. Ratione primi potest esse relatiuum, sed ratione secundi nequaquam, quia principia indiuiduantia sunt extra speciẽ, & extra relationẽ, & in hoc secundo sensu loquutus est Arist.

Secundo loco comparat suam diffinitionem cum diffinitione Platonis, & inter eas statuit duas differentias. Prima est, quod secundum diffinitionem Platonis, aut omnino impossibile est, aut est difficile soluere supradictam difficultatem, at diffiniendo relatiua pro vt ipse diffinit .s. relatiua sunt, quæ hoc ipsum quod sunt, ad aliud sunt, sic de facili soluitur dicta dubitatio. Secunda differentia est, ꝙ prima diffinitio conuenit omnibus relatiuis, & illa excedit, sua vero conuertibilis est cum diffinito.

Tertio notandum circa primam differentiam. Primo. Arist. vsum fuisse ijs terminis dubitatiuis si sufficienter *Notanda ex textu.*

ter

ter diffinitio ad aliquid assignata est, propterea, quod discipuli Platonis potuissent dicere Platonem diffiniuisse tantum relatiua Logice, i. ea quæ sunt secundum dici, & non secundũ esse, in quo sensu verà est. Secundo notandum quod in textu dixit difficile, aut impossibile, quia parua, aut nulla videbatur ratio impugnandi su pradictam diffinitionē, si partes substantiæ dicuntur ad aliquid. Tertio concludit ex sua diffinitione quorũdam relatiuorum proprietatem, s. quod relatiua simul cognoscuntur, quia ad aliud se habent. Quarto loco ex supradicta proprietate respondet dubitationi dicendo, quod substantiæ, & earum partes non sunt ad aliquid, sed absolute dicuntur.

Dubia circa supradicta.

Dubia. Circa supradicta autem tres occurrunt difficultates. Prima est, an diffinitio Arist. relatiuis assignata recta sit. Videtur enim quod non: Primo. Quia tam prima quam secunda diffinitio coincidere videntur, cum ambæ dentur per dici ad aliquid .i. ad terminum. Et secundo, quia idem per idem in secunda diffinitione diffinitur. Nam dicitur, quod ad aliquid illud est, cuius esse est ad aliquid se habere.

Secunda difficultas est. Vtrum relatiua simul cognoscantur. Videtur enim quod non. Nam sic idem simul esset minus notum, & magis notum, vt diffiniens & diffinitum. Et secundo, quia cum duplex sit diffinitio simultanea, s. essentiæ, & existentiæ, non explicatur quo modo horum, relatiua simul cognoscantur.

Tertia difficultas est. An partes substantiæ ad aliquid dicantur. Pro negatiua enim est Arist. in præsenti, sed pro affirmatiua stat, quia recte dicimus caput est capitati caput, & manus, est manuati manus.

Pro solutione primæ difficultatis. Primo notandum venit, quod ad aliquid bifariam considerari potest. Primo secundum suum esse, i. vt esse suum est ad aliqd, q a in hoc stat suũ constitutiuum. Secundo secundum suum cognosci, i. vt cognoscitur per dici ad aliquid. Primo modo considератur intime, & secundum suam naturam, quo pacto ipsum considerauit Arist. Secundo consideratur vt ab extrinseco. i. vt pendet ex cognitione nostra nihil ponente in adaliquid reale, & sic ipsum considerauit Plato; quapropter melior est diffinitio Arist. vt explicatiua naturæ rei, quam Platonis, quæ eam solum explicat ab extrinseco.

Secundo notandum circa ly cuius esse &c. quod duplex est esse, s. quidditatiuum, seu essentiæ, & existentię, in rerum natura. Primo autem modo sumitur esse in diffinitione, vt sit sensus, quod essentia, & quidditas relatiui est ad aliud esse & dici, non autem sumitur secundo modo, quia essentia relatiui formaliter ab hoc esse abstrahit.

Tertio notandum est, quod in omni prædicamento accidentium tria sunt. Primum est subiectum, cui tale accidens inest, v.g. substantia, vel q̃titas. Secundum est forma in abstracto sumpta, & nomen eius, vt albedo, nigredo &c. Tertium est forma in concreto accepta, & subiecti denominatiua, v.g. album, nigrum. Ita ergo in relatione, subiectum potest esse absolutum, v.g. quãtitas, qualitas, actio &c. at forma erit ipsa relatio ad aliquid, quę denominat relatiuum, quia relatio & relatiuum ad aliquid dicũtur, v.g. paternitas quæ est forma abstracta, & pater quod est concretum denominatiuum paternitatis ad aliquid dicuntur. Relatio ratione subiecti potius dicitur aliquid, quam ad aliquid,

aliquid, vnde vocatur relatiuum per accidens, quia accidit quod relationi relatiuum denominetur, seu ad aliquid. Ratione ergo formæ, & denominationis, per se dicitur ad aliquid, quia vsi hoc stat simul esse. Prima igitur diffinitio quoniam videtur data de subiecto relationis, ideo dicitur nō intelligi esse ad aliquid per se, et qdo dicimus conuenire etiam relatiuis secundum dici: sed secunda datur secundum propria, & ideo est amplectenda.

Ad primum igitur patet quomodo differant.

Ad secundum vero dicitur, quod quamuis videatur repetitio, non tamen ita est, quia vnum explicat esse, & aliud esse ad terminum.

Ad secundam difficultatem satis dictum est cap. de specie & supra.

Ad secundum igitur dicendum venit, Albertum, & Auerroem sensisse quod simul cognoscantur quo ad diffinitionem, & quidditatem, & Boetius quo ad existentiam. Sed dicendū venit, quod vtroque modo simul cognoscuntur. Quoad essentiam quidem, quia vnum non potest diffiniri nisi vt dicitur ad aliud: quoad existentiam vero, si relatiuum in singulari sumatur, quia in facto hunc non appellabimus patrem, nisi de facto habeat filium. Sed tunc seruandæ sunt duæ conditiones. Prima est, quod relatiua determinate, & in singulari sumantur, & non vage. Secunda est, quod ea relatiua certa scientia cognoscamus, & non opinione, quia tunc non quæreremus certum terminum.

Ad tertiam difficultatem dicitur, quod aliud est quærere, vtrum partes substantiæ possint dici ad aliquid aliquo modo, s. connotatiue, vel secundario, vel secundum dici, & aliud quod non possint cognosci, & diffiniri sine correlatiuo, vel relatione. Primum non negat Arist. quod concludit argumentum. Secundum negat, nec contra hoc procedit argumentum.

De Qualitate, & Quali.

LECTIO XXVII.

Qualitatem autem esse dico, secundum quam quales quidem dicimur.

In tractatu de qualitate Philos. quatuor principaliter facit. Primo enim agit de qualitate. Secundo de quali. Tertio de proprietatibus qualitatis, & quarto excludit obiectionē. Notandum est ergo primo circa ordinem, quod qualitas potest comparari ad prædicamenta quantitatis, & ad aliquid, de quibus iam actum est; & etiam ad sex alia prædicamenta de quibus agendum erit. Quare autem postposita sit quantitati & relationi, iam diximus; at quare præponatur alijs sex prædicamentis, ratio est, quoniam quanto aliqua prædicamenta sunt substantiæ proximiora, tanto magis prius sunt ponēda. Qualitas autem proximior est substantiæ quam alia sex prædicamenta, nā qualitas formaliter substantiam modificat, & eam fere intrinsece denominat, alia vero sex prædicamenta extrinsece denominant substantiam. *Ratio ordinis præcedit.*

Quare autem Arist. 5. Met. præposuerit qualitatem relationi, respondetur fuisse in causam, quia prædicamenta ibi considerantur vt partes entis, sic autem qualitas est perfectior relatione: hic autem Arist. ea considerauit vt sunt affectiones substantiæ, quare cum relatio quantitatem, quæ post substantiam ponitur sequatur, ideo tertio loco posita est relatio, & quarto qualitas. Quamuis autē hæc qualitas possit esse terminus actionis,

nis, vnde hæc actio erit ea prior, qua litas tamen absolute sumpta est prior actione, quia substantia non agit nisi mediante potētia, quæ est qualitas.

Titulus prædicamenti explicatur. Secundo notandum circa titulum huius prædicamenti, quod titulus talis est, de qualitate, et quali. Quare autem hoc prædicamentum, & non superiora Arist. sic inscripserit non dicendo de quantitate, & quanto, de relatione, & de relatiuo variæ assignuntur rationes. Prima est propter eorũ difficultatem, quia difficilius est cognoscere qualitatem, & quale, quam quantitatem, & quantum. Secunda ratio est, quia in qualitate maxime apparēt abstractũ & cōcretũ, & ideo in titulo apposuit abstractũ s. qualitatē, & cōcretũ i. quale. Tertia est, quia non eodem modo, vt videbimus ponuntur in prædicamento, & quarta, quia Antiqui diuidebantur circa qualitatem & non circa quale.

Qualiter tripliciter sumitur. Tertio notandum, quod qualitas secundum Arist. 5. Met. c. 14. multipliciter sumitur. Primo quidem pro omni forma substantiali, & differentia essentiali, quia forma, & differentia quamuis secundum rem substantiam significent, modaliter tamē qualitatem denotant, prout intelliguntur determinare subiectum formaliter, vnde vocantur qualitates secundum modum, sed non secundũ rem. Secundo modo sumitur communiter pro omni forma accidentali, quomodolibet determinante substantiã, siue secundum quantitatem, relationem, vbi, &c. & sic omnia nouem prædicamenta accidentium possunt vocari qualitates, prout aliquo modo determinant subiectum. Tertio modo sumitur pro qualitate proprie, & secundum rem, i. pro forma subiectum simpliciter denominante quale, ita vt sicut a quantitate dicitur quantum, ita a qualitate dicatur quale, & sic de ea hic proprie erit sermo.

Qualitatis descriptio. Quarto igitur loco deducenda est formalis ratio qualitatis. Dixerunt igitur aliqui qualitatem esse accidēs absolutum, consequens formam. Dr accidēns absolutũ ad differentiã relationis, quæ dr accidēs respectiuũ. Dicitur autem consequens formam, ad differentiam quantitatis, quæ consequitur materiam. Sed huic descriptioni duæ sunt addendæ particulæ. Prima est vt consequatur formam inhærenter, quia etiam actio consequitur formam, sed vt emanans ab ea. Secūda est, vt consequatur formam retinendo modum formæ; nam figura consequitur materiam subiectiue, sed denominatiue formaliter significat qualitatem, quia sic denominat subiectum figuratum. Ita plures aliæ qualitates possunt esse in materia, sed nō habebunt rationem qualitatis, nisi denominent subiectum formaliter .i. per modum formæ. Hæc autem descriptio videtur desumpta ex S.D. 5. Met. lect. 9. Sed i p. 2. q. 49. art. 2. sic eã describit. Qualitas est modus, seu determinatio subiecti, secundum esse accidentale. Dixit autem eam esse modum, quia modus rei dicitur quasi mensura rei, & quia qualitas mensurat amplitudinem materiæ, eam determinando accidentaliter, sicut facit forma substantialis substantialiter, ideo dicit modus. Nec obstat quod etiam quantitas determinet materiã, quia eã non determinat formaliter .i. ad modum differentiæ, sicut facit qualitas. Hæc autem descriptio coincidit cum superiori, nam consequi formam est dicere modum. Hęc autem omnia complexus est Arist. dicendo, qualitas est secundum quam quales .i. formaliter, esse dicimur .i. denominamur.

Qualitas est secundũ q̃ quales dicimur. Quinto ergo notandum venit circa ly secundum, quam quales esse dicimur, quod ly secundum, significat causam formalem, nam quod nominemur

nemur tales stat dupliciter. Primo materialiter, & sic per alia prædicamenta possumus nominari quanti, relati &c. Secundo formaliter, & sic denominamur a qualitate, nam ab albedine dicimur albi, & a nigredine nigri; quod verum est, & de abstracto, & de concreto, nam album albedine est album &c.

Dicimur. Sexto notandum circa ly dicimur, quod quamuis nos legamus in prima persona dicimur, textus tamen grecus secundum Boetium habet in tertia persona dicitur, ideo sequendo primam translationem ly dicimur supra nos cadit, quia alia entia non recipiunt omnes qualitates sicut facit homo; nam carent qualitatibus spiritualibus .i. virtutibus, omnes autẽ qualitates spirituales ratione animę, & corporales ratione corporis sunt in homine.

Explicatur. Septimo notandum, quod Philos. diffinit qualitatem in singulari, & vtitur verbo plurali, quia voces in diffinitionibus a numero absoluuntur, vnde erit sensus, quod qualitas est a qua aliquid dicitur quale, & nõ quod vna qualitate dicamur plura qualia.

Quæstio prima.

Vtrum qualitas sit recte diffinita.

Videtur quod non. Primo. Nam omnis diffinitio circularis est mala. Sed hæc est talis, cum hic diffiniatur qualitas per quale, & deinde diffiniatur quale per qualitatem. Ergo.

Secundo. Diffinitio datur per priora. Sed hæc datur per quale, quod est effectus qualitatis. Ergo.

Tertio. Diffinitio datur causa innotescendi. Hęc non: quia ita ignotum est quid sit esse quale, sicut ignotum est quid sit qualitas. Ergo.

Quarto. Hæc diffinitio conuenit differentiæ substantiali secundum quam quales dicimur, vt rationalitate rationales. Sed differentia substantialis non est qualitas; cum sit substantia, & natura hominis. Ergo.

Quinto. Qualitas secundum S.D. p. scdæ q.49. ar.2. in corpore, & p.p.q. 28. ar.2. est dispositio substantiæ. Sed dispositio non est genus qualitatis, sed eius species. Ergo.

Sexto. Diffinitio generis vniuoce conuenit suis speciebus. Sed hæc non. Ergo.

Probatur minor primo. Per Arist. hic dicentem qualitatem esse de numero eorum quæ multipliciter dicũtur i. analogice, & secundo, quia eius species participant naturam qualitatis magis, & minus perfecte, vt patet in dispositione, & habitu, passione, & passibili qualitate &c. Ergo.

Respondetur tamen quod Arist. hic recte diffiniuit qualitatẽ, & ideo sciendum est duplicem esse diffinitionem. Prima dicitur propria, & quidditatiua, & hæc datur per priora, per causam, per proprium genus, & per propriam differentiam, & per notiora naturæ. Secunda dicitur descriptiua, & hæc potest dari per effectus, & per posteriora, & per nobis notiora, & talis est hæc, cum detur per quale, quod est concretum qualitatis, concreta autem, & composita, sunt nobis notiora. Ad descriptionem autem sufficit quod si descriptũ careat proprio genere, & propria differentia habeat tamen aliquid loco se tenens generis, & differentiæ. Loco ergo generis, & differentiæ in hac descriptione hoc totum subintelligitur, s. qualitas est ens reale, finitum, creatum, & completum, nam per ens reale excludimus entia rationis, & per alias particulas omnia qualia metaphorice. Per ly autem secũdum quam quales, subintelligitur formaliter dicimur quales, ex quo non solum excluduntur ea *Diffinitio qualitatis explicatur.*

quæ

quæ materialiter dicuntur qualia, ve rum etiam effectiue; igne enim calida, dicuntur calida formaliter tamen calore, calida, & sole res dicuntur pulchræ, sed effectiue. Hinc exclusa manet opinio Suarez Disp. 42. sect. prima suæ Metaph. s. quod ratio qualitatis sic ornare substantiam, intrinsece eam perficiendo in esse, & actione, nam ornare substantiam in ordine ad esse non pertinet ad genus qualitatis, sed ad primam eius speciem, & perficere eam in actione, attinet ad secundam, & tertiam eius speciẽ, vnde patet quod describit qualitatẽ per rationes inadequatas.

Argumenta soluuntur. Ad primum ergo dicendum, quod talis est circulus difformis, de quo in primo Post. quia per effectum cognoscimus causam, & per causam effectum.

Ad secundum diximus hanc esse descriptionem.

Ad tertium negatur, quod quale ratione nostri non sit notius qualitate vt supra.

Ad quartum dicimus, quod qualificare stat dupliciter. Primo quidditatiue, & sic conuenit differentiæ substantiali, quæ ideo dicitur prædicari in quale quid. Secundo accidentaliter, & inhærenter, & sic conuenit qualitati.

Ad quintum dicitur, quod dispositio sumpta vt species strictius sumitur, quam vt dicitur de genere qualitatis, vt infra explicabimus.

Ad sextum dicimus, quod si qualitas sumatur Logice .i. vt qualificat vt sic, vniuoce dicitur de omnibus suis speciebus, & Physice analogice dicitur, quia vna species perfectius qualificat, quam altera, vt patet in habitu, & dispositione & sic discurrendo.

LECTIO XXVIII. & XXIX.

Est autem qualitas eorum, quæ multipliciter dicuntur. Vna quidem species qualitatis habitus & dispositio dicantur.

Differt autem habitus a dispositione, quod permanentior & diuturnior est. Tales enim sunt scientiæ & virtutes, scientia enim videtur esse permanẽtium & diuturnorum, vt si quis vel mediocriter sumat scientiam, nisi forte grãdis permutatio facta sit vel ab ægritudine, vel ab aliquo huiusmodi, similiter autem & virtus, vt iustitia, vel castitas & singula talium non videntur posse facile moueri, neque facile permutari, dispositiones vero dicuntur quæ sunt facile mobiles & cito permutabiles, vt calor & frigiditas & sanitas & ægritudo, & alia huiusmodi. Afficitur enim circa eas homo quodammodo: cito autem permutatur, & ex calido frigidus fit, & ex sanitate in ægritudinẽ transit, similiter autem & in aliis, nisi forte in his, quæ contiugit per temporis longitudinem in naturam cuiusque transferri, vt insanabilis vel difficile mobilis existat affectus, quẽ iam quilibet habitum vocet.

Manifestum est autem, quod hæc volunt habitus nominari quæ sunt diuturniora, & difficilius mobilia. Namque disciplinas non valdẽ retinentes, sed facile mobiles dicuntur non habitum habere: quamuis sint ad disciplinas prius vel melius dispositi, quare differt habitus a dispositione, quod hoc quidem facile est,

illud vero diuturnius & difficilius mobile.

Sunt autem habitus & dispositiones: dispositiones vero non necesse est habitus esse, qui enim retinent habitum, & quodammodo dispositi sunt secundum ipsos: qui autem dispositi sunt non omnino retinent habitum.

Haec est secunda pars huius tractatus in qua Philos. incipit agere de speciebus qualitatis.

Prima species qualitatis est habitus.

Antequam autem de eis agat, ait qualitatem esse de numero eorũ, quę multipliciter dicũtur, & deinde quatuor facit vt primam speciem qualitatis explicet. Primo ergo dicit primam speciem qualitatis esse habitũ, & dispositionem. Secundo assignat differentiam inter hæc, quod habitus est de difficili mobilis, vt scientia v. g. Arithmetica & physica, & virtus vt iustitia, & castitas, dispositio vero est de facili mobilis, vt calor, frigiditas, sanitas, & ęgritudo. Tertio hoc ꝓbat, s. quod habitus sit de difficili mobilis ex communi loquentium vsu, quia qui scientias habent, dicuntur habitum scientiarum habêre, & qui non, dispositionem tantum. Quarto ponit conuenientiam habitus cum dispositione in hoc, quod omnis habitus est dispositio, non vero omnis dispositio est habitus, vnde non est necesse, vt qui tenet dispositionem, habitum habeat.

Sufficientia specierum qualitatis.

Circa superiora autem quædam sunt notanda, & quędam dubitanda. Primo ergo notandum venit, quod quamuis diuersimode assignetur distinctio specierum qualitatis, tamen notior, breuior, & clarior hæc est. Supponendum est ergo, quod vt supra diximus, qualitas importat modum determinatiuum substantiæ. Res igitur multipliciter potest terminari. Nam si est indifferens ad bene, vel male se habendum, determinatur per qualitates primæ speciei, i. ꝑ habitum, vel dispositionem. Si vero sit indifferens ad posse, vel non posse operari, sic modificatur per qualitates secundæ speciei, s. per naturalem potentiam, vel impotentiam. Si vero sit indifferens quoad operationes sensitiuas, sic modificabitur per qualitates tertiæ speciei. s. per passiones, vel passibiles qualitates. Si autem maneat indifferens quoad quantitatem sic modificabitur per qualitates quartæ speciei. s. per figuras &c.

Qualitas analogice dicitur.

Secundo notãdum circa hoc quod dixit Philos. qualitatem esse de numero eorum, quæ multipliciter dicunt̃ .i. analogice, quod duplex est pronũc analogia. Prima dicitur proportionalitatis, & attributionis, & hæc excludit vnitatem genericam, quia nõ dicit vnum conceptum præcisum ab inferioribus, & sic qualitas non intelligitur analogice dici. Nam sic non esset vnum genus dicens vnum conceptum de suis speciebus. Secunda dicitur inęqualitatis Physice, & æqualitatis Logice, quæ. s. dicit vnum conceptum vniuoce Logice, de inferioribus prædicabilem, & analogice Physice, i. secũdum nobiliorem, & minus nobilem modum illam participandi, & hoc modo qualitas dicitur analogice.

Quid sit habitus, quid dispositio.

Tertio notandum venit quid sit habitus, & quid sit dispositio. Habitus ergo ab habere dicitur, sicut igitur habere tripliciter sumitur, sic & habitus. Primo ergo sumitur generaliter pro quocunque habere, seu amicum, seu vestem, seu qualitatem, seu quodcunque aliud, & sic connumeratur inter post prædicamenta. Secundo sumitur minus communiter, & vt est quoddam medium, inter habentem, & habitũ per modum actionis, & passionis, quomodo dicimur vestiti, vel armari, ex vestium, vel armorum.

modorum adiacientia, & sic constitui- tur genus generalissimum. Tertio modo sumitur minus communiter pro eo ex quo res bene, vel male se habet in ordine ad naturam, vel ope rationem, quo iure dicimur bene habituari per virtutes, & male per vitia, & sic ponitur quædam qualitas, quia bene vel male qualificat subiectum. Dispositio vero vt quinto Metaph. dicitur importat ordinem habentis partes, aut secundum locum, aut secundum potentiam, aut secundum speciem. Si secundum locum erit prædicamentum situs; vnde sic solemus dicere, aliter esse dispositum sedentem, & aliter stantem, si secundum potentiam & speciem, sic pertinebit ad prædicamentum qualitatis secundum potentiam inchoatiue vt explicauimus.

Sufficientia habituum.

Quarto notandum, quod aliqui Doctores sic tradunt sufficientiam omnium habituum. Habitus quidē sunt animæ, quia ab anima originem ducunt, vel quia in anima sedent, vt sunt virtutes, & scientiæ: Alij vero sunt corporales, sic dicti, vel quia sūt in corpore, vel quia ad aliquam operationem corporalem primo ordinā tur, & ij sunt in duplici differentia; Nam quidam sunt in toto corpore, vt ægritudo, & sanitas, & quidam in aliqua parte, vt habitus pulsandi in manu, & saltandi in pedibus. Habitus autem animæ quidam sunt acquisiti, vt scientia acquisita, & quidam infusi a Deo, quos tamen non cognouit Arist. vt sunt fides, spes, charitas. Item habitus morales quidam sunt virtutes, vt iustitia, prudentia &c. & quidam sunt defectus, vel per excessum vt prodigalitas, vel per defectū vt timiditas, & auaritia, Habitus vero intellectuales sunt quinque .s. sapientia, scientia, intellectus, prudentia, & ars, & ij semper sunt veri, at opinio non. Item sapientia duplex est. Prima dicitur naturalis, & hæc est Metaph. altera dicitur supranaturalis, i. per reuelationem habita, & hęc est Theologia. Item sciētia quædam est realis, & quædam rationalis Realis triplex est. Speculatiua. & vna practica. Speculatiuæ sunt Physica, Mathematica, & Metaph. Practica est scientia moralis, quæ de morib. agit. Item Mathematica quadruplex est .s. Arithmetica cōsiderans numerum, Musica numerum sonorum, Geometria lineam, & Perspectiua lineam visualem contemplans. Astrologia vero media est, & hæc agit de rebus cælestibus. Item Physica multiplex est prout contingit ens mobile, quod est eius subiectum considerari in ordine ad affectiones naturales. Item moralis triplex est, si enim docet mores propios singulorum dicitur Ethica; si communes Politica, si familiarum Aeconomica. Item scientia rationalis triplex est .s. Grammatica, Rethorica, & Logica. Item Ars multiplex est .s. ars nauigandi, fabricandi &c. & ij omnes habitus in prima specie qualitatis reponuntur, & ita illorum inferiora.

Dispositio dupliciter sumitur.

Quinto notandum est circa dispositionem, quod duobus modis sumitur. Primo generaliter pro qualitate de facili, vel de difficili mobili, & sic quinto Metaph. & hic dictum est habitum esse dispositionem. Secundo sumitur specialiter, & proprie prout distinguitur contra habitum, eo quia habitus est de difficili mobilis, & dispositio non; Primo modo ponitur genus ad habitum, & dispositionem habitui contradistinctam. Secundo autem modo ponitur species distincta contra habitum.

Habitus tria facit.

Sexto notandum est, quod habitus tria generat in habente illum. Primo enim in eo generat facilitatem, vnde milites experti, & in arte militiæ habituati faciliter arma exercent, &

promptius quam gregarij milites. Secundo in eo inducit delectationē, quia per illum operatur quasi p principium factum sibi connaturale. Tertio in eo gignit firmitatē, vnde bene habituati de difficili ruunt in malū.

Septimo, sic igitur diffinimus habitum. *Habitus diffinitio.* Habitus est qualitas permanens, & de se stabilis in subiectū per se primo ordinata ad operationem, non tamen tribuens primam facultatem operandi, sed illam adiuuans, & facilitans. Diximus ergo primo esse qualitatem, quia qualificat. Diximus secundo esse permanentem, & hoc propter actus, qui transeunt, cum habitus ex actibus generati ijs cessantib. permaneāt. Tertio diximus esse qualitatem permanentē, pp dispositionē, q est de facili mobilis. Quarto dixim⁹ quod primo ordinatur ad operationem, quia habitus distinguūtur a speciebus intelligibilibus, quoniam species non imprimuntur intellectui ad operationem primo, sed ad coniungendum obiectum cognitum cum potentia cognoscente, habitus vero dantur propter operationem primo .i. adhoc vt potentia facilitetur ad bene operandum; Hoc etiam diximus propter illas qualitates, quæ bene vel male disponunt subiectum in ordine ad esse, vnde potius vocantur passibiles qualitates quā habitus. Diximus quinto non tribuens primam facultatem operandi, quia talis facultas radicaliter est ab anima, quæ est principium primum omnium operationū. Verum est tamen, quod habitus supernaturales dant facultatem operandi primam in suo ordine, cum anima ex se non possit esse principium, actuum supernaturalium.

Octauo notandum, quod habitus potest habere infrascripta subiecta. *Habituū subiectū.* f. intellectum, propter habitus intellectuales; voluntatem, propter habitus morales, & appetitum etiam sensitiuum secundum S.D.p. secundæ q.50. artic.3. prout coniungitur cum superiori ratione, nam sic incipit bene habituari circa sensibilia, vt non appetat nisi quod potest. Immo habitus possunt esse in omni potentia non determinata ad vnum, quia in ea cadit aliqua indifferentia, quæ per habitus tollitur, non tamen in omni potentia erunt habitus, sed secundum aliquam rationem sibi conuenientē. Et sic aliquo modo bruta quæ sunt determinata ad suas operationes habitus recipere possunt, ex quo videmus, quod ex aliquibus frequentatis actibus domātur, & multa addiscūt, quæ de facili operantur, nec tunc mouentur tm̄ ab obiecto, cū prius ab eo in contrariū mouerentur. Sed hi proprie, & stricte non vocātur habitus; qa illis non mouent̄ intellectualiter.

Nono notandum quod habitus ef fectiue concurrunt ad generationem actus; sed duplex est principiū actus. *Habitus producit actum.* Primum enim dicitur essentiale, quia ab ipso primo, & principaliter est actus, & hoc est potentia. Secundum dicitur formale .i. proximum principium supponens potentiam, quod ēt vocatur principium formæ actus .i. determinationis actus, & tale principium est habitus. Nam potentia de se est indifferens ad producendum hūc vel alium actum, & ideo per habitū determinatur ad producendum hūc actum, vnde potentia & habitus non se habent vt duæ causæ partiales, sed vt duæ causæ totales diuersorum tamen ordinū.n. Hinc elicimus potentiam ex se solam, & præcise non esse sufficientem ad producendum actū habitualem; (nam de hoc actu loquimur & non de actibus ex quibus generatur,) vnde necesse est quod habitus secum cooperetur. Quamuis autem actus sit ab habitu, tamen actus est nobilior habitu, quia non permiscetur potentiæ sicut facit habitus, ne-

que

que repugnat quod in genere actualitatis actus sit nobilior habitu, quia in ratione principij producentis, & producti, habitus possit dici nobilior actu, quia ipsum producit.

Habitus generantur ex actibus.

Decimo notandum est, quod habitus generantur ex actibus, & actus fiunt ex habitibus, sed diuersimode; nam actus generant habitus quasi materialiter, quia ex ipsis coalescunt: sed habitus producunt actus effectiue vt diximus. Si autem quis quęrat an vnus actus possit generare habitum. Respondetur quod habitus sunt in duplici differentia. Nam quidam habent euidentiam vt scientia, & sic talis habitus potest generari ex simplici actu, & si ille actus est imperfectus, generabit scientiam dispositiue, & imperfecte, & si esset perfectus .i. certum, & euidens scire huius rei generabit habitum perfectum. Alij vero sunt habitus qui habent aliquam repugnantiam subtrahendam a subiecto, & hi non possunt generari nisi ex pluribus actibus, impedimenta subtrahentibus, & firmitatem causantibus.

Quæstio.

Vtrum Arist. sufficienter enumeret species qualitatis.

Videtur quod non, & Primo probatur, quia dubitatiue loquitur dicendo quod forsitan istæ sunt species qualitatis.

Secundo. Species intelligibiles sūt qualitates, cum sint accidentia creata qualificatiua intellectus. At non apparet ad quam specierum qualitatis reducantur.

Tertio. Character ex Baptismo, confirmatione, & ordine impressus est qualitas & non videtur ad quam speciem attineat.

Quarto. Virtutes super naturales vt fides, spes, charitas, & gratia sunt qualitates, At in qua specie de facili non iudicatur.

Quinto. Asperum & lene, rarum, & densum sunt qualitates; At in qua specie constitutę dicendum est.

Sexto. Quæ habent vnam differentiam specificam sunt vnius speciei. At prima & tertia species habent eandem differentiam specificā .s. facile vel difficile mobile, facile vel difficile transiens.

Conf. quia Arist. quandoque ponit caliditatem, & frigiditatem in tertia specie, & quandoque in prima, ergo sunt vnius speciei, quia vna essentia non potest duas species constituere.

Septimo. Actus immanentes sunt qualitates, & ad nullam speciem qualitatis pertinent.

Octauo. Species visibiles in aere sunt qualitates, & tamen non qualificant subiectum. Ergo aliquid quod nō facit quale, erit qualitatis species. In oppositum est Arist.

Argumenta soluuntur.

Ad primum ergo inuenio duos modos respondendi. Primus est Simplicij, & Boetij dicentium Arist. hic non enumerasse omnes species qualitatis. Primo quia hic liber erat introductorius, & secundo vt excitaret aliorum animos ad has indagandas. In quinto autem Metaph. de ijs complete egit. Alij vero vt Ammonius, & Alb. tenent hic fuisse sufficienter enumeratas species qualitatis, vnde nil amplius i Metaph. habemus de qualitate, & eius speciebus, quam hic habeamus. Locutus est autem dubie. Primo ne more Sophistarū oīa pro certo tradere intelligendus esset. Secundo, quia ijs ab eo adinuentis, alij forsan poterant aliquam aliam addere.

Ad secundum dicitur, quod S. D. p. 2. q. 51. ar. 6. in corp. & q. 5[illegible] ar. p. [illegible] fuit species intelligibiles in prima specie qualitatis, faciendo eas habitus; nā & si

& si species dentur ad simpliciter intelligendum, & ad coniungendum obiectum cum intellectu, tamen adhuc dantur ad bene & faciliter intelligendum. Vnde dicendum quod reponuntur in prima specie, non stricte vt habitus, sed vt principia habituũ, quia ex harũ receptione intellectus constituitur in habitu ad bene, faciliter, & prompte intelligendum. Vel dicendum, quod species etiam reducuntur ad secundam speciem, prout q̃ potentia intellectiua indiget speciebus intelligibilibus ad intelligendum, & sensitiua ad sentiendum.

Ad tertium dicitur cum S.D. in 4. d.4.q.p.art.p.q. character in ad secũda specie qualitatis, quia potentia est illa qua aliqd possumus simpliciter; habitus vero ex quo aliquid possumus bene, faciliter, & delectabiliter. Hæc tamen potentia obiectiue dicitur supernaturalis, qua renati ad vitam spiritualem possunt in actiones hierarchicas, quæ sunt administratio nes, & receptiones sacramentorum, aliorumq; ad fideles pertinentiũ. Vt autem illæ operationes bene exerceãtur indigent habitu gratiæ.

Ad quartum dicitur, quod sunt habitus, & consequenter in prima specie qualitatis, & dantur ad bene operandum. Nam actus fidei, spei, & charitatis potuit quidem homo habere, nõ quidem supernaturales, sed naturales motos a Deo auxilio particulari ad credendum &c. sine habitu infuso harum virtutum, & hoc secundum aliquos, nam quid ego sentiam suo loco dicam. Ita gratia reducitur ad primam speciem qualitatis, non vt virtus, sed vt quædam habitudo supposita virtutibus infusis, vt earum principium & radix.

Ad quintum suo loco ponemus differentiam inter has species, & tunc etiam dicemus ad sextum.

Ad septimum dicitur, quod actus immanentes, vt intelligere, velle, viuere, & sentire pertinent ad primã speciem qualitatis .s. ad dispositionẽ, quia ijs, & verbo ab intellectu producto, & impulsu a voluntate emisso disponuntur potentiæ agentes vt bene vel male se habeant in ordine ad suã naturam. Ita docet S.D. op.48. Ferrariensis secundo cõtra gentes c.82. & ideo non est verum quod asserit Suarez disp.42. sec.5. de mẽte S.T. s. actus immanentes pertinere ad prædicamẽtum actionis, nam ad tale prædicamentum solum spectant actiones successiuæ, & actus imperfecti, qui sunt motus physici, non vero actiones immanentes, quæ sunt qualitates, & actus perfecti. Nec est verum Arist. 10 Metaph. negare operationes virtutis & fælicitatem esse qualitates, sed ibi argumentatur contra dicentes nõ esse quoddam bonũ, arguendo quod dato, & non cõcesso quod non essent qualitates adhuc essent bonum, quia bonum reperitur in omnibus generibus. Vide quæ diximus in 9. Met. q.15.

Ad octauum dicendum quod sũt qualitates habentes esse in aere, & in potentia, & si alio, & alio modo prout eis conuenit, & explicatur in 2. de anima.

Quæstio.

Vtrum habitus, & dispositio sint vna species, vel duæ qualitatis.

Videtur enim quod sint vna species. Primo, quia expresse hoc fatetur Arist. in textu.

Secundo. Quæ differunt differentijs accidentalibus specie non differunt. Habitus & dispositio differunt differentijs accidentalibus .s. per facile, & difficile mobile, quæ cum ad passionem spectent, habitui, & dispositioni, non possunt esse nisi differen-

tiæ

tiæ accidentales, cum sint extraneæ speciei.

Tertio. Arist. exemplificans de dispositione dat exemplum de sanitate, & infirmitate. Hæc autem non possunt esse habitus, cum non sint in anima. Ergo si erunt habitus, erunt habitus qui sunt dispositiones.

Quarto. Dispositio fit habitus, nã per primum actum virtutis, habitus qui est ex frequentatis actibus non generatur, sed solum fit dispositio ad habitum. At vna species non fit alia. Ergo distinguuntur specie.

Quinto. Perfectum, & imperfectũ v.g perfecta, & imperfecta albedo ad eandẽ speciem albedinis attinent. At dispositio & habitus solum distinguuntur vt perfectum, & imperfectum. Nam habitus dicit habere perfectum, & dispositio imperfectum.

Sexto. Si non sunt vna species, quatuor non erũt tm̃ species qualitatis, sed quinque At hoc est contra Arist. hic Ergo.

Septimo. Quæ distinguuntur specie distinguuntur diffinitione Sed habitus, & dispositio non distinguutur diffinitione; nam Arist. 5. Met. tex. 28. sic habitũ diffinit. Habitus est dispositio, quo modificatur aliquid secundum suam naturam bene, vel male in se, vel in ordine ad alterum. Ergo.

Octauo. Vitia sunt habitus contrarij virtutibus. Sed vitia sunt dispositiones, cum non habeant causam suę diuturnitatis, & sint contra naturam rationalem, & consequenter de facili corrumpantur. Ergo.

Nono. Habitus habet causam facile mobilem. Ergo erit facile mobilis, vt etiam est dispositio. Antecedẽs probatur, quia habitus generantur ex dispositione vltima. At omnis dispositio etiam vltima si est dispositio, est facile mobilis.

Decimo. Scientia est habitus, & tamen ex vnico actu generatur cum non sit aggregatio specierum, sed simplex qualitas genita per demonstrationem, vnam, vel plures.

Opiniones. Pro decisione huius q̃stionis. Primo notandum venit, quod circa hãc difficultatem sunt tres opiniones. Prima fuit Alb. & Boetij tenentium habitum, & dispositionem differre solum sicut perfectum, & imperfectum in eadẽ specie, vt differt Sortes puer a seipso viro facto, ideo dicunt Aristo. duplici nomine expressisse duplicem speciem qualitatis ad significandum eam habere duos modos essendi .s. perfecte, & imperfecte. Secunda opinio fuit Suarez disp. 42. sect. 57. s. q. habitus & dispositio si accipiantur pro qualitatibus animæ .i. pro principio operationis, & pro dispositione, i. pro actu operandi specie differunt. At habitus, & dispositio in qualitatibus corporis solum distinguuntur accidentaliter per maiorem, & minorem radicationem in subiecto. At hæc sententia est contra S. D. p. 2. q. 50. artic. 1. nam qualitates corporis dicuntur de facili mobiles non secundũ se, sed per accidens i. in ordine ad subiectum, vel ratione diuturnitatis, vel ex aliquo modo extrĩseco, de qua re uide Ioannem Sanchiez Sedegno q. 28. prædicamentorum. Tertia sententia fuit S. D p. 2. q. 49. ar. 2. ad tertium. Caiet. hic, & aliorum plurium .s. quod sunt duæ species qualitatis.

Habitus & dispositio sunt duæ species specialissimæ. Secundo notandum quod habitus & dispositio sint duæ species dupliciter intelligi potest. Primo quod sint duæ species subalternæ, & hoc est falsum, quia habitus & dispositio in hac vna specie subalterna conueniunt, s. in applicatione; nam quædam est applicato faciens facile mobile, & quędam difficile. Secundo potest intelligi quod sint duæ species specialissimæ, & sic est verum.

Tertio ergo notandum, quod vt diximus, vna eademque res materia-

liter

liter considerata ad diuersa prædicamenta spectare potest, sed formaliter nequaquam, species autē non ex materiali, sed ex formali constituuntur, ideo speculandum venit, quod facile aut difficile mobile alicui conuenire, contingit dupliciter. Primo ex conditione speciei .i. quando ex sui natura, & ex suis causis, & principijs firmis, & stabilibus sibi vēdicat quod difficile moueatur, v.g. quod scientia amittatur, quia habet lumen intellectus agentis, receptionem speciei intelligibilis, & premissas necessarias &c. Vel habet ex sui natura, & ex causis variabilibus, quod de facili moueatur, vt patet in sanitate, & ęgritudine. Secundo facile & difficile moueri cōuenire possunt alicui ex conditione subiecti, multiplicatione actuum, vel diuturnitate temporis, quo pacto sciētia de facili potest corrumpi in mente capto, & ęgritudo & febris ethica de difficile remoueri. Difficile ergo & facile mobile primo modo variāt speciem, & non secundo modo, quia sic non dicunt modos diuersos per se, & intrinsece, sed tantum per accidēs, & ab extrinseco. Verum est tamen, quod vitia, opinio, & error secundum S.D.p.2.q.51.art.3. sunt habitus, qui de difficili remouentur a subiecto si secum trahant aliquam causam apparentiæ, vel diuturnitatem aliquam sępius repetitam.

Per se distincta.

Secundo ergo loco principali ponitur hæc conclusio. Habitus, & dispositio distinguuntur tanquam duę species. Probatur primo ex Arist. in textu. Nam tantum in eo exemplificat de habitibus de difficili mobilib. per se, vt de scientia, & virtutibus, & de dispositionibus per se de facili mobilibus vt de sanitate, infirmitate, calido, & frigido, & insuper vocat sciētiam imperfectam habitum, & tamē secundum primam opinionem vt quoddam imperfectum esset dispositio, & insuper, quia dicit habitus per se esse diuturnos, & dispositiones nō. Et quamuis vocet infirmitatem radicatam habitum, quæ tamen per se nō est habitus, sed dispositio. Respondetur tū, q̄ infirmitas diuturna dicatur, habitus stat dupliciter. Primo secundum rem, & sic non est de numero illorum, quæ per se, & intrinsece de difficili remouentur. Secundo secundum modum, & sic habet modum habitus, sed hoc est per accidens.

Conclusio probatur.

Ad primum ergo dicitur, quod Arist. id dixit ad insinuandum genus proximum habitus, & dispositionis .s. ipsam applicationem vt diximus.

Argumenta soluuntur.

Ad secundum primo respondet Caiet. id Arist. fecisse, quia carebat proprijs terminis, & ideo circumlocutiue vsus est differentijs accidentalibus. Secundo respondetur, quod materialiter sunt passiones, & formaliter habitus, prout sunt de facili vel de difficili mobilis, vt infra explicabitur.

Ad tertium sunt duo modi respondendi. Primus est Alexandri ponentis omnem habitum in anima, vnde exempla data ab Arist. de pulchritudine, & sanitate voluit esse data vt intelligamus naturam habitus, & dispositionis, & non secundum veritatem. Secundus est S.D. & aliorum dicentium, quod habitus potest dupliciter considerari. Primo proprie, & sic in anima radicantur. Secundo communiter, & sic multi habitus possunt etiam subiectari in corpore, vt dispositiones eius, vt patet de pulchritudine, & sanitate.

Ad quartum dicitur, quod vna species potest ex altera fieri, quando ad alteram ordinatur, sicut vegetatiuū transit in sensitiuum, & in intellectiuum in anima rationali, & ita dispositio transit in habitum, quia ad ipsum ordinatur. Valet ergo argumentum in speciebus disparatis, &

non

non in subordinatis.

Ad quintum dicitur, quod duplex est perfectum, & imperfectum. Primum dicitur secundum eandem formam intensibilem, & tale non variat speciem, sed tantum eius perfectionẽ subiectiuam secundum quod perfectius, & minus perfecte recipitur in subiecto. Secundum dicitur perfectũ, & imperfectum secundum diuersas formas, vel naturas, vt dispositio, & habitus, quoniam habitus sua natura habet quod difficiliter amoueatur, & dispositio faciliter, & hæc variant speciem.

Ad sextum dicitur, quod quatuor sunt species subalternæ qualitatis, & si plures possint esse specialissimæ.

Ad septimum dicendum, quod dispositio dupliciter sumitur. Primo proprie vt distinguitur contra habitum, & sic distinguuntur diffinitione. Secundo communiter vt est quid superius ad habitum, & dispositionẽ proprie sumptam, & idẽ sonat quod afficere subiectum in ordine ad naturam, abstrahendo a bene, & male, facile, vel difficile mobili, & sic habitus dicitur dispositio.

Ad octauum dicitur, quod vitia sunt de difficile mobilia, vt experientia docet, & natura deprauata consentit.

Ad nonum dicitur, quod generari ex altero bifariam fiat. Primo vt aliquid eiusdem formæ, sicut secundus gradus caloris generet tertium. Secundo vt aliquid diuersæ naturæ, sicut vegetatiuũ transit in sensitiuum, & ita non est necesse quod sint eiusdem speciei, vt apparet in dispositione, & habitu; hoc enim prouenit, quia vnum ordinatur ad aliud.

Ad decimum dicitur, quod habitus potest generari ex vnico actu, sed vt plurimum ex pluribus actibus generatur, quia de ratione habitus intrinsece est quod sit de difficili mobilis, generetur modo ex vno actu, vt apparet in scientia, vel ex pluribus vt constat in multis alijs. Nam etiam dato quod sciẽtia inchoata vt inchoata est sit de facili mobilis, scientia tamen secundum se dicitur de difficili mobilis, quia secundum se sibi vendicat causas firmas .s. lumen intellectus, euidentiam demostrationis, necessitatem præmissarum &c. Vnde per accidens est quod ratione subiecti fiat de facili mobilis.

LECTIO XXX.

De secunda specie qualitatis.

Aliud vero genus qualitatis est secundum quod pugillatores, vel cursores, vel salubres, vel insalubres dicimur: & simpliciter quæcunque secundum potentiam naturalem vel impotentiam dicuntur. Non enim quoniam sunt dispositi aliquo modo, vnumquodque huiusmodi dicitur, sed quod habent potentiam naturalem, vel impotentiam facere aliquid facile, vel nihil pati, vt pugillatores, vel cursores dicuntur nõ quod dispositi aliquo modo, sed quod habeant potentiam naturalem, uel impotentiam hoc facile faciendi. Sanatiui autem dicuntur eo quod habeant potentiam naturalem ut nihil a quibuslibet accidentibus facile patiantur: Egrotatiui uero quod habeant impotentiam nihil patiendi. Similiter autem his molle & durum se habẽt, durum enim dicitur quod habeat potentiam non facile secari, molle uero quod habeat eiusdem ipsius impotentiam.

Philos. hic ponit secundam speciẽ qualitatis .s. naturalem potentiã,

Secunda species qualitatis est naturalis potentia, & impotentia.

vel impotentiam. Dicit ergo quod secunda species qualitatis est naturalis potentia, vel impotentia, secundū quam vocamur vel pugilatores, i. bene ferientes, vel cursores, i. expediti, & velociter currentes, vel salubres, i. habentes naturalem potentiam ad resistendum omnibus contrarijs corrumpentibus sanitatem, & similia. Tunc subdit, quod naturalis potentia, & impotentia non dicitur ex aliqua dispositione ad se habendum bene, vel male, sed dicitur ex naturali potentia, vel impotentia aliquid faciendi. Naturalis autem potentia ex duobus prouenit. Primo ex perfecta, & optima informatione materiæ. Secundo ex vigore ad resistendum contrarijs dispositionibus bonum statū informationis materiæ impedientibus, sicut naturalis impotentia ex cōtrarijs supradictis prouenit.

Postponitur habitui.

Circa ista aūt primo venit notandū circa ordinē, quod Arist. primo loco posuit habitum, & dispositionē, cū tñ naturalis potentia sit prior habitu, sicut prior est natura q̃ eā adiuuās; hoc enim factum est vt asserit S. D. 1. 2. q. 49. art. 3. ad secundum, quia habitus dupliciter considerari potest. Primo vt est quædam res, & sic est posterior naturali potentia, quæ ipsum facit, vel suscipit. Secundo vt est perfectibus naturæ, & quia natura non operatur per naturalem potentiam, nisi vt bene vel male est habituata, vel disposita, ideo habitus sic dicitur præcedere naturalem potentiam, vel impotētiam, prout tamen mouetur ad bene, vel male operandum ex habitu, & dispositione. Secunda ratio est, quia duplex est prioritas. Prima dicitur generationis, & hac potentia præcedit habitum, quia sine ipsa non foret. Secunda dicitur perfectionis, & esse, & hac habitus præcedit potentiam, quia eam perficit. Habeas autē quod potentia, & impotentia bifariam sumi possunt. Primo secundum se, vt duas qualitates dicunt, & sic specie distinguuntur, vt tenet Soto. Secundo vt denominat vnam potentiam subiecti, modo potentem, & modo impotentem, & sic sunt eiusdem speciei, & solum distinguuntur (subiectiue scilicet) sicut perfectum, & imperfectum in eodem subiecto.

Distinguuntur species.

Secundo notandum quod Arist. hanc secundam speciem vocauit genus, & primam speciem, pro specie intelligendo speciem subalternam, quæ genus nuncupari potest vt dictū est in prædicabilib. Itaque potentia, & impotentia specie specialissima distinguntur, siue sumantur pro potentia actiua, & passiua, siue pro potentia forti, vel debili secundum se, in diuersis subiectis.

Proprie.

Tertio notandum venit, quod hoc genus ab Antiquis dictum est aptitudo, quoniam considerauerunt quandam rationem generalem potentię, sed ab Arist. rationes proprias considerante nominatum est nominibus suarum specierum, quia male naturalis impotentia aptitudo vocatur, cum potius inaptitudo ad aliquid operandum dicenda sit. Impotentia ergo hic accipitur ab Arist. pro principio debili ad resistendum contrarijs, & non forti ad agendum, vnde debiles in operatione, impotentes vocamus.

Ab habitu &c.

Quarto notandum venit pro notitia terminorum, quod potentia dicitur principium operationum. Tale autem principium duplex est. Primū dicitur principium ad absolute operandum, vt intellectus ad intelligendum. Secundum dicitur principium ad operandum hoc, vel illo modo. i. bene, vel male, v.g. ad bene, vel male intelligendū. Naturalis potentia primo mō dicitur principium operandi, & habitus secundo modo, quia facit vt potentia prout est bene, vel male habituata sic operetur. Hinc apparet diffe-

differentiæ inter potentiam, & habitum. Primo enim differunt, quia naturalis potentia a natura est,& habitus ab vsu. Secundo quia naturalis potentia absolute necessaria est ad operandum, non sic habitus, cum multi operentur sine habitu. Tene tamen hic cum S. D. 1. 2. q 18. ar 9. non dari aliquem actum,in singulari tamen consideratum, qui sit indifferens;nā si ille actus cum fine consentit, erit bonus; & si ab eo discordat, erit malus,vel physice,vel moraliter.

Naturalis potentia & impotentia conueniūt & differunt. Quinto notandum est,quod naturalis potentia, & impotentia in vno conueniunt,& in alio differunt. Conueniunt quidem,quia ambo fundantur in natura, & non in aliquo acquisito. Differunt vero,quia naturalis potentia sequitur naturam,vt perfectiua eius, faciendo quod materia sibi subijciatur, at impotentia sequitur naturam vt eius defectus, constituendo materiam vincere formā, & ideo dicitur defectus ad resistendum, vel ad aliquid faciendum; vnde ij impotentes dicuntur,qui non possunt contrarijs resistere, vt sunt naturaliter ęgroti,pigri &c.

Quadrupliciter sumitur. Sexto notandum pro maiori supradictorum declaratione,quod quadruplex est naturalis potentia. Prima dicitur promptitudo ad aliquid faciendum,v.g. ad currendum,vel pugnandum. Secunda dicitur ad fortiter resistendum,vt est salubritas,resistens contrarijs infirmantibus,& duritiesdiuidentibus. Tertia dicitur ad difficiliter agendum aliquid, vel secundum corpus, vel secundum animam,vt mala dispositio. Quarta dicitur ad facile suscipiendum sibi contrarium, vt intemperies complexionis ad suscipiendas infirmitates. Duo priores modi naturalem potentiam constituūt, & posteriores naturalem impotentiam. Potest tamen potentia transcendentaliter sumi, cum in omni genere sit potētia ens, & actu ens, sed sic sumitur pro ente in actu, vel inpotentia, ideo potentiā quæ est secunda species qualitatis dicitur principium agendi in aliud, vel ab eo patiendi.

Impotentia bifariam sumitur. Septimo notandum,quod naturalis impotentia dupliciter sumi potest. Primo enim sumitur priuatiue, & sic significat priuationem potentiæ. Secundo sumitur contrarie,& sic significat aliquid positiuum,.s. principium aliquid patiendi de facili, vel operandi de difficili, & hoc secundo modo hic sumitur, quia solum vt est quoddam positiuum potest constituere realem speciem qualitatis.

Potentiæ multiplicitas. Octauo notādum est ad exactam cognitionem naturalis potētię, quod multipliciter diuiditur. Potentia igitur duplex est .s. corporis,& animæ. Potentia autem corporis duplex est. Prima dicitur actiua,vt potentia magnetis trahentis ferrum. Secunda dicitur passiua, vt salubritas,mollities, & duritíes. Potentia vero animæ quadruplex est .s. vegetatiua,cognoscitiua,appetitiua,& loci motiua. Vegetatiua duplex est, principalis, & ministerialis. Principalis triplex est. Prima dicitur nutritiua, quia nutrit, Secūda dicitur augmentatiua,quia auget. Tertia dicitur generatiua,quia generat. Ministerialis vero quadruplex est. Prima dicitur attractiua, quia ad omne membrum,vel partem alimentum trahit. Secunda dicitur alteratiua,seu digestiua, quia alimentum alterat,& disponit. Tertia dicitur retentiua, quia ipsum retinet, & quarta dicitur expultiua, quia superfluum alimenti expellit. Potentia autem cognoscitiua duplex est .s. intellectiua,seu intellectus,& sensitiua .i. sensus. Sensitiua autem duplex est. Exterior .s. collocata in quinque sensibus .s. visu auditu, olfatu,gustu,& tactu, & interior, sita in sensu com-

 muni,

muni, in imaginatiua, phantasia, cogitatiua,& memoria sensitiua. Itē appetitiua duplex est, s. concupiscibilis, per quam ferimur in bonum, & auersamur malo,& irascibilis, qua tendimus in bonum arduum obtinendum. Item loci motiua multiplex esse potest. s. ad volandum, natandum, currendum, pugnandū &c.

Dubia.

Circa autem hanc secundam speciem dubitatur. Primo, quia vel differt a prima, q̄a ipsa est actiua,& prima nō,& hoc est falsum, q̄a multi sunt habitus actiui, vt scientia,& virtutes. Aut differt ab ea, quia prima est acquisita,& hæc a natura,& hoc etiā falsum est, quia multi sunt habitus naturales vt sanitas, & pulchritudo, & etiam aliqua est potentia aduenticia, vt caracter sacramentalis, qui secundum D.T.3.p.q.63.art.2.ad hanc secundam speciem reducitur, Aut hæ species differunt penes subiectum,& hoc etiam esse non potest, quia aliquę qualitates vtriusque speciei possunt esse in anima & in corpore, vt habetur in litera. Ergo non differunt.

Secundum dubium est. Quomodo Arist.5.Metaph.text.19.posuerit tantum tres species qualitatis, & hanc secundam omiserit, si vera est species qualitatis.

Ad primum dicimus, quod primo modo non differunt, quia habitus dupliciter potest dici actiuus. Primo mediate, quia disponendo ad bene esse, consequenter etiam disponit ad bene operari. Secundo ratione subiecti, quia .s. disponit subiectum ad bene operandum, vt scientia bene disponit intellectum ad intelligendum; Nec secundo modo differunt vt supra; (vt est opinatus Simplicius) quia ægritudo, sanitas, & pulchritudo dicuntur etiam qualitates primæ speciei. Differunt ergo vt diximus in superioribus præcipue in hoc, quod naturalis potentia dicit principium operandi vt sic,& habitus secundum conuenientiam,& disconuenientiam.

Ad secundum dicimus, quod in textu 17. 5.Metaph.de potentia mentionem fecerat; hic vero eam secundam speciem qualitatis constituit, q̄a eam considerauit prout secundum eam quales dicimur.

LECTIO XXXI.

De tertia specie Qualitatis.

Tertia vero species qualitatis est, passibiles qualitates & passiones, sunt autem huiusmodi vt dulcedo & amaritudo & austeritas & omnia his cognata. Amplius autem & calor & frigus & albedo & nigredo. Quod quidem igitur, & hæ qualitates sunt manifestum est.

Quæcumq; enim has susceperint, qualia dicūtur secundum eas: vt mel quoniam dulcedinem suscepit, dulce dicitur: & corpus album, eo quod albedinem suscepit, similiter autem se habet in cæteris.

Passibiles vero qualitates dicuntur non quod ea, quæ illas susceperint qualitates, aliquid patiantur, neque enim mel quod aliquid passum sit dicitur dulce, nec aliquid aliud huiusmodi. Similiter autem his & calor & frigus passibiles qualitates dicuntur, non quod ea, quæ eas suscipiunt, aliquid passa sint: sed quoniam vnaquæque eorum, quæ dicta sunt, secundum sensuum qualitatem passionis perfectiua sunt, passibiles qualitates dicuntur, dulcedo enim quandam passio-

sionem secundum gustum efficit, & calor secundum tactum, similiter autem & aliæ. Albedo autem & nigredo & alij colores non similiter his, quæ dicta sunt, passibiles qualitates dicuntur, sed eo quod ipsæ ab aliqua passione innascuntur. Quod enim fiunt per aliquam passionem multæ colorum mutationes manifestum est, erubescens enim aliquis, rubeus factus est: & timens pallidus, & vnumquodque talium. Quare etiam si quis natura aliquid talium, perturbationum vel passus est, similem colorem oportet eum habere. Quæ enim affectio nunc ad verecundiam circa corpus facta est: & secundum naturalẽ passionem eadem fiet actio, ut naturalis color sit similis.

Quacunque ergo talium accidentium ab aliquibus passionibus difficile mobilibus & permanentib. principium sumpserunt: passibiles qualitates dicuntur, siue enim secundum naturalem constitutionem pallor fit, aut nigredo, qualitates dicuntur. (Quales enim secundũ eas dicimur) siue propter ęgritudinem longam, uel eidem propter æstum contingit nigredo, vel pallor: & non facile prętereunt, vel etiam in vita permanent, qualitates & istæ dicuntur, similiter enim quales & secundum eas dicimur. Quæcunque vero ex his, quę facile soluuntur & cito transeunt, fiunt, passiones dicuntur, qualitates vero minime, non enim dicimur secundum eas quales, neque enim qui propter verecundiam rubeus factus est, rubeus dicitur: nec cui pallor propter timorem venit, pallidus est, sed magis eo quod aliquid passus est, quare passiones huiusmodi dicuntur: qualitates vero minime. Similiter autem his & secundum animam passibiles qualitates & passiones dicuntur. Quæcunque enim mox in nascendo ab aliquibus passionibus difficulter mobilibus fiunt, qualitates dicuntur: vt dementia, vel ira, vel alia huiusmodi: quales enim secundũ eas dicuntur .i. iracundi, & dementes. Similiter autem & quæcunque alienationes non naturales, sed aliquibus casibus factæ sunt difficile prætereuntes & omnino immobiles, etiam huiusmodi qualitates sunt: quales enim, & secundum eas dicuntur. Quæcunque vero ex his quæ facile & citius prætereunt fiunt passiones dicuntur, vt si quis contristatus iracundior fiat, non enim iracundus dicitur, qui huiusmodi passione iracundior est, sed magis aliquid passus. Quare passiones quidem huiusmodi dicuntur, qualitates vero minime.

IN explicatione huius tertiæ speciei qualitatis. Philos. quatuor facit. Primo eam proponit, & exemplis explicat. Secundo ostendit quomodo dicantur passibiles qualitates. Tertio ponit discrimẽ inter passiones, & passibiles qualitates, & quarto hoc etiam explicat in qualitatibus secundum animam. *Summa litteræ.*

Quoad primum ergo habet Philos. tertiam speciem qualitatis esse passionem, & passibilem qualitatem, quales sunt dulcedo, amaritudo &c. Nã secundum has quales esse dicimur. Passio autem quæ singulare prædicamentum constituit, motum dicit; At passio hæc dicit qualitatem cito transeuntem, & passibilis qualitas cum difficultate abeuntem.

Secundo loco ostendit tres esse modos,

dos, secundum quos aliqua dicitur passibilis qualitas. Primo enim dicitur talis ratione subiecti, quia subiectum eam recipiendo patitur, vt manus recipiendo calorem. Secundo dicitur talis causaliter, quia .s. est causa passionis, vt calor ignis est causa passionis .i. combustionis in ligno, & generaliter obiecta sensuum causant sic passionem, quia sentire, est quoddam pati. Tertio dicitur talis vt effectus passionis, quia .s. causatur a passione. His tribus modis positis subdit, quod non primo modo, sed tantum secundo, & tertio aliquæ dicuntur passibiles qualitates. Nam quia subiectum patitur, non dicitur passibilis qualitas, quia v.g. mel non dicitur pati, quia habet dulcedinem, nec ignis quia habet calorem, & ideo restant solum duo modi eo quia .s. passibilis qualitas, vel est causa passionis, vel effectus. Deinde tertio ostendit omnes colores esse effectus passionum. Nam colores a natura similes sunt his qui ab accidenti sunt, vt quando quis fit rubeus ex verecundia, similis fit rubeo a natura; & ita quando quis fit pallidus ex timore, nam hi fiunt ex aliqua passione, s. ex timore, vel verecundia. Ergo & illi qui sunt a natura, vnde color firmus & natus ex verecundia dicitur esse ex aliqua passione. His addit, quod qualitates quę sunt effectus passionum sunt in duplici differentia, quia aliquæ proueniunt ex passione durabili, siue a natura, vt a natura vitiata, vel alio forti accidenti, & istæ dicuntur passibiles qualitates, & quædam sunt quæ non durant, & hæ non vocantur passibiles qualitates, sed passiones. Quod probat. Quia ille, qui ex verecundia factus est rubeus, non dicitur rubeus absolute. Habes ergo differentiam inter passionem, & passibilem qualitatem, quod passio non fit ex passione permanenti, sicut fit passibilis qualitas. Quamuis autem passio cito transeat, attamen dicitur qualitas denominans subiectum quale, non quidē absolute, sed pro eo tempore pro quo inest, & secundum entitatem, ita est qualitas, sicut etiam talis est passibilis qualitas.

Vltimo loco ostendit, non solum esse passibiles qualitates illas, quæ sunt effectus passionum secundum corpus, verum etiam secundum animam, quoniam quandoque a natura proueniunt, vt dementia a natiuitate, & quandoque ex causa variabili, vt dementia nata ex subitanea ira, & eadem est ratio de cæteris, sicut dictum est in superioribus.

Circa ista autem plura sunt notanda. Primo enim notandum venit, quod hæc species ab antiquis casus dicebatur, quia causat passionem. Ab Arist. autem duobus modis est expressa, s. passionē, & passibili qualitate, non vt inferat esse duas species materialiter, sed duos modos eiusdem speciei, quia passio est qualitas de facili mobilis, & passibilis qualitas de difficili. Vocatur autem species subalterna materialiter, quia plures sunt species passionum, & passibilium qualitatum.

Passio & passibilis qualitas quid.

Secundo notandum quod passio apud Arist. tripliciter sumitur. Primo enim sumitur pro passione formæ receptæ, siue ista forma sit perfectiua, siue corruptiua, siue sit recepta secundum esse naturale, vt aqua recipit calorem, siue secundum esse intelligibile, vt intellectus recipit speciem intelligibilem, & sensus sensibilem. Secundo sumitur pro receptione formæ disconuenientis & nociuæ, vt quādo subiectum recipit calorem corrūpentem. Tertio capitur pro qualitatē quæ prouenit ex passione, vt ipsius effectus. Addit Caiet. quod etiam sumitur transumptiue pro operatione appetitus sensuum, prout ira, gaudiū, dolor

Passio quatuor modis sumitur.

dolor, spes, & similes vocantur passiones. Sed hæc possunt reduci ad primum modum. Secundum autem huc modum dicit dici passionem, quod glossa secundum modum dicendi, & non absolute.

Tertio notandum, quod qualitates dictæ, ad passionem corruptiuam tripliciter se possunt habere. Primo causaliter, quia quædam sunt solum principia actionum, seu passionum primaria, vnde non fiunt ex alia passione, & istæ sunt quatuor primæ qualitates. s. calor frigus, siccitas, & humiditas. Secundo modo ad eam possunt se habere vt effectus passionum, non efficientes passionem in alio, prout apparet in coloribus, qui sunt ex primis qualitatibus, nec tamē efficiunt passionem per se, quia vt sic non infrigidant, vel calefaciunt, humectant, vel exsicant, vel alium colorem producunt. Tertio vero quædā fiunt ex passionibus, sed & ipsæ sunt causæ passionum in alio, vt apparet in odoribus, & saporibus, qui ex primis qualitatib. fiunt, & calefaciunt, & infrigidant &c.

Qualitates tripliciter dicūtur effectus passionum. Quarto vero notādum, quod qualitates quæ sunt effectus passionum, vt colores, tripliciter oriri inueniuntur. Primo ex naturali passione, sed subiectiua tracta cum generatione, vt est albedo in cigno, & nigredo in coruo. Secūdo ex passione quidem accidentali sed diuturna, vt humiditas catharralis, contracta ex dormitione in loco humido. Tertio ex passione accidentali transeunti, vt est rubedo nata ex verecundia. Hæc autem etiā in mente reperiuntur, nam v. g. dementia potest esse a natiuitate; & causari ex diuturna ira, & ex subita ira. Habeas ergo quod passio, & passibilis qualitas formaliter fiunt in tertia specie, sed causaliter in secunda reperiuntur ratione actus, & potentiæ, ex quibus causantur.

In aliis & alijs. Quinto notandum quod qualitates quæ sunt causæ passionum, non solum passionem in nobis efficiunt, verum etiam & in alijs sentientibus, vt patet de saporib⁹, & odorib. in ordine ad animalia. Hæ aūt qualitates enumeratæ non absolute sunt considerandæ, sed vt qualitates, ad hoc vt ponantur in hac tertia specie.

Dubia.

Contra supradicta vero multipliciter dubitatur. Primo, quia caliditas, & frigiditas, supra ab Arist. fuerunt positę in prima specie, & hic ponuntur in tertia.

Secundo. Differre secūdum idem esse intensum, & remissum non est differre secundum speciem, sic differunt passio, & passibilis qualitas, vt patet ex supradictis. Ergo, &c.

Tertio Quæritur cur Aristot. in initio non adduxit exempla de qualitatibus odrabilibus, & audibilibus, sed tantum de gustabilibus, visibilibus, & tangibilibus.

Ad primum aliqui dicunt caliditatem, & frigiditatem in motu in hac specie esse, sed in termino, & perfecto esse in prima. Sed contra hoc instat Simplicius, quia in tertia sic non posuisset calorem, qui significat terminum, sed calefactionem, quæ annuit motū. Porphirius vero dicebat calorem imperfecte participatum ita vt non possit aliud calefactibile calefacere esse de tertia specie, & si aliud poterat calefacere, esse de prima. Sed impugnatur, quia sic non esset diuersitas specificā inter primam, & tertiā speciem; nam talis est materialis differentia, penes participationem eiusdem formæ considerata. Dicendum est ergo quod dupliciter possunt considerari. Primo absolute, vt sunt passibiles qualitates. Secundo vt conueniunt

niunt, vel disconueniunt subiecto. Primo modo sunt in hac tertia specie, & secundo in prima, prout illud disponunt.

Ad secundum dicendum, quod & si non differant specie ex parte rei cito transeuntis, vel non; differunt tamen ex parte causæ, vt supra, & ideo duobus nominibus nominantur.

Ad tertium dicitur quod exemplificauit in notioribus.

LECTIO XXXII.

De quarta specie Qualitatis.

QVartum vero genus qualitatis est forma, & circa aliquid cōstans figura. Amplius autem adhuc rectitudo & curuitas, & si quid simile est his, secundum enim vnumquodque eorum quale quid dicitur, & rectum aut curuum, & secundum etiam formam vnumquodque quale dicitur. Rarum vero & spissum & asperum & lene putabuntur quidem qualitatem significare, sed aliena huiusmodi putantur esse a diffinitione, quæ circa qualitatem est, quandam enim positionem quodammodo videntur vtrunque partium significare. Spissum enim dicitur eo quod partes ipsæ propinquæ sint, rarum vero eo quod distent a se inuicem, & lene quidem quod in rectum sibi partes iaceant, asperum vero quod hæc quidē pars superet, illa vero sit inferior. Fortaße quidem igitur alius quispiam modus apparuerit qualitatis, sed qui maxime dicuntur hi sunt, qualitates itaque sunt quæ prædicta sunt.

HIc incipit Philos. agere de quarta specie qualitatis, quæ ab Antiquis dicta est compositio, sed a Philos. dr̄ forma, vel circa aliquid constās figura. Explicat autem hanc speciem per figuras triangulares, & quadrangulares, per rectitudinem, & curuitatem, secundum quas figuras aliqua dicuntur vel triangularia, vel quadrangularia, curua, vel recta. Dubitat deinde, de raro, & spisso, & de aspero & leni, an sint qualitates cum secundum hæc quædam dicantur qualia. s. rara, vel spissa. &c. Rn̄det vero ex earū diffinitione negatiue, s. qđ non sint qualitates, quia rarum est qđ habet partes distantes adinuicem, & spissum quod habet partes ad inuicem coniunctas, & asperum quod habet partes inæqualiter insurgentes, & lene qđ habet partes rectas &c. quæ faciunt supradicta spectare ad positionem.

Quartā species qualitatis est forma circa aliquid constans figurā.

Primo autem venit notandum circa supradicta, quid nam per formā, & quid nam per figuram veniat intelligendum. Ammonius ergo per figuram intellexit figuram extrinsecam, seu figuram, quę in inanimatis figura dicitur, & in animatis forma. At Simplicius, & Boetius per formā pulchritudinem intelligunt, & per figuram terminum quantitatis. Sed Albertus idem existimat esse realiter formam, & figuram, & hæc solū differre ratione, quia figura dicitur respectu quantitatis cuius extrema figuram faciunt, & forma dicitur respectu subiecti naturæ, quia. s. quælibet natura specifica habet propriā figuram exteriorem. At Iamblicus putat formam esse tantum in naturalibus, quæ dicuntur habere talem, & talem formam; figuram vero in Mathematicis collocat, quoniam hæc quadrangularia, triangularia &c. dicuntur. Nos autē dicimus formā, & figurā specie non differre, vnde vna eademque qualitas vt terminat actionem artis illam specificando, dicitur forma.

Quid per formam & figurā sit intelligendum.

forma, & vt consequitᵗ terminationē quantitatis, dicitur figura; vnde etiā reperitur in numeris compositis, propter numerum alios mensurantem. Dicitur ergo forma, quia continet, sicut facit forma, vel quia facit cognoscere figuratum, sicut forma materiam, vel secundum S.D.7.Phyſ.quia vt forma accidētalis specificat artificialia, sicut facit forma substantialis substantialia, & naturalia. Dicitur vero figura vt quantitatem terminat per resultantiam, quia resultatᵗ ex superficie, non vero primo, quia sic q̄titas terminatur terminis sui generis, videlicet vel longitudine, vel latitudine, vel profunditate. Dicta autē fuit hæc species qualitatis ab Antiquis compositio, quia facit compositionem cum substantia, non substantialem, quia sic substantia non componitur nisi ex substantijs, materia, s. & forma, sed accidentalem, i. secundum aliquam figuram, vel formam in partibus suis repertam.

Et quid p ly aliquid constans. Secundo notandum (circa ly aliquid constans) quod dupliciter ista verba possunt exponi. Primo accipiendo ly cōstans in casu recto, & sic determinatᵗ ly figura, vt sit sensus, figura constans circa aliquid, quia figura suis terminis constat circa substantiam. Secundo sumendo ly cōstans in casu accusatiuo, & tunc determinat ly aliquid, & facit sensum. Et figura circa aliquid constans. i. non fluens, sed simul stāns; & sic infert differentiam repertam inter subiectum stans, & fluens; quod stans habet propriam figuram. fluens vero vt aqua, vinum, & oleum, nequaquam, quia alienam figuram suscipiunt.

Curuitas, & rectitudo pertinēt adhāc speciem. Tertio notandum Arist. addidisse formis, & figuris curuitatem, & rectitudinem, quia vt ait Ammonius ex quantitatib. procedunt passiones seu affectus formæ, & figuræ, sed non ab omnibus quantitatibus, nam a linea procedunt curuitas, rectitudo, & angulus; a superficie amplitudo, triangulus, quadrangulus, & reliquæ figuræ superficiales; a corpore vero procedunt grauitas, & leuitas; & aliæ figuræ vt cubus, piramis &c.

Asperū et & lene, rarum, & spissum. Quarto notandum, quod asperū, & lene, rarum, & spissum dupliciter considerari possunt. Primo principaliter, & sic dicunt ordinem partiū inter se, & consequenter spectant ad positionem. Secundo secundario, & sic important qualitates tangibiles secundum diuersas rationes vt supra. Sic enim important figuram tangibilem &c.

De Quali.

Qualia vero sunt, quæ secundum hæc denominatiue dicuntur, vel quomodolibet aliter ab his. In pluribus quidem & pene in omnibus denominatiue dicuntur: vt a candore candidus, & a grammatica grammaticus, & a iustitia iustus, similiter autem & in alijs. In [illegible]quibus vero eo quod non sint posita qualitati nomina, non contingit ea quæ dicuntur ab eis denominatiue dici, vt cursor, aut pugillator, qui secundum potentiam naturalem dicuntur, a nulla qualitate denominatiue dicuntur, nō enim posita sunt nomina potentijs, secundum quas isti quales dicuntur, sicut in disciplinis, secundum quas vel pugillatores vel palestrici secundum affectionem dicuntur, pugillatoria enim vel palestrica disciplina dicitur, quales vero ab his denominatiue, hi, qui ad eas afficiuntur dicuntur. Aliquando autem & posito nomine denominatiue non dicitur, id quod secundum ipsum quale dicitur,

vt a virtute studiosus dicitur: uirtutem enim habendo uirtuosus dicitur: sed non denominatiue a uirtute dicitur: non autem in pluribus hoc tale est. Quæ autem dicuntur qualia aut denominatiue a prædictis qualitatibus dicuntur, aut aliquo modo aliter ab his.

Quale quid sit. HAec est secunda pars huius capituli in qua Philos. determinat de quali, duo faciendo. Primo enim ipsum diffinit dicendo. Quale est quod a qualitatibus denominatiue dicitur, vel quomodolibet aliter, vt a candore dicitur candidus, a Grāmatica grammaticus, & a iustitia iustus. Et quia duas particulas in diffinitione posuit; Prima .s. quod a qualitate dicimur quales, & secunda addita .s. vel quomodolibet aliter, ideo annuere voluit duplicem modum qualis. Primus quidem quando in nomine est quædam conuenientia cū extremitatis differentia aliqua, & cū participatione formæ, vt apparet in candore, & candido, in albedine & albo. Secundus est quando denominatio non fit ab aliquibus qualitatibus, vel propter carentiam nominis, prout dicuntur pugillatores, & cursores a potentia naturali pugillandi, & currendi, & a virtute quis non dicitur virtuosus, sed studiosus. Vtroque tamē modo denominatio fit ab aliqua qualitate.

Cur diffiniatur per qualitatē. Circa supradicta autem primo nota, quod Arist. diffiniuit qualitatem per quale, & modo diffinit quale per qualitatem, quia se habent vt causa, & effectus, quia qualitas efficit formaliter quale; impossibile est autem diffinire causam formaliter .i. vt est causa effectus, non ponendo in eius diffinitione effectum, & ita e contra.

Aliam rationem reddit Boetius, s. quod hæc est diffinitio descriptiua & non quidditatiua, in qua licet diffinire notius natura, per notius nobis & quandoque e conuerso.

Secundo recolendum est, quod quædam sunt denominatiua, secundum rem, & modum, quia denominātur a vera, & reali qualitate, cum sola differentia casus, vt a iustitia dicitur iustus. Quædam vero sunt denominatiua secundum rem, sed non secundum nomen, quia denominatiuum vere, & realiter a tali qualitate denominatur, vt studiosus a virtute; sed quia non differt in casu, quia studiosus non conuenit cum virtute in nomine, & ideo dicitur denominatiuum secundum rem, sed non secundum vocem, & propter ista denominatiua fuit apposita etiam illa particula, vel quomodolibet aliter ab his.

LECTIO XXXIII.

De Proprietatibus qualitatis.

INest autem contrarietas, secundum qualitatem: vt iustitia iniustitiæ contraria est, albedo nigredini & alia, similiter autem & ea, quæ secundum eas qualia sunt, vel dicuntur, vt iustum iusto, & album nigro, non autem in omnibus hoc est, rubro enim vel pallido aut huiusmodi coloribus nihil contrarium est qualibus existentibus.

Amplius si contrariorum vnum fuerit quale, hoc palam est quoniam reliquum erit quale proponenti ex singulis alia prædicamenta, vt si est iustitia iniustitiæ contrarium: quale autem est iustitia: quale igitur est iniustitia nullum .n. aliorū prædicamentorū aptabitur iniustitiæ: nec quantitas

tas, nec ad aliquid, nec vbi: nec omnino aliud quicquam nisi quale: sic autem & in alijs quæ secundum quale contraria sunt.

Suscipit autem qualitas magis & minus, album enim magis & minus alterum altero dicitur: & iustum alterum altero magis & minus dicitur, sed & ipsa intensionem suscipiūt, cum candidum nanque sit, amplius contingit candidum fieri. Non tamē omnia, sed plura. Iustitia namque si dicatur magis & minus iustitia potest quilibet ambigere, similiter & in alijs affectibus, quidam enim de talibus dubitant, iustitiam namque a iustitia non multum aiunt magis & minus dici, nec sanitatem a sanitate. Minus autem alterum altero habere sanitatem aiunt, & iustitiam minus alterum altero habere: sic autem & grammaticam & alios affectus: sed tamen ea, quæ secundum eos affectus dicuntur indubitanter recipiunt magis & minus, grammaticior enim alter altero dicitur, & iustior & sanior: similiter & in alijs. Triangulus vero & quadrangulus non videntur magis & minus suscipere, nec aliqua aliarum figurarum. Quæcūque enim diffinitionem trianguli suscipiunt & circuli, omnia similiter trianguli vel circuli sunt. Eorum vero, quæ non recipiunt rationem eandem nihil magis alterum altero dicitur, nihil enim quadratum magis quam parte altera longior forma, circulus est: nullum enim ipsorum recipit circuli rationē. Simpliciter autem si vtrumque non recipiunt huius propositi rationem non dicetur alterum altero magis. Non ergo omnia qualia recipiunt magis & minus, horum itaque quæ prædicta sunt nihil est proprium qualitatis.

Similia vero & dissimilia secundum solas dicuntur qualitates. Simile enim alterum alteri non est secundum aliud, nisi secundum illud quod quale est. Quare proprium erit qualitatis secundum eam simile & dissimile dici.

At vero non decet conturbari, ne quis nos dicat de qualitate propositionem facientes, multa de relatiuis interposuisse: habitus enim & dispositiones eorum, quæ ad aliquid sunt esse dicebamus. Vere enim in omnibus talibus genera ad aliquid dicuntur, nihil autem eorum, quæ singularia. Nam cum disciplina genus sit, hoc ipsum quod est alterius dicitur: alicuius enim disciplina dicitur. Eorū vero, quæ singularia sunt, nihil ipsum quod est alterius dicitur, vt grammatica non dicitur alicuius grāmatica: nec musica alicuius alterius musica, sed forte secundum genus hæc ad aliquid dicuntur: vt grāmatica dicitur alicuius disciplina, non alicuius grāmatica: & musica alicuius disciplina, non alicuius musica. Quapropter quæ per se quidem singularia sunt, nō sunt ad aliquid, dicimur enim secundum singulas quales: hæc enim habemus, scientes enim dicimur quod habemus singularium scientiarum aliquas, quare hæc erunt & qualitates, quæ singularia sunt secundum quas quales dicimur: hæc autem non erunt eorum, quæ sunt ad aliquid. Amplius si contingat hoc ipsum quale & relatiuum esse, nihil est inconueniens in vtrisque hæc generibus enumerare.

HAec est tertia pars principalis huius prædicamenti, in qua Auctor agit de proprietatibus qualitatis. Primo ergo dicit qualitati conuenire habere contrarium,& in qualitatibus esse contrarietatem, quod exẽplis manifestat, cum in abstracto dicamus iustitiam iniustitiæ, & albedinem nigredini esse contrariam, & in concreto,iustum contrariari iniusto, & album nigro . Asserit tamen non omnib. qualitatibus hoc inesse, quia medij colores non habent contrariũ, vt rubedo.palor, & similes. Subinfert autem aliam proprietatem ad hanc primam facientem, s. quod si vnum contrariorũ est quale, & aliud contrarium erit quale, & omnia clara sunt in litera.

Dubia.

CIrca supradicta autem dubitatur primo . Quia illud non est proprium alicui,quod non conuenit omni,& soli. Sed habere contrarium nõ conuenit omni qualitati, vt patet ex Arist.in textu. Nec soli,quia sic etiã substantia potest dici contraria substantiæ,vt rationale,irrationali, & vnum vbi altero vbi,vt sursum deorsum. Quod si dicatur,quod contrarietas hic sumitur proprie pro repugnantia duarum formarum, se expellentium ab eodem subiecto. Arguitur contra . Quia sic conueniret tantum primis qualitatibus .s caliditati, & frigiditati, & non medijs,quæ tamen non se patiuntur in eodem subiecto,vt flauum,& fuscum.

Secundo quia Arist.5. Phys.cap.1. affirmat non tantum extrema,sed & media extremis esse contraria. Et secundo Eth.cap.8 tradit,extrema vitiosa inter se esse contraria,& virtuti, quę stat in medio,v.g. liberalitas quę mediat inter auaritiam,& liberalitatem ijs contrariatur,

Tertio.Dubitatur, quare cum multa clara exempla habere potuisset de qualitatibus non habentibus contrarium,vt sunt forma,& figura,exempla adduxit de medijs coloribus, in quibus minus perspicue apparet illos non habere contrarium.

Pro solutione supradictorum primo notandum est,quod contrarietas non eodem modo reperitur in omnibus qualitatibus,sed primo reperitur in primis,quæ sunt tertiæ speciei, vt in caliditate, & frigiditate,quæ sunt formæ actiuę,& in humiditate,& siccitate, quæ sunt qualitates primę sed passiuæ, secundario autem reperitur contrarietas in secundis qualitatibus, ex supradictis constantibus, vt inter albedinem , & nigredinem &c.

Secundo notandum, quod aliud est affirmare in substãtia, & alijs prędicamentis esse contrarietatem, & aliud quod in eis sit per se. Primum enim non negamus, sed secundum, quia si substantia contrariatur substantię,non est ratione substantię,sed qualitatum habitarum.

Tertio notandum , quod duplex est contrarietas.Prima dicitur simpliciter, & hæc stat tantum inter extrema actiua, quorum vnum reliquum expellit a subiecto, sicut se habent albedo,& nigredo,caliditas, & frigiditas &c. Secunda dicitur secundum quid , quia contrarietas in aliquibus reperta prouenit propter aliud , quo pacto medij colores contrariantur extremis , vt magis ad vnũ extremũ accedunt,quam ad alterum, v.g. rubrũ aduersatur albo, quia magis participat de nigro, & quia Arist.loquebatur de contrarietate simpliciter , ideo etiam negauit in medijs coloribus.

Quarto animaduertendum,quod duplex est qualitas.Prima dicitur naturalis,& realis, & hæc expellit contrarium suum naturale,& reale. Se-

cun-

cunda dicitur spiritualis, & realis; proar virtus dicitur vitio contraria; & hæc expellit suum contrarium spiritualiter, cum idem nō possit simul, & in eodem tempore esse vitiosus, & virtuosus.

Ad primum & secundum patet; quod procedunt de contrarietate secundum quid.

Ad tertium dicitur, quod illa exēpla adduxit ad hoc vt sciremus contrarietatem non esse in medijs, sed in extremis.

Qualitas suscipit magis, & minus.

Tertia proprietas qualitatis est suscipere magis, & minus. In explicationem autem huius proprietatis tria facit Philosophus; Primo enim hoc probat comparando vnum ad alterum, vt magis calidum vel album, ad minus calidum, vel album. Secundo comparando idem ad seipsum, prout successiue fit magis tale, v.g. magis, vel minus calidum, vel album. Se cundo loco docet solum quale in concreto suscipere magis, & minus, non vero in abstracto ex diuerso modo significandi, & denominandi, quia nō dicimus vnam iustitiam esse magis iustitiam altera, & vnam albedinem alia albedine albior; sed recte affirmamus vnum album esse altero albius, & vnus iustus, altero iustior. Tertio declarat in omnibus qualitatib. non esse verum quod suscipiant magis, & minus, & præcipue in ijs quæ sunt de quarta specie, quia vnus circulus non est magis circulus altero, nec triangulus &c. & consequenter deducit non esse proprium qualitati omnimode, suscipere magis, & minus, vel habere contrarietatem, quia hæc non conueniunt omni qualitati.

Dubia.

Contra supradicta dubitatur primo. Quia aut qualitas suscipit magis, & minus ratione suæ essentiæ, quia v.g. vna est magis albedo altera, vel hoc est ratione subiecti, & sic non qualitas sed subiecta sunt, quæ suscipiunt magis & minus. Primum enim patet esse falsum.

Scdo, aut hæc intensio fit per additionē gradus ad gradū, aut p maiorē radicationē in subiecto. Non primū, quia nō qualitas, sed aggregatum ex illis gradibus susciperet magis, & minus. Non secundum, quia generale est omnibus accidentibus esse in subiecto.

Ad primum respondetur, qualitatem suscipere magis & minus ratione subiecti participantis ipsam, non vt subiectum est, sed vt per qualitatem qualificatur.

Ad secundum breuiter hic dicitur, quod intensio fit secundo modo, s. per maiorem radicationem in subiecto, Hoc autem tantum qualitati cōuenit, quia ipsa est forma actiua, non sic relatio, nec quātitas, &c. Non conuenit autem qualitati in abstracto, quia hæc nō significatur cum magis, & minus, sed significatur per modum substantiæ, per modum per se stantis.

Secūdum qualitatē dicimur similes, & dissimiles

Vltima proprietas qualitatis, est secundum eam dici simile, vel dissimile, quod probat Philos. quia hoc alijs generibus a qualitate non conuenit, vel si eis conuenit, conuenit ratione qualitatis, & ideo hæc erit vera proprietas conueniens omni, & soli qualitati.

Eadē res potest esse in duobus prædicamentis.

Dubitat tandem Arist. quomodo scientia, & habitus constituti sint in prædicamento ad aliquid, & etiam in hoc prędicamento, cum tamen idē non possit reponi in duobus prædicamentis. Huic autem difficultati respondet dupliciter. Primo, quod habitus, & scientia possint dupliciter considerari. Primo secundum genus, & sic sunt in prædicamento ad aliquid. Secundo secundum speciem. & sic sunt in prædicamento qualitatis,

v.g. Musica, & Grammatica, vt sunt scientiæ sunt in prædicamento ad aliquid, quia scientia dicitur scibilis scientia; non vero secūdum speciem, quia grammatica non dicitur grammaticabilis grammatica, sed dicitur scibilis grammaticabilis scientia. Secundo respondet non esse inconueniens vnum, & idem esse in diuersis prædicamentis secūdum diuersas rationes; nam non solum species, sed genus, scientiæ, & habitus, sunt in hoc prædicamento, quia bifariam considerari possunt. Primo vt qualificant subiectum, & sic sunt in hoc prædicamento. Secundo vt dicunt respectū ad obiectum scibile, & sic collocantur in prædicamento relationis.

Secundū qualitatē dicimur similes fūdamentaliter. Circa vltimam proprietatem primo venit notandum, quod secundū qualitatem dicamur similes, vel dissimiles, duobus modis potest intelligi. Primo formaliter, & sic secundum qualitatem non dicimur similes, sed secundum similitudinem, quæ est quædam relatio. Secundo fundamētaliter, & sic est verum, quia quæ habent eandem qualitatem, v.g. eandē albedinem dicuntur similes.

Dupliciter. Secundo notandum est, quod similitudo & æqualitas dupliciter sumuntur. Primo proprie, & sic dicūt conuenientiam duorum in eadem qualitate. Secundo modaliter, & sic similitudo non est nisi conuenientia duorum in aliquid simile qualitati, vt duo homines dicuntur similes in humanitate, quæ est substantia, vel duo patres in paternitate quæ est relatio. Similitudo ergo propria semper sequitur qualitatem propriam, & modalis modalem.

Tertio notādum venit circa illud, quod genera habituum sunt ad aliquid, & species qualitates hoc quidē posse bifariam intelligi. Primo secundum esse, & hoc falsum est, quia secundum id quod sunt, qualitates sūt, & entia absoluta. Secundo vt dicant relatiua secundum dici, prout significantur, & concipiuntur cum ordine ad aliud, s. ad obiectum, & sic verum est, vnde grammatica vt concipitur vt qualitas non est ad aliquid, sed prout concipitur relata ad scibile.

Dubium tamen videtur, quare cū genus dicat respectum ad obiectum simile genericum, cur etiam species .i. talis scientia v.g. musica non dicat respectum ad obiectum scibile secundum illam speciem v.g. ad obiectum musicaliter scibile, vel scibile secundum musicam. Sed respōdetur, quod scientia secundum genus duo includit .s. respectum, & significationem respectus, quia scientia dicitur scibilis scientia; at species scientię v.g. grāmatica, quamuis includat respectum ad obiectum scibile secundum grammaticam, & musica ad obiectum scibile secundum musicam, tamen in ipso nomine non significatur, quia musica significat quandam qualitatem intellectus, vnde non dicitur musica musicabilis musica &c.

LECTIO XXXIV.

De Prædicamento Actionis.

PRo explicatione prædicamenti actionis, primo venit notandum, quod quatuor concurrunt ad actionem. Primum est agens cum virtute qua agit, v.g. ignis, qui caliditate calefacit. Secundum est id quod agitur, vel fit per talem actionem agentis, v.g. ab igne aqua calefit. Tertium est id in quo agens agit, v.g. aqua in quam ignis agit. Quartum est ipsa actio, s. calefactio ipsa, vnde actio dicitur motus formæ fluentis & tendentis ad terminum, vt calefactio est tendentia calefactibilis ad calorem. Hinc elicimus actionem istam consistere in fluxu seu motu, & ideo ne- *Quatuor sunt in actione.*

cessa-

cessario esse motum physicum. Pensandum enim venit, quod agens sit in potentia ad mouendum, & passum seu mobile in potentia ad hoc vt moueatur, motus autē vtrunque actuat, constituendo mouentem in potētia, mouentem in actu, & mobile in potentia, actu motum; vnde actio, & passio materialiter conueniunt in motu, vt docet S.D.p.p.q.45.ar.12.ad secundum. & 11. Metaph. lect.9. cum Arist.3. Phys. cap. 3. sed distinguuntur formaliter, quia motus est postprædicamentum, & actio prædicamentum, neque agens vt agens est mouetur, sed mouet. Ad hanc autem actionem sequitur quædam relatio secundum dici, quæ respicit agens vt eum in actu constituit, & ab eo actio producitur, & respicit passum, vt inquem effectum producit.

Habeas tamen, quod relatio agentis & passi bifariam considerari potest. Primo vt fundatur in potentia actiua, & passiua eiusdem ordinis, & sic inter hæc cadit relatio realis, quia relatio producentis & producti eiusdem ordinis, realis est, vt supra explicatum fuit. Secundo consideratur prout motum consequitur, vt est ab hoc, in hoc, & sic dicitur relatio secū dum dici, cum primo denominet formam absolutam, & consequenter respectum. Actio autem fundamentaliter, & radicaliter a principijs specificatur, prout sunt apta hoc vel illud producere, sed formaliter specificatur ex fine, quia ipse est terminus terminans, & complens actionem.

Actio dupliciter sumitur. Secundo notandum, quod actio bifariam sumi potest. Primò proprie prout dicitur forma accidentalis, secundum quam agens dicitur agere in passum actione, quæ est motus. Secundo communiter, pro quacunque actione, & emanatione, prout dicit quamcunque processionem alicuius ab aliquo. Secundo modo non constituit prædicamentum actionis. Primo, quia sic cōprehēdit creationem, quæ cum sit Deus ipso;& infinita, nō potest in prædicamento collocari. Secundo quia actiones immanentes sūt veræ actiones, sed non de hoc prædicamento cum non sit cum motu, qui est actus imperfecti, vnde sunt de prædicamento qualitatis, vt expresse docet S.D. in primo d.8.q.4.ar.3.ad.3. Nam propria actio est quid superius ad propriam actionem, quæ est prædicamentum, quapropter actio, quæ est prędicamentum, solum illas actiones comprehendit, quæ sunt cum motu, qui est actus imperfecti, & ita locutus est de ea Arist. 3. Phys. dum eam ibi identificat cum motu physico. Tertio, quia multę sunt emanationes, quæ non sunt veræ actiones, vt patet de passionibus quæ emanant a subiecto, non media actione, sed naturali sequela. Primo ergo modo sumitur, s. prout dicit motum physicū, communiter tamen sumptum, i. vt etiam comprehendit generationem, & corruptionem, quæ sunt cum mutatione naturali, & physica. Nam vel le asserere generationem & corruptionem esse de prædicamento substantiæ (vt asseruit Franciscus Suarez dis.48. sec.vlt.suæ Metaph.) est loqui de generatione, & corruptione sumptis pro terminis, & non de eis vt sūt actiones agentis creati accidentales; nam in solo Deo actio est eius substātia. Dicendum est ergo, quod datur actio prædicamentalis, & hæc cum motu physico est proprie, vel communiter sumpto, ideo.

Tertio notādum venit, quod multæ assignatur species actionis. Nam quædam vocantur actiones immanētes, quia manent in agente, vt intelligere, velle, & sentire. Quædam vero dicuntur transeuntes, quia transeunt in exteriorem materiam, vt dolare, vrere, & similes. Item aliquæ dicuntur *Multiplex est.*

tur

tur actiones corporis, quia .s. illarũ principium est corpus, vel quia fluũt a corpore, qualis est calefactio ignis, & tractio magnetis in inanimatis, & virtus herbarum,& actio partiũ animalis in animatis, vnde hæ actiones corporales possunt diuidi in actionẽ elementorum, vt in actionẽ ignis, aeris terræ,& aquæ, & in actionẽ mixtorum inanimatorũ, vt est actio magnetis, & in actionem animatorum, non tamẽ vt sunt animata, vt in actio nem herbarum,& plantarum. Aliæ vero dicuntur actiones animæ cuius principium est anima, vel aliqua substantia immaterialis, vt Angelus,& hæ sunt in quadruplici differentia. Nam quædam procedunt ab anima, vt est intellectiua,& volitiua, vt intelligere, & amare; & quædam ab ea procedunt, vt est sensitiua, vt immaginari, sentire, &c.& quædam vt est vegetatiua, vt augere, nutrire, & generare,& quædam vt est motiua, Et hæc duplex est. Vna quæ transit exterius ad locum, vt ambulare,& natare, & alia quæ transit in aliud corpus, vt percussio, & operatio omniũ artium. Cum tot igitur sint actiones, & multæ diuersæ, ideo actio vt sic sumpta poterit esse transcendentalis, & secundum diuersitatem actionum reperiri in diuersis prædicamentis, vnde sola actio cum motu physico erit illa quæ constituit hoc prædicamentum. Sed.

Actio est forma fluens

Quarto notandum venit, quod Scotus in tertio d.p.q.p. & in quarto d.13.q.p. sustinet, sex vltima prædicamenta,& singulariter actionem dicere,& esse relationem extrinsecus aduenientem, i. quæ non ponitur cum ijs quæ hanc relationem fundant, v. g. ego sum, & hæc carta est, nec tamen dum hæc fuerunt, ego in carta ista scripsi, sed tantum modo scribo, & ideo nunc aduenit huic cartæ hic respectus scribẽtis ad rem scriptam. Sed hæc sent. primo est contra Arist. 3.Phys. vbi actionem vocat motum, & non relationem. Secundo, quia actio influit in passum, & in eo aliquã formam, vel aliquam qualitatem producit, relatio autem non est actiua.

Secunda igitur sententia fuit Suarez dis.48. sec.p.n.15.&c. suæ Metaph. s. quod actio sit dependentia quam habet effectus a sua causa efficienti, cũ sit quid medium inter agentem, & rem actam, per quod agens ad terminum reducitur. Sed hic modus dicendi primo pugnat cum Arist. dicente 3.Phys. actionem esse motum, prout ab agente procedit; motus autem nõ est dependẽtia. Secundo quia dependentia est quoddam cõsequens actionem, non vero est ipsa actio, cũ actio sit res,& dependentia modus. Tertio, quia dependentia potius passioni conuenit quam actioni, cum passio ab actione pendeat, magis quam e contra.

Tertia igitur sententia, iuxta supradicta est, quod actio est forma fluens, secundum quam agens denominatur agere in passum. Dicitur forma distincta a potentia agentis, quia potentia est prior ista forma, non est autem forma in facto esse, sed in fieri, v.g. actio calefactionis non est potentia calefactiua, nec calor per calefactionem productus, sed est forma caloris, stans in motu physico, qui dicitur calefactio, ad quam calefactionẽ sequitur relatio actionis ad passum, & hæc diffinitio consentit cum illa Gilberti Porretani, qui de sex vltimis prædicamentis egit in supplemẽtum Aristotelis.

Generaliter sumitur.

Quinto tamen notandum venit, quod actio proprie sumpta dupliciter sumi potest. Primo generaliter, vt comprehendit actionem, & factionem,& sic de ea locuti sumus. Secundo strictius, vt distinguitur contra factionem, quia actio non transit in ma

teriam

teriam exteriorem, & factio sic, quia ex ea sequitur aliqua res operata, & sic de ea non tantum loquimur.

Eius diffinitio explicatur. Sexto notandum, quod diffinitio actionis non est data per causam, sed per effectum .s. per ipsum agere, in qua loco generis subintelligitur φ sit forma accidentalis, & aliæ particulæ ponuntur ad differentiam aliorum prædicamentorum, & singulariter passionis.

Proprietates actionis. Septimo notandum venit actioné habere vnam proprietatem, & duas communitates. Proprietas est ex se inferre passionem, & hoc conuenit omni, & soli actioni. Prima vero communitas est recipere contrarietatem, & tertia suscipere magis, & minus; sed hæ duæ contrarietates non conueniunt actioni vt sic, sed quatenus actio importat formam alteri formæ contrariam, suscipientem magis, & minus per maiorem radicationem in subiecto.

Contra supradicta arguitur quod creatio est actio, & tamen non fit in id quod ei subijcitur, cum creationi nihil subijciatur, cum sit ex nihilo. Respondetur tamen duplicem esse creationem. Prima dicitur actiua, & hæc est potentia & essentia diuina, quæ non ponuntur in prædicamento; altera dicitur passiua, & hæc est relatio creaturæ ad creatorem, quæ ponitur in prædicamento.

LECTIO XXXV.

De Prædicamento Passionis.

Passio quid sit. PAssio dicitur forma fluens, subiecto adueniens, & ab actione illata. Primo igitur dicitur forma, intellige accidentalis, & fluens, quia in motu stant actio, & passio, quia dum res est in termino, nec agit, nec patitur, sed solum quando est in motu, & fieri. Secundo dicitur adueniens subiecto, ad differentiam substantiæ, quæ subiecto non aduenit, sed per se subsistit, & ad differentiam relationis, quæ non intelligitur aduenire subiecto, sed termino, vnde male illi diffinierunt passionem dicendo, passio est relatio patientis ad agens; nã nihil diffinitur per id quod aduenit enti in esse constituto, & ipsum non constituit, actio autem est forma accidentalis fluens; & consequenter quoddam absolutum. Quod autem actio dicat relationem bifariam considerari potest. Primo in ordine ad qualitatem, & sic dicitur eius effectus, cũ ab ipsa causetur. Secundo in ordine ad passionem quia eã infert, v.g. actio calefactionis infert calefieri, & sic dicitur eius causa, vnde inter actionem & passionem oritur relatio causæ & effectus. Sed scito duplicem esse effectum. Primus dicitur permanens, quia manet in fieri, & in facto esse. Secundus dicitur successiuus, quia tantum manet in fieri, & hoc secũdo modo passio dicitur effectus passionis, idest vt sunt in motu, vt patet in calefactione, calor vero calefactione productus dicitur esse terminus actionis, & status passionis.

Differtiã quatuor primis prædicamentis. Secundo notandum discrimen esse inter quatuor priora prædicamenta & sex vltima; quod quatuor priora non fundantur in istis vltimis, sed ista vltima fundantur in quatuor primis, nam actio & passio dicunt formas fluentes, quæ sunt de prædicamento qualitatis &c. Ita quando fundatur in tempore, quod spectat ad quantitatem, ita vbi, &c Hoc autem prouenit, quia ista prædicamenta possunt habere duplex fundamentum, s. substantiam, vt fundamentum remotũ, quod tria alia prædicamenta eam habent vt proximum, & hæc tria prædicamenta fiunt proximum fundamentum, sex posteriorum prædicamentorum.

Dupliciter consideratur. Tertio notandum venit, quod actio, passio, quando, &c. duobus modis considerari possunt. Primo secundum id quod sunt, & ita actio, & passio sunt forma fluens, quando, & vbi quantitates, & habitus formaliter relatio. Secundo vt sunt mensuræ aliorum, vel causæ, vel effectus, & sic distinguuntur in prædicamenta per se, quia v.g. quando, mensurat ea quæ sunt in tempore, & vbi, quæ sunt in loco &c.

Immo multipliciter. Quarto notandum est, quod passio multis modis sumitur. Primo sumitur pro accidente proprio, vt risibilitas dicitur propria passio hominis. Secundo pro signo conceptus animæ, & sic voces dicuntur passiones mentis. Tertio pro motu sensus, vel ad iram, vel ad odium, vel ad aliam passionem. Quarto pro pęna alicui illata, & pro passione corruptiua. Quinto pro qualitate imperfecta ab actione illata, siue sit nociua, siue proficua, & sic sumitur hic.

Notandum. Quinto notandum, quod actio nō semper nomine actiuo significatur: Ideo scito, quod aliud est loqui de nominibus, & verbis grammaticaliter, & aliud philosophice. Nam grammatice, videre, audire, intelligere, &c. sunt actiua, & secundum Philosoph. sunt passiua, vnde intelligere, & sentire, dicuntur pati, quia intelligendo, & sentiendo intellectus, & sensus recipiunt obiecta. E contra vero vapulo, fio &c. secundum grammaticum habent vocem passiuam, & secundum Philos. actiuam, quoniā significant actionem, & ita quædam verba significant substantiam, vel aliquid substantiæ, vt sum, & subsisto, quæ significant existentiam, vel subsistentiam, & ideo semper respiciendum erit ad significatum.

Proprietates passionis. Sexto notandum venit duas esse proprietates passionis. Prima est, quod passio inferatur ex actione. Secunda est, quod sit in patiente subiectiue. Actio vero dupliciter sumi potest. Primo pro forma fluente, & sic dicitur esse in patiente eam recipiente, Secundo pro quadam perfectione fundata in virtute, & potentia agentis, & sic ponitur in agente, vnde eum denominat. Species autem, & proprietates passionis semper sunt cum motu physico, vt supradictum est de actione.

Diuisio. Septimo notandum venit passionem diuidi in passionem corporis, & passionem animæ. Passio corporis est, quæ recipitur ratione corporis in subiecto, & passio animæ, quæ recipitur in subiecto ratione animæ, vt tristari, & gaudere. Hæ autem sunt vndecim. Sex pertinent ad concupiscibilem .s. amor, odium, desideriū, seu concupiscentia, fuga, seu abhominatio, delectatio, vel gaudium, dolor, vel tristitia. Quinque vero sunt in irascibili .s. spes, desperatio, amor, audacia, & ira, secundum diuersas rationes.

Dubia.

Sed dubitatur circa supradicta. Primo, quia decē prædicamenta dicūtur decem prima principia. Ergo passio non poterit esse effectus actionis.

Secundo. Quæ sunt idem realiter, vnum non est causa alterius. At actio & passio dicuntur vnus motus realiter. Ergo.

Sed ad primum dicitur, quod prædicamenta sint prima principia stat dupliciter. Primo effectiue, & hoc est falsum, quia actio causat passionem Secundo formaliter ratione suarum passionum, & suæ coordinationis, & sic est verum, & hoc modo passio est principium suarum proprietatū &c.

Ad secundum pro nunc dicimus sufficere ad distinctionem prædicamentorum diuersos respectus reales, in ea-

in eadem re fundatos, v.g. in motu, & ita actio dicit respectum realem vt a quo est motus,& passio vt in quo est motus,& ideo distinguuntur realiter formaliter. Nam motus est post prædicamentum, & ideo non potest esse species prædicamenti. Quare motus dicit solum actum imperfectum mobilis, at actio dicit motum agentis in passum, & passio motum receptum in passo,quapropter distinguũtur formaliter causaliter.

LECTIO XXXVI.

De Prædicamento Quando.

Quando definitio. SEptimum prædicamentum in ordine ponitur quando,quod a Gilberto sic diffinitur. Quando est,quod ex adiacentia temporis, in re temporali relinquitur,vt hodie esse, & cras fore. In hac autem diffinitione ly quod stat pro genere, idest est de numero prædicamentorum accidentalium. Ly vero ex adiacentia temporis &c. ponitur ad significandam propriã causam quando,quia quando causatur ex tempore. Et ly in re temporali, ponitur ad hoc vt habeamus propriũ subiectum quando. Tempus ergo bifariam considerari potest. Primo vt est mensura successiua,& sic pertinet ad prædicamentum quantitatis. Secundo vt mensurat substantiam, vel eius modum,& operationem, & sic constituit prædicamentum quando, iuxta ea quæ tradit S.D. Opusc.48. tract. de vlt. prædic. cap.1.& 2.

Quid sit tẽpus,&c. Primo autem venit notandum circa hoc prædicamentum quid sit tempus,quid sit esse in tempore, & quid sit illud quod relinquitur ex eo quod aliquid est in tempore. Tempus igitur est mensura successiua prioris,& posterioris in motu, & hæc mensura se extendit ad esse successiuum corruptibile, & etiam ad operationes habentes principium,medium,& finẽ. Esse vero in tempore est esse sub variatione, & fluxu. Relinqui vero ab adiacentia temporis non est nisi denominari a tempore fluente,& mensurante. Ergo dicendum venit contra Suarez disp.55. quod quando nõ est duratio,sed est sub duratione,vnde duratio est modus rei,& non prædicamentum, nisi pro duratione velimus tempus accipere, sed & tunc dicendum erit, quod quando non sit tempus,sed esse in tempore, & ita nõ erit duratio,sed esse in duratione.

Tempus & quãdo differunt. Tertio igitur notandum est, quod tempus & quando differunt sicut causa,& effectus, quia quando causatur ex tempore, prout in tempore consideramus eius differentias .s. pręsens, præteritum,& futurum. Sed etiam differunt inter se. Primo,quia tempus subiectatur in motu primi mobilis, sed quando subiectatur in re temporali,quæ tempore mensuratur. Secundo, quia tempus est accidens absolutum, & quantum secundum se consideratum,at quando formaliter est accidens respectiuum, sumptum secundum ordinem ad tempus, tanquam ad propriam mensuram. Capitur autem quando hic indiffinite, vt idem sonat,quod aliquando. Ita quidam distinguunt quando in quando simplex,quod tempore simplici .i. in nunc causatur, & in quando compositum,quod est,vel fit in tempore pręsenti,uel futuro, &c

Quando extẽditur ad æternitatẽ, &c. Quarto notandum venit,quod huiusmodi diffinitio quando æternitati conueniat, stat dupliciter. Primo formaliter,& sic falsum,quia sic tantum est mensura diuini esse, & omnino inuariabilis. Secundo uirtualiter,seu quo ad coexistentiam, & sic in ea potest dari præsens,præteritum, & futurum coexistenter,& consequenter hęc diffinitio potest extendi ad quãcunque durationem. Ponũt etiam aliqui

prędicamentum quando mensurare motum discretum Angelorum, cum hic motus sit finitus. Sed verius est secundum doctrinam Thomisticā, quod solum ea, quę mēsurantur motu primi mobilis, proprie sunt in prędicamento quando, reductiue tamen & extensiue potest quando etiā extendi ad mensuram mensurantem operationem discretam Angeli.

Genera et species quando. Quinto notādum venit, quod genera, & species quando, desumendę sunt ex ordine ad partes principales temporis, vt esse in pręterito, pręsenti, & futuro, sub quibus dātur diuersę species temporis, diuersas denominationes facientes, ut hodie, heri, mane, meridie, sero, &c.

Proprietates. Sexto notandum venit, quod proprietates quando tres sunt. Prima est non habere contrarium. Hoc autem bifariam potest intelligi. Primo ratione sui, & sic verum est, quod pręsens vt quando, non contrariatur futuro, ut quando est. Secundo ratione rerum existentium in tempore, & sic in eo potest esse contrarietas, quia hodie potui esse inquietus, & cras potero esse quietus. Secunda proprietas quando est nō suscipere magis & minus., & tertia tantum denominare corruptibilia, quia in his tantum reperitur fuisse, esse, & fore.

Dubia.

Contra supradicta arguitur primo, quia senectus, & iuuentus relinquuntur ex adiacentia temporis, & tamen non sunt quando, sed qualitates de secunda specie.

Secundo. Pręteritum, præsens, & futurum mutuo se expellunt. Igitur contraria sunt.

Tertio fuisse in tempore, quando est, & magis, & minus suscipit, quia aliquid dicitur magis fuisse in tempore, si per triginta annos in eo fuit, quā si per viginti tantum.

Ad primum dicendum, quod iuuentus, & senectus dupliciter considerari possunt. Primo vt iuuentus importat naturalem potentiam, & senectus naturalem impotentiam ad aliquid agendum. Secundo vt significant, vel fuisse, vel esse, vel fore. Primo modo spectant ad secundam speciem qualitatis, & secundo modo ad hoc prædicamentum.

Ad secundum dicendum, quod præteritum, præsens, & futurum se expellant non prouenit ex eorum contrarietate, cum in vno subiecto reperiantur, sed venit ex eorum successione, quia præteritum amplius non est, præsens est, & futurum erit.

Ad tertium dicendum, quod tempus suscipiat magis & minus stat dupliciter. Primo extensiue, & sic est verum, vt probat argumentum. Secundo intensiue, & secundum se, & hoc est falsum.

LECTIO XXXVII.

De Prædicamento Vbi.

Vbi a Gilberto Porretano diffinitur, quod sit circumscriptio corporis, ex circumscriptione loci proueniens. In qua diffinitione loco generis ponitur ly circumscriptio; & ly corporis ponitur ad significandum proprium subiectum vbi, quod est corpus; nam incorporalia secundum Boetium non sunt in loco circunscriptiue, & ideo nihil est eis cōmune, & corpori, nisi aequiuoca ratio, vel analoga proportionalitatis, quia sicut corpora sunt in loco per quantitatem circumscriptiue, ita Angeli sunt in loco per operationem diffinitiue. Habent enim & ipsi determinatam sphæram suæ actiuitatis, quia solus Deus dicitur esse in loco per immensitatem, quia .s. vbique est, nec tamen ali- *Vbi quid sit.*

quo loco conclusus.

Quid sit locus, & vbi. Circa hæc autem primo venit notandum, quid sit locus, quia ex notitia huius, pendet notitia vbi. Locus ergo secundum Arist. 4. Phys. est superficies corporis continentis, immobilis primo. Dicitur superficies, quia ambit, & circundat totum locatum, vel actualiter, vel virtualiter, vel per totum, vel per partes & ex hoc locatum dicitur esse hic, & non alibi. Insuper facit quod vbi totum est, ibi pars non sit, intellige adequate, inadequate vtique, & facit quod ibi aliud corpus esse non possit. Circumscribere igitur est circundare, & ambire corpus, & hæc dicitur circumscriptio actiua, sicut corpus circundatum a superficie dicitur circumscriptum, & circundatum passiue; quapropter esse in vbi non est nisi a loco circumscribi.

Differũt. Secundo notandum venit, quod locus, & vbi distinguuntur. Primo quidem sicut causa, & effectus, quia vbi causatur a loco. Secundo, quia locus subiectiue est in locante, & vbi in corpore locato. Tertio, quia locus est causa formalis extrinseca, & extrinseca mensura locati, vbi vero dicit accidens absolutum, connotatiue cõnorans respectum ad suam mensurã .s. ad esse in loco vel mensurari a loco. Ideo dicimus vbi esse proportionem, & commensurationem locati ad locum intrinsece, quamuis extrinsece dicatur a loco, sicut vestitus dicitur a veste vt docuit S.D. in 4.d.16. q 3. art. 5. quæstiun. prima & Vndecimo Metaph. lectione 11. & tertio Phys. lect. 5.

Vbi conditiones. Tertio notandum quod ad hoc vt aliquid dicatur esse in vbi. Primo requiritur, quod ibi sit circumscriptiue, & ideo nec Deus, nec Angelus ꝓprie dicuntur esse in loco, quia non cõtinentur a loco, sed continent locũ & ideo vbi Angelorum non erit nisi applicatio virtutis eorum ad aliquẽ locum, ad ibi aliquid operandum. Secundo requiritur quod ibi sit, quod non alibi, propter quam rationem Christus Dominus noster non dicitur esse in hostia tanquam in loco, quia non est tantum in vna hostia, sed in omnibus hostijs, vnde in his dicitur esse tamquam in sacramento. Tertio requiritur, quod corpus locatum sit sensibile, quia tale tantum tangitur a corpore sensibili .s. ab aere circumstante. Correlatie autem hic deducite. Primo quod prędicamentum vbi, est quid reale, cum sit modus entis, inter decem connumeratus ab Arist. 5. Metaph. & quia est terminus motus localis, qui cum sit quid reale, habet terminum realẽ. Secundo deducitur, quod vbi diuiditur a loco, quia varia vbi variant loca, & vno vbi deperdito, aliud acquiritur. Tertio deducitur, quod cum relatio non sit terminus motus, ex Arist. 5. phys. & vbi sit terminus motus, ideo non erit relatio, sed accidens absolutum inhærens rei locatæ, seu vbi caret a mobili, dicit tamen respectum cõnotatiue, propter commensurationem, quam dicit vt supra.

Proprietates vbi. Tertio notandum, quod proprietates vbi sunt. Prima non habere contrarium, & secunda nõ suscipere magis, & minus. Intellige secundum se. Esse vero in loco diuiditur per esse in loco diffinitiue, & circumscriptiue, vel tanquam in loco proprio .s. vni soli, vel sicut in loco communi, sicut esse in hac Ciuitate Venetiarum, vel p se, vt corpus, vel per aliud, sicut punctum, & linea dicuntur esse in loco per superficiem.

Species. Quinto notandum, quod species vbi sunt. Ante, retro, deorsum, sursum, & hoc per comparationem formalem ad polos mundi, & centrum terræ, sicut species positionis, seu situs sunt diuersi modi, secundum quos

partes

partes sunt in loco, vt esse in loco eque, vel non, flexe, vel non, recte vel oblique, sub quibus sunt iacere, cubare, stare, sedere, & similes.

De Positione.

POsitio est quidam partium situs, & generationis ordinatio, & ideo erit relatio non secundum esse, sed secundum dici. Animaduertendum est autem quod duplex est positio. Prima importat ordinem partiũ in toto, secundum quod vna est prior altera. Alia vero importat ordinem partium in loco, & hæc Situs dicitur in concreto, & Positio in abstracto, & hæc est quæ hic diffinitur, & ab vbi distinguitur, quia quamuis in vna eademque re fundentur, tamen secundum diuersas entitates in esse diuiduntur, nam Vbi dicit circumscriptionem vt supra.

De Prædicamento Habitus.

HAbitus dicitur corporum, & eorum quæ circa corpus sunt adiacentia, vt vestium, armorũ &c. nã hęc non dicuntur proprie habitus, nisi ex adiacẽtia corporum, & ideo habere nec est corpus, nec adiacentia, seu vestis, sed est adiacientia alicuius cooperientis circa corpus.

LECTIO XXXVIII.

De Postprædicamentis.

Postprædicamenta sunt quinque. NOtitiam prædicamentorum in tres partes principales diximus esse diuisam, s. in notitiam antepræ dicamentorum, prædicamentorum, & postprædicamentorum, ideo postquam diximus de duobus primis, restat vt de tertio, i. de postprædicamẽtis modo agamus. Hæc autem quinque sunt, s. oppositio, prius, simul, motus, & habere. Tria autem prima sunt in omni prædicamento, quia quodlibet prædicamentum per oppositas differentias, vel modos diuiditur, & in eo sunt aliqua priora, & aliqua posteriora, & quædam simul tẽpore, & quædam non. Motus vero dupliciter considerari potest. Primo per se, si communiter sumatur, & sic est in quatuor prædicamentis, s. in substantia, quantitate, qualitate, & vbi. Secundo per accidens, & sic potest esse in omnibus prædicamentis. Habere vero dicitur de substantia in ordine ad alia prædicamenta.

Incipit ergo agere de oppositis. Primo tractando de singulis oppositis. Secundo ostendẽdo differentiam inter ipsa, & tertio redeundo ad naturam contrariorum. Primo ergo proponit, quod quadrupliciter aliqua dicuntur opponi, s. contradictorie, vt opponuntur ens, & non ens, Secundo contrarie, vt calidum, & frigidum. Tertio priuatiue, vt cecitas, & visus, & quarto relatiue, vt duplum & dimidium. Hæc autem diuisio est æquiuoci in sua æquiuocata, quia relatiue opposita, æquiuoce opposita dicuntur, vt infra patebit, & constat ex ipsa diuisione primo loco posita; nam multiplicia prius diuiduntur, antequam diffiniantur. *Oppositio quadruplex.*

Primo autem notandum venit circa ista, quod sufficientia oppositorũ sic habetur. Omnis oppositio vel est inter ens, & non ens, aut inter entia. Si primum, vel erit oppositio inter ens, & non ens omnino, & sic erit contradictio, vel inter ens, & nõ ens in tali subiecto, & sic erit oppositio priuatiua. Si secundum, vel erit inter entia mutuo se expellentia ab eodem subiecto, & sic erit contrarietas. Vel erit inter entia adinuicem contraposita, & sic erit oppositio relatiua. *Sufficientia.*

Secundo notandum venit, quod ordo harum oppositionum dupliciter *Ordo.*

ter considerari potest. Primo in latitudine oppositionis, i. inquantum aliqua magis sunt opposita,& minus conuenientia,& sic prima oppositio erit contradictoria, in qua extrema in nullo conueniunt. Secunda erit priuatiua, cuius extrema formaliter in nullo concurrunt, sed subiectiue vtique,quia vtrunque subiectum respicit.Tertia erit contrarietas,quorũ vnum contrariorum alterum expellit. Quarta erit relatiua,cuius extrema in genere conueniunt,nec mutuo se expellunt, vnde dicuntur tantum contraria,quia sunt contra se posita. Secũdo potest considerari in genere entium, & sic erit econuerso, quia quantò magis in genere oppositionis aliqua sibi primum locum vendicãt, ita in genere entis vltimum sibi acquirunt, quia contrarietas in genere malorum ponitur.

Relatiue opposita quæ sint. In secunda parte principali huius capituli,quæ incipit ibi. (Quæcumq; igitur ut relatiua &c.) Incipit Arist. ponere differentiam inter opposita, & explicare singulas oppositorum species. Primo ergo agit de relatiue oppositis dicendo, quod relatiue opposita sic opponuntur ,ut ipsa quæ sunt, oppositorum dicuntur, aut quo modolibet aliter ad ea, ut duplum opponitur relatiue dimidio,Pater filio,& Dominus seruo.Est autem notandum quod hæc oppositio duobus modis exponitur. Primus est, quod hæc dicantur opposita,quia simul nõ se compatiuntur in eodem, respectu eiusdem,quia u.g.impossibile est idẽ, sm idẽ, esse patrẽ, & filiũ.Scdus est, quod unum relatiuorum dicatur opponi relatiue ad alterum, quia contra se ponuntur,ut pater ponitur cõtra filium, & duplum contra dimidium, & utraque expositio stare potest; nam relatiue opposita dupliciter considerari possunt. Primo ut de contradictione participant,quia unũ non est alterum, v.g. pater non est filius. Secundo vt formaliter opponuntur, & sic contra se distinguuntur, quia pater dicitur ad filium oppositiue. Primo modo loquitur prima opinio, quia sic non possunt esse in eodem, cum participent naturam contradictoriorum. Secundo vero modo loquitur secunda opinio, & hæc est verior, vt formalior.

Cõtrarie opposita quæ sint. Secundo loco agit Arist. de contrarie oppositis ibi. (Illa vero quæ sunt vt contraria) &c.& eis attribuit tres conditiones. Prima est,quod sint entia, & per hanc conueniunt cum relatiue oppositis, & differunt ab oppositis priuatiue, & contradictorie, quorum vnum membrum non est ens. Secunda,quod non sint entia ad se inuicem respectiua,& sic differunt a relatiue oppositis. Tertia est,quod dicantur ad se inuicem contraria, & sic distinguuntur a disparatis, quæ inter se sunt distincta,vt albedo,& dulcedo,sed non dicuntur ad se inuicem contraria, quia talia dicuntur per duas rationes formales incompossibiles.

Quomodo se respiciãt. Notandum est autem primo elicitiue ex textu, quod opposita contrarie ut contraria sunt, secundum aliquid non se respiciunt,& ut relatiua vtique. Intellige autem contraria esse relatiua non secundum esse, nec secundum dici,quia talia sunt relatiua per se, & formaliter significata per nomina relatiua, quapropter dicuntur relatiua per accidens, prout .s. adiunguntur contrarijs, quia v. g. Sortes non refertur ad filium, ut Sortes, uel ut albus,sed ut pater.

Et diuidãtur. Secundo notandum uenit, quod Phylos. ulterius diuidit contraria in immediata,& mediata. Immediata sunt illa,quæ nullum habent mediũ, ut lãguor,& sanitas in naturalibus,& par,& impar i mathematicis. Mediata uero illa dicuntur, inter quæ cadit medium,

edium, u.g. inter album,& nigrū dit fuscum. Vlterius subdiuidit ontraria mediata,in mediata,quorū edia sunt nominata, ut inter albū, nigrum cadunt colores medij sic ominati, s. color fuscus, pallidus, roceus &c. & in contraria quæ non habent media nominata, ut inter prauum,& studiosum non datur mediū nominatum, unde ipsum circumloquimur per negationem utriusque extremi, dicendo nec prauum, nec studiosum.

Circa supradicta autem primo obseruandum uenit,quod medium duplex est. Primum dicitur per participationem, quia participat naturam utriusque extremi, ut pallidum participat de natura albi,& nigri. Secundum dicitur per abnegationem,quia negat naturam utriusque extremi, uel simpliciter prout lapis dicitur lapis, & non prauus,neque studiosus, uel secundum tempus,prout puer,neque est praus,neque studiosus, uel secundum partem,ut homo secundum corpus neque est praus,neque studiosus. Medium autem per abnegationem inter omnia cōtraria inuenitur, non sic autem medium per participationem.

Quid sit immediatum. Secundo notādum est,quod aliud est contraria esse immediata,& aliud esse indiuisibilia. Primum enim motum non tollit,quia nō subtrahit terminum a quo,& ad quem. Secundū autem motum tollit,quia tantum diuisibile,& successiuum potest esse sub motu.

Tertio notandum est Arist. posuisse hic prætërquam in homine prauū & studiosum, sequendo in hoc opinionem Platonicorum, vel loquendo secundum eorum placita, quoniā hi omnes deos bonos fecerunt,demones vero quosdam bonos esse voluerunt,& quosdam malos, quos Cacodemones nominauerunt. Deos autē intellexerunt substantias intellectuales,supra globum lunæ existentes,& Demones quasdam substantias sub eo discurrentes.

LECTIO XXXIX.

Postquam Philos. egit de contrarie oppositis. Tertio loco de priuatiue oppositis determinat, & hoc quatuor faciendo. Primo ergo describit quid sit priuatio,& quid habitus dicendo,quod ea sunt,quæ circa idem apta nata sunt fieri, ordinate. *Priuatio quid sit.*

Circa hoc autem primo notandū venit,quod priuatio pro nunc dupliciter sumi potest. Primo pro negatione formæ, in subiecto apto nato habere illam, & sic tenebræ dicūtur priuatio lucis,& ignorantia scientiæ. Secundo pro negatione formæ in subiecto, sed ordine irregressibili apto nato habere illam, vt mors dicit̃ priuatio vitæ;& in hac priuatione non datur regressus, & in prima sic, & ideo de hac secunda loquutus est Philosophus. *Duplex est.*

Secundo notandum est, quod quāuis Arist. expresse non dixerit supradictam priuationem esse negationē, tamen hoc subintellexit, quia duo quæ in eodem subiecto successiue & positiue esse possunt, contraria sunt, & non priuatiue opposita, vnde per hoc a contrarijs distinguuntur, quia important priuationem. *Qualis sit*

Tertio notandum venit,quod duplex est genus priuationum. Nam quædam immediate respiciunt subiectum,secundum habitum, cui opponuntur,vt tenebra luci, & ignorantia scientię.Aliæ vero sunt,quæ immediatum ordinem ad subiectum non habent, sed ipsum mediante habitu respiciunt,vt mors non respicit viuentem, nisi mediante vita, nec cæcitas videntem,nisi mediante visu. A primis fit regressio, vnde regressibiles dicuntur, *Duplex genus priuationū.*

cuntur, nam aer tenebrosus, ex presentia solis fit clarus, & eius absentia tenebrosus. Secundę vero irregressibiles nominantur, quia a talibus priuationibus ad habitus non datur regressus. Hic autem ordo dicitur generationis, quia generatio prius terminatur ad habitum v.g. ad visum, in eo qui eum habuit, vel ad eius generationem, in eo qui impeditus fuit ne illum haberet; nam verum est ꝙ prius quis non est cecus quam generatio visus fuerit ordinata ad visum, cuius cæcitas dicitur priuatio.

Priuari quid sit. Secundo loco Philos. describit q̄d sit priuari dicendo. Priuari est susceptibile habitus ipsum non habere ex quib. verbis annuit tres conditiones necessarias ad priuari. Prima est, quod subiectum sit susceptiuum habitus, & huius defectu lapis non dicitur cecus, cum non sit susceptius visionis Secunda est quod habear, vel possit habere illum habitum, aliter eo non dicetur priuatus. Tertia est quod nullo modo habeat ipsum secundum tempus, propterea catulus ante nonum diem non dicitur cecus, quia ante octauum diem non est aptus natus habere visum, Nec secundum locum, quia aer in Cauernis existens non dicitur tenebrosus ex priuatione lucis, q̄a ibi lux non est apta esse, sed dicitur tenebrosus ex loco. Nec secundum partem, quia homo non dicitur cecus secundum aures, quia per aures non videt, Nec secundum quantitatem, quia homo non dicitur cecus, quia non habet tantū accumen visus sicut habet Aquila, nec generaliter secundum quam cūque circunstantiam, vt ait Arist. in textu.

Quomodo differat a priuatione. Tertio loco ostendit nō esse idem priuationem, & priuari, habitum, & habere habitum. Hoc probat. Ea quę sunt idem, de eodem prædicantur. Sed priuatio, & priuari, habitus, & habere habitum, de eodem non prædicantur, quia cæcitas aliud est ab esse cecum, & aliud est visus, & habere visum. Ideo dicimus priuationem & priuari dupliciter distingui. Primo sicut denominatiuum, & res denominata, quia a cæcitate dicitur cecus. Scdo s̄m rem significatam, quia vnū est alterius fundamentum, & causa, quia propter cæcitatem quis dicitur cecus.

Quarto loco tradit quod quamuis habere habitum, & priuari non sint idem inter se, vna tamen tantū oppositione specifica opponuntur, quia non solum cæcitas, sed & cecum esse vno modo opponuntur visui, & videre.

Quinto loco principali huius partis secundæ agit Philos. de oppositis contradictorie primo ipsa distinguendo, & secundo loco ostendēdo, quod cum eorum distinctione manet vnitas oppositionis. Non describit autē ista, quia affirmatio, & negatio huius oppositionis constitutiua, notissima sunt. Ait ergo, quod in oppositis contradictorie duo sunt ex parte vtriusque extremi. Ex parte ergo affirmationis primum est affirmatio, quę stat vt signum rei affirmatæ. Secundum est res affirmata, vt Sortes sedens; Ex altera vero parte primum est affirmatio coniunctionis v.g. sessionis cum Sorte, & secundum est Sortes de quo sessio affirmatur. Idem dicimus de negatione, nam primum in ea est negatio, & secundum est res de qua est negatio.

Comparat deinde supradictas oppositiones adinuicem, & deinde eas separat. Primo ergo separat oppositionem priuatiuam a relatiua. Secundo eam separat a contraria, & tertio contradictoriam a cæteris. Duplicitet ergo probat oppositionem relatiuam, & priuatiuam, non esse idem, & primo sic. Relatiua secun-

dum hoc ipsum quod sunt aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum, sed priuatiue opposita hoc habent, quod vnum oppositorum alterius esse non dicitur, quia cęcitas non dicitur visus cæcitas, nec visus cæcitatis visus, sed bene cęcitas dicitur priuatio visus; Igitur hæc nō sunt relatiue opposita. Secundo probat, quia secundum sonum verborũ hæc videtur congrua locutio, cęcitas, est visus cæcitas, quod tamen falsum est, & ideo secundam addit rationē, quæ est. Relatiua dicuntur secundũ reciprocationem, i. conuertentiam. Sed opposita priuatiue non dicuntur secundum conuertentiam, quia dato, & non concesso quod hæc propositio esset vera, cæcitas est visus cęcitas, conuertentia esset falsa, quia non possumus dicere visus est cæcitatis visus. Hic autem tacet oppositionem contrariam, faciendo eam distinctã ab oppositione priuatiua, quia de ea supra egit.

LECTIO XXXVIII.

POstquam Philos. separauit oppositionem relatiuam a priuatiua, hic separat oppositionem priuatiuam a contraria in textu ibi. (Quod autē neque &c.) tali ratione. Opposita contrarie tres habent conditiones, quib. priuantur priuatiue opposita. Ergo distinguuntur, Nam prima conditio contrariorum immediatorum est, quod vnum contrariorum inest omni suo susceptibili necessario, & semper. Sed hæc conditio deficit in priuatiue oppositis, quia susceptibile horũ non semper habet vnum illorum, vt patet in catulo, qui ante nonum diē, neque proprie est cęcus, neque videt. Secunda conditio contrariorum, sed mediatorum est, quod non omne susceptibile contrariorum necessario sibi vendicat vnum illorum, nam lapis vt corpus est, necessario non est frigidus, nec calidus, & si sit frigidus naturaliter, vt est tale corpus. At priuatiue opposita pro aliquo tempore necessario sibi determinant vnum illorum oppositorum, v. g. catulus vno tempore vel erit cæcus, aut videns. Tertia conditio contrariorum etiam mediatorum, & respectu subiectorũ est, quod vnum illorum contrariorũ subiecto determinate insit, hoc autē non conuenit priuatiue oppositis, qa susceptiuum vnius, est etiam susceptiuum alterius, quia omne quod potest videre, potest etiam cæcari.

Primo autem animaduertendum est circa hoc, quod vnum contrariorũ naturaliter debeat inesse subiecto, quod hoc non est verum de omnibus contrarijs, sed tantum de comitantibus naturam, & rebus connaturalibus, vt est grauitas in graui, & læuitas in læui; at opposita priuatiue hoc nō habent a natura secundum speciem, quamuis hoc possint habere secundum conditionem indiuidui, quia v. g. quis potest nasci cęcus, qui semper erit cecus. Scias tamen exempla non esse in consequentiam deducenda, quoniam centum pedibus claudicãt. vnde super hæc non sunt fundandæ physicæ quæstiones.

Secundo probat eandem conclusionem sic. Inter contraria potest esse mutua transmutatio, stante eodem susceptibili. At inter priuatiue opposita nō potest esse talis transmutatio; ergo distinguũtur. Maior patet, quia vnus ex virtuoso potest fieri vitiosus, & econtra, & secundum corpus, quis ex calido potest fieri frigidus, & econtra. Minorem probat, quia ab habitu fit transitus ad priuationem, v. g. a videre ad cæcitatem. Sed a priuatione ad habitum non datur regressus.

Habeas autem duas glossas huius propositionis, a priuatione ad habitum non datur regressus. Prima est,

vt intelligatur naturaliter. Nam supernaturaliter potest dari, vt patet in resurrectione mortui. Secunda, vt intelligatur de priuatione irregressibili, & non de regressibili, cum fiat transitus de luce ad tenebras, & e contra. Tertia, vt intelligatur manente eodē susceptibili, nam quis posset comedere cadauer hominis mortui, & ex carnibus eius semen generare, & sic posset proles effici, sed non erit idem. Deinde transit Arist. ad separandam oppositionem contradictoriam ab alijs tali ratione. Contradictorie oppositorum vnum semper, & necessario est verum, & alterum falsum. Sed hoc non saluatur in alijs oppositis. Ergo distinguuntur. Maiorem probat ex illa maxima. De eodem, secundum idem, non potest simul verifica ri affirmatio, & negatio. Minorem deducit exemplariter in contrarijs; quia non est sēper necessariū animal eē ęgrū, vel sanū, & ita hoc patet in relatiuis in duplo, & dimidio; & in priuatiue oppositis vt in visione, & cęcitate. Secundo probat minorem, quia affirmatio, & negatio, seu verum & falsum sunt tm̄ in complexis, & non in incomplexis. At præter opposita contradictorie omnia alia opposita sunt incomplexa. Hoc autem intellige formaliter, & respectu eiusdem susceptibilis.

Contrariorum conditiones. Tandem redit Auctor ibi (Contrarium autē bono & c.) ad contrariorum naturam, & eis assignat quinque conditiones. Prima est, quod bonum semper contrariatur malo necessario, sed cum hoc, quod malo non solum sit contrarium bonum, verum etiam aliud malum.

Notandum est autem primo, quod bonum dupliciter sumi potest. Primo materialiter, vt idē est quod ens. Secundo formaliter, vt enti addit rationē appetibilis, & sic sumitur hic. Sed bonum formaliter sumptum, ad huc potest bifariam sumi. Primo pręcise, i. sub ratione boni vt sic, præscindendo ab omni speciali ratione bonitatis. Secundo secundum totam suā formalem latitudinem, prout se extendit ad boni differentias, & modos, prout .s. diuiditur in bonum vtile, honestum, & delectabile, & prout malum sic ei opponitur in tota sui latitudine consideratum, quia .s. importat malum inhonestum inutile, & indelectabile; erit ergo sensus propositionis. Quod si bonum habet contrarium, hoc erit malum, & si aliquid contrarietur malo, erit bonum &c. Vnde secundo notādum venit, quod quædam contraria habent bonum, & malum pro extremis, & sic oportet esse contraria, Alia vero sunt quæ habent bonum pro medio, vt contingit in moralibus, & in quibusdam naturalibus, nam tunc bonum in medio duorum malorum consistit, v.g. fortitudini contraria erit timiditas, & audacia, & liberalitati auaritia, & prodigalitas, & sanitati febris colerica, & flegmatica, & sic malum non solum contrariatur bono stanti in medio, verum etiam malo stanti in altero extremo.

Tertio notandum, quod calidum, & frigidum formaliter contrariantur; s. vt calidum, & frigidum; non vero materialiter .i. vt entia sunt, & bona in genere entis.

Quarto posset quis dubitare, quomodo vni malo duo contrarientur, s. bonum & malum, stante quod Arist. 10. Metaph. tex. 15 asserat vnum tantum vni esse contrariū. Sed de facili respondetur, quod vni vnum est contrarium tanquam extremo, non vero vt medio vt suprà declaratum est. Secunda cōditio cōtrariorum est, quod non est necessarium, quod si vnum cōtrariorum est, reliquum esse, v.g. si sanitas esset in omnibus sanis, quod languor tunc aliquem vexerat. Sed

hæc secunda conditio videtur pugnare cum Arist. qui in secundo de Cęlo & mundo tex. 18. dicit, quod si vnũ contrariorum est, necesse est quoque alterum esse. Sed respondetur primo Arist. dixisse, quod si vnum contrariorum est naturale, reliquum quoq; erit naturale, & non dixit si vnum est in rerum natura, oportere, & reliquũ esse; multum enim ista differunt. Nã primum dicit identitatem generis, & secundum simultatem existentiæ. Secundo respondetur, propositionẽ dictam non verificari secundum existentiam, & physice, nã si omnia animalia in vno tempore essent sana, infirmitas non esset in rerũ natura. Vera igitur erit potentia Logica, seu potentia non contradictionis, quia dato uno contrariorum, non implicat reliquum dari, cum apta nata sint fieri circa idem.

Tertia conditio est, quod duo contraria non possint simul esse in eodẽ subiecto; Hoc autẽ intellige in actu perfecto, secus in actu imperfecto.

Quarta conditio est, ut contraria apta nata sint naturaliter fieri circa idem, ut albedo, & nigredo circa idẽ corpus, & iustitia, & iniustitia esse in eadem anima.

Quinta est, quod contraria vel sint in eodem genere, uel in generibus cõtrarijs, uel sint ipsa genera contraria, nam album & nigrum sunt in eodem genere, iustitia uero, & iniustitia sunt in diuersis contrarijs generibus, bonum uero & malum sunt genera contraria existentium, & non sunt in genere.

Notandum est autem, quod duplex est modus interpretandi hanc propositionem. Bonum, & malum sunt genera contrariorum. Nam aliqui primo dicunt quod sunt genera contraria, ut uitium, & uirtus, & non sunt in contrarijs generibus cum ambo sint qualitates; Sed hæc expositio non congruit textui, quia hoc tertiũ membrum cum duobus superiorib. coincideret. Alij igitur sunt in sententia, quod sunt genera contraria abusiue, i. sumendo genus non pro genere prædicamentali, cum bonum malo aduersum sit transcendens, sed sumẽdo genus pro analogo, quo pacto etiam transcendentia abusiue dicuntur genera. At alij sentiunt esse genera contraria non per se, sed per concomitantiam, quia comitantur omnia contraria generaliter, cum unum contrariorum se habeat ut habitus, & consequenter ut bonum, & alterũ se gerat ut priuatio, & consequenter vt malum. Vel possumus nos dicere, Arist. esse loquutum secundum opinionem Pitagoricorum, qui posuerunt bonum & malum esse prima genera rerum, sub quibus omnia bona, & mala continebantur.

Vel dicendum, quod locutus est de generibus moraliter, quia possunt dici genera moralia, cum sint principia ad quæ reducuntur uirtutes, & uitia, non autem dixit ea esse genera prædicamentalia, uel physica.

De Priori.

IN secundo Capitulo Postprædicamentorum Philos. enumerat, & diuidit prius secundum quatuor modos famosos, secundum quos dicitur, & ei addit quintum latentem. Prius ergo primo sumitur pro priori secundum tẽpus, ſm quem modũ senior est prior Iuuene, vt prius natus. Scdo sumitur pro priori in essendo, a quo non conuertitur subsistendi consequentia, & sic unum est prius duobus, quia si duo sunt, unum quoque erit, sed si unum sit, non sequitur quod etiam sint duo. Tertio sumitur pro priori ſm ordinem, prout literę sunt priores sylabis, & exordium ĩ oratione, est prius el oratione ipsa. Quarto sumitur pro priori secundum dignitatem, & amorem,

rem, secundum quem modum aliqui sunt Domini, & aliqui sunt serui; & inter seruos apud Dominum vnus est prior altero, si sit magis dilectus quam alter. Addit quintum, idest secundum causalitatem, & sic homo est prior oratione, qua exprimitur hominē esse, quia ab eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa. Ex ijs autem habes exclusam propositionem illam stoicam, quod prius, possit esse sine posteriori.

De simul.

IN tertio Capitulo docet Philos. quod simul multis modis dicitur. Primo secundum tempus, & sic illa dicuntur simul tempore, quæ simul in eodem tempore generantur; Hoc autem dupliciter accidere potest. Primo secundum inceptionem tantū, quia v.g. generatio duorum in eodē tempore incipit, & si natiuitas non sit in eodem tempore, quo modo duo gemelli dicentur esse, eiusdem temporis, & ætatis. Secundo modo secundum inceptionem, & conseruationē, quia in eodem tempore generantur, & conseruantur, ita vt vnum illorū nunquam sit sine altero, quo modo subiectum, & propria passio sunt in eodem tempore, & si subiectum præcedat passionem natura, & causalitate. Secundo modo aliqua dicuntur esse simul secundum conuertibilitatem consequentiæ, sed non causalitatis, & hæc simultas saluatur inter relatiua, nam si Pater est, filius est. Tertio aliqua dicuntur esse simul diuisione, quia diuidunt genus vt oppositę differentiæ, vel modi, prout volatile, & aquatile diuidunt animal, & pennatum, & non pennatum volatile.

De motu, & Habere.

TRactatus de motu, & habere clarus est. Nam scientia de motu ad hoc reducitur, quod sex sunt species motus, s. generatio, corruptio, augmentum, diminutio, alteratio, & loci mutatio; Alteratio autem ab alijs motibus distinguitur, quia aliquis motus manens ad Solem potest fieri niger, & ita ī Mathematicis abstraentibus à motu, augmentum potest fieri sine alteratione. Quod intelligo mathematice, nam physice est impossibile.

Habere autem primo sumitur secundum qualitatem, vt habere virtutem. Secundo secundum quantitatem, vt habere tricubitam quantitatem. Tertio secūdum habitum, vt esse vestitum. Quarto secūdum habere aliquid in membro, vt habere annulum in manu. Quinto secundum mēbrum vt habere manum, vel pedem. Sexto secundum continentiam, vt habere aquam in Ciato; Septimo secundum possessionem, vt Maritus habet vxorem, & econuerso, quamuis hic modus sit improprius, quia vir non potest vendere vxorem, vnde dicitur eam habere quo ad cohabitationem. Octauo vt contentum continens, sicut Vinum dicitur habere lagenam in qua est.

FINIS.

F. MICHAELIS ZANARDI VRGNANENSIS

SACRAE THEOLOGIAE LECT. ORD. PRAED.

Dilucidationes in libros Posteriorum Arist.

LECTIO PRIMA.

INcipiens Arist. libros Posteriorũ explicare, antequam ad textum ine confêram, operæ pretium duxi prius aliqua necessaria præambula explicare. In hac igitur lectione tria agam. Primo aliqua notanda conijciam; Secundo ponam aliquas conclusiones. Tertio dubitabo circa eas.

Homo scientijs indiget. Quoad primum, primo notandũ est, quod homo a brutis in hoc differt, quod ipsa bruta aguntur ab intelligentia non errante, vnde non habent suorum actuum liberum dominium; homo vero cum sit liberi arbitrij non agitur, sed agit, mouetque se ad finem. Quare aliqua sunt necessaria homini, q̃ brutis nihil proficiunt, hæc autem sunt artes, & scientiæ, & ideo inquiebat Arist. primo Metaph. quod hominum genus artibus, & rationibus viuit, quod optime explicat S. Doctor in principio suę lectionis, quomodo autem hoc fit.

Logica, respectu actuum intellectus. Secundo notandum erit, quod logica est de actibus rationis, nam in hoc discriminatur a cæteris scientijs, quod ipsæ de ente reali, hæc vero de ente rationis tractat. Quod autem aliqua scientia sit secundum rationẽ (vt innuit S. D.) potest dupliciter intelligi. Primo effectiue .i. a lumine intellectus agentis, & hoc quidem omnib. scientijs cõmune est. Secundo obiectiue .i. quod versetur circa operationes intellectus, & hoc quidẽ peculiare est arti, & scientiæ Logicæ, nam proprie, & ex professo versatur circa ens rationis fabricatũ ab intellectu, & non circa ens reale existens. Cum ergo Logica sit de operationibus intellectus, necesse est vt habeat aliquas regulas, quibus regulari bene possit: nam sicut respectu operationum manualium ars ædificatoria necessaria est, ita ars & scientia rationalis respectu operationum intellectus, sed sine arte ædificatoria non bene potest ædificator ædificare, ergo nec sine hac arte gubernãte actus intellectus, homo posset bene ratiocinari. Hinc deducimus hanc partem omnibus alijs partibus Logicæ esse digniorem, quia primæ operationes ad tertiam ordinantur vt ad finem, & terminum.

Analytica respectu discursus. Tertio notandum est, quod tres sunt operationes intellectus. Prima est simplicium apprehensio. Secunda compositio, & diuisio. Tertia discursus & ratiocinatio; vnde artes, & regulæ discurrendi sunt secundum hos tres actus: nam ad regulandam primam operationem intellectus adinuenta fuit ars prædicamentorum, quæ de decem primis generibus nuncupatur, de naturis enim incõplexis est liber ille: Ad regulandam vero secundam operationem necessaria fuit scientia, quam Arist. tradit in libris Perihermeniarum, nam in his iam

ve-

cum, & falsum admiscentur. Ad regulandam vero tertiā .i. discursum, isti libri & cæteri logicales deseruiūt, quare necessaria est hæc ars posterioristica.

Diuersimode. Quarto notandum est, quod illa, que ad tertiam operationem intellectus, hoc est ad discursū pertinēt, sūt in triplici differentia, (neque enim eodem passu currunt.) nam ars imitatur naturam inquantum potest: Naturalia autem sunt in triplici gradu. Quædam enim necessario, semper, & infallibiliter producunt suum effectum, vt patet in motu orbium. Quædam vero non semper, nec necessario, & infallibilitur producunt suum effectum, sed vt in pluribus, seu regulariter, cum conditione tamen defectibilitatis, ex deficientia alicuius principij actiui, vel passiui, sicut cum agens naturale ex aliquo impedimento vult generare puta hominem generet monstrum. Aliqua uero ex deficientia principij semper, generāt imperfectum quid. Hic ergo ordo in discursu, & ratiocinatione inuenitur. Quandoque enim intellectus ex principijs necessarijs, & per se notis deducit conclusiones necessarias. Hæ autem quandoque pendēt ex forma, & huic deseruit liber Priorū, in quo Arist. egit de mō, & forma arguendi uel pēdent ex materia, & ad hoc ordinatur liber iste. Secundo autem ordini naturæ deseruit pars thopica, quæ quidem nō semper, & necessario inducit scientiam, & cognitionem, sed opinionem, uel fidem, nā propter rationes thopicas quis perfectè non assentit conclusioni, sed adheret eis tantum cum aliqua difficultate, & formidine alterius partis. Tertio autem deseruit ars sophistica, quæ quidem semper est cum aliquo errore, quia non seruantur seruanda. Quia igitur hic liber correspondet primo ordini naturæ necessario, ideo dicitur de resolutione posteriori, i. de demostratione resoluente pręmissas in prima principia certissima, &c. non secundum formam prioristicam, quæ dicitur prior resolutio, sed s̄m materiam, & formam posterioristicam quæ dicitur posterior.

Dicitur Iudicatiua. Quinto animaduertendum puto cur ars posterioristica, iudicatiua dicatur, thopica inuētiua, & sophistica fallax. Multi enim multa dixerunt circa hæc, sed omnibus omissis, rationem solum S. D nunc ponam. Inquit enim, quod hæc scientia ideo iudicatiua nuncupatur, quia iuditium non datur de aliqua re nisi perfecte illa res cognoscatur. At cum hæc perfectam cognitionem gignat, merito iudicatiua dicī, alię uero per participationem iudicatiuæ de suis conclusionib. dicunt. Thopica uero dr̄ inuētiua, quia inuentio semper stat cum aliqua formidine, nec ex necessarijs causis semper deducitur, sed ex signis, uel cōiecturis. Cum autem thopica procedat solum ex probabilibus, neque perfectam cognitionem generet, iure inuentiua principaliter dicitur: Sophistica uero fallax, quia fallit, & decipit.

Subiectū eius & demostratio. Sexto immorandum est circa subiectum huius scientiæ, nam ex obiecto tota rei natura cognoscitur; Relictis ergo superfluis (neq, n. in re tā manifesta multa obseruāda sunt.) Dico, quod subiectum huius scientiæ est demōstratio. Sed animaduertendum est, quod in qualibet scientia duplex subiectum reperitur, ut sæpe sepius dictum est: Vnum adæquatum seu formale, & totale (hæc enim omnia idem sonant) aliud uero uocatur inadæquatum, materiale, seu partiale. Primum illud dicitur, quod comprehendit totam scientiam, de eoque principaliter intenditur. Secundum quod aliquam partem sequitur &

minus

minus principaliter rimatur. Subiectum ergo adæquatum &c dicimus cum D. Thoma. Alberto. Caietano ac alijs multis esse demonstrationem, inadæquatum vero diffinitionem vt nunc probabo in conclusionibus, & hæc satis dicta sint quoad primum, multa enim possent dici, quæ vel superflua, vel longa, vel inepta esse arbitratus sum.

Conclusiones. Quoad secundum duæ sunt conclusiones. Prima. Hæc ars dicitur iudicatiua, estque cæteris præstantior. Probatur. Illa scientia, que procedit ex necessarijs, per se &c. est iudicatiua, alijsque nobilior. Hæc est eiusmodi vt probatum est, ergo. Maior nota Minor vero iam declarata est.

Secundo. Illa scientia est nobilior in suo genere, quæ minus admittit de imperfectionib. Hæc est talis. Ergo Maior nota. Minor probatur, quia in genere discurrendi, & argumentandi hæc est absque errore, sine fallacia, firma, & stabilis.

Secunda conclusio talis est, Subiectum adæquatum artis posterioristicæ est demõstratio. Probatur primo autoritate Arist. qui in tota ista scientia nihil aliud videtur facere, quam tractare de demostratione, vel de necessarijs ad demonstrationem.

Secundo. Illud est subiectum, quod principaliter consideratur in scientia, cuius passiones, & partes quærun tur, & sub quo comprehenduntur omnia considerata in scientia. Talis est demonstratio, igitur. Maior clara est, nam illæ sunt subiecti conditiones, Minor nec pensanda est, sed in toto cursu huius artis obseruanda.

Quoad tertium dubitatur primo contra primam conclusionem, Nam contingit posterioristicum errare. Ergo hæc scientia potest esse etiam cum aliquo errore, & dubitatione.

Secundo dubitatur contra secundam conclusionem a quibusdam, qui tenent diffinitionem esse subiectum huius scientiæ, & primo sic arguunt. Diffinitio ad partem Logicæ per se spectat. At si ad aliquã, ad ist am, quę perfectam causat cognitionem sicut facit definitio, ergo.

Secundo. Si non esset demõstratio, esset diffinitio, igitur erit subiectum Probatur consequentia, quia illud quod per se est, & considerari potest, non est ponẽdum in ordine ad aliud.

Tertio. Nobilior est diffinitio demõstratione, ergo & modo. Probatur antecedens, quia demõstratio facit scire quale, diffinitio vero quid, consequentia notã, quia subiectum debet esse nobilius omnibus alijs.

Argumenta soluuntur. Ad primum resp. quod posterioristicum errare potest intelligi dupliciter. Primo per se, procedendo ex proprijs, & veris principijs, & hoc nõ potest esse, quare negatur maior. Secundo per accidens, quia demõstrans nescit ea applicare, & hoc quidem verum est, sed non officit.

Ad primum contra secundam conclusionem respõdeo, quod diffinitio pertineat ad Logicum stat dupliciter. Primo tãquam subiectum, & hoc nego. Secundo vt pars, seu causa, vel habens ordinem ad subiectum, & sic consideratur diffinitio in ordine ad demõstrationem, & est vna extremitutem.

Ad secundum respondent aliqui admittendo argumentum, sed dicũt, quod Logica esset manca. Sed ego dicerem diffinitionem esse duplicem, Prima est imperfecta, (vt ita dicã), & hæc cum ordinem habeat ad demõstrationem, imperfectior est ipsa, nam quod ordinatur vt medium ad finem imperfectius est fine. Alia vero uocatur perfecta, quæ est demõstratio sola positione differens, & hæc non potest esse sine demonstratione, sed de ijs alias.

Ad tertium dico, quod demõstratio

tio facit scire non solum quale, verũ etiam quid, quare est nobilior. Immo dicitur etiam nobilior prioristica par te, quamuis agat de forma syllogismi, & hæc de materia. Nam materia demõstrationis .i. propositionis per se, & necessariæ est nobilior simplici forma conficiendi syllogismos, præterquam forma prioristica est generalis & in actu signato, materia autem posterioristica trahit secum suã formam specialem, & in actu exercito, & ideo præstat.

LECTIO II. S.D. Prima.

Omnis doctrina, & omnis disciplina ex praexistenti fit cognitione, &c.

POstquam vidimus vniuersalia prę ambula necessaria ad totam sciẽtiam posterioristicam, nunc examinanda est propositio Arist. & ea quę dicuntur a S.D. in prima lectione: vnde tria de more agam in præsenti lectione. Primo enim videbimus quæ necessaria erunt pro explicatione textus. Secundo ponemus vnam conclusionem. Tertio dubitabimus circa eã.

Analytica est vltima. Quoad primum primo notandũ est, cur ars posterioristica sit illa, quæ vltimo adiscatur a discipulis, cuius quidem ordinis, duas iudico esse causas. Prima quia ars ista difficillima est inter omnes partes Logicæ, multaque supponit necessaria ad sui intelligẽtiam: merito igitur prius addiscuntur cæteræ partes Logicæ, & hęc vltimo seruatur. Secunda ratio est, quia posterioristica scientia est fere compendium totius Logicæ, vnde prius suponendæ erant partes: & si tertiam cupitis, inquio, quod tanquã nobilissima scientia supponebat suas ancillas, quarum auxilio perfectum erat reditura intellectum Logici in Logicis.

Secundo notandum est, quod duę fuerunt apud antiquos opiniones de rerum cognitione: Aliqui enim tenebant quod de nulla re possit haberi scientia, quia corruptibilium, & fluxibilium non est scientia, at res naturales sunt corruptibiles, & in continuo motu, & fluxu (inquiebat Heraclitus) ergo de eis nõn est scientia: *Scientia datur.* Alia fuit opinio, quæ Platoni ascribitur, nempe quod quidem de rebus cognitiõnem habere possumus, sed qđ nostrum scire est quoddam reminisci. Arist. vero contrarium sentiens ponit hanc conclusionem, quod omnis doctrina, & disciplina ex præexistenti fit cognitione, vt per scientiã, & doctrinam excludatur error Heracliti, & per hoc ꝙ fiat ex præexistenti cognitione excludatur error Platonis.

Scire non est reminisci. Tertio adnotandum est pro opinione Platonis, quod dupliciter interpretari potest. Primo. Quod non sit locutus secundum propriam sententiam, sed secundum opinionem Pytagoricorum, qui tenebant, animam transmigrare de corpore in corpus, vnde ex hoc sequebat', quod illud quod iam vna anima didicerat in corpore Philosophi, imissa alteri corpori, obliuisceretur omnium eorum quæ prius recordabatur. Vel secundo potest interpretari, quod voluerit quod anima sicut res perfectissima crearetur a Deo omni cognitione prædita, sed grauata hoc grauissimo pondere corporis, nihil amplius recordaretur, per scientias autem excitaretur ad reminiscendum prius scita. Sed quia de his forsitã in vltima huius capitis lectione longũ habebimus sermonem, ideo ista relinquam pro nunc, explicato solum qđ nominis, si autem multa, & varia de hac opinione Platonis scire cupis, lege, D. Honoratum Robertum cap. primo primi Post quæst. de reminiscentia.

Fit ex p̄-existenti cognitione. Quarto ergo notate quod, Arist. contra has omnes opiniones vnicam ponit conclusionem, quæ est, Omnis doctrina &c. Vbi primo explicabimus omnes terminos, antequam sensum propositionis aperiamus. Doctrina, & disciplina idem sunt materialiter, important enim habitum scientificum, qui dicitur doctrina vt est in docente, & dicitur disciplina vt est in discipulo, & recipiente, vnde & si differant subiecto inhesionis, sunt tamē idem subiecto scibilitatis. Vnde notate quod doctrina, & disciplina sic accepta, dupliciter considerari possunt. Primo pro quacunque cognitione intellectiua, & sic sumuntur hic, nam omnis cognitio intellectiua fit ex præexistenti cognitione, saltem sensitiua. Secundo possunt sumi proprie pro vera doctrina &c. acquisita ex demostratione, & hoc modo non sumuntur hic, quia sermo Arist. est vniuersalis, nec sic saluaretur in Rethoricis, & alijs, qui non acquirunt scientiam ex demostratione.

Indefinite Quinto notandum est circa hunc terminum intellectiua, quod non eodem modo sumitur ab omnibus, & interpretant, sufficiat tamē hic duas conijcere interpretationes, Quarum prima est Illustrissimi Caietani, qui ait, quod non est exponenda hæc propositio hoc pacto, quod omnis doctrina, & omnis disciplina fiat ex præexistenti cognitione sensitiua, sed indefinite relinquenda est, nam quandoque fit ex præexistenti cognitione intellectiua vt videbimus. Altera expositio est S.D. quam Toletus sibi falso attribuit, quod Arist. hic loquebatur solum de cognitione intellectiua discursiua, quę necessario fit ex pręexistenti cognitione principiorum apprehensiua, sed non omnis cognitio vt patet in prima opinatiua, & ex fide. Vnde hæc sunt verba S.D. Addit autem intellectiua, ad excludendam acceptionem cognitionis sensitiuæ, vel imaginatiuæ. Nam procedere .i. discurrere de vno in aliud, rationis est solum.

Sexto adnotandum circa ly ex, quod dupliciter interpretari potest. *Secundū ordinem.* Primo vt dicat rationem alicuius causę, ita vt sit sensus, quod omnis doctrina fit est præexistenti cognitione, tanquam ex habenti rationem alicuius causæ, & hoc quidem nō potest esse, sed pro nunc non explicandum, quia res difficillima est. Secunda expositio quam ex Arist. sustinemus est, quod ly ex non dicat rationem alicuius causæ, sed notet ordinem, sicut solemus dicere, quod ex die fit nox, idest post diē, sequitur, nox ita etiam vt sit sensus ex præexistenti cognitione nascit̃ doctrina, & disciplina, sed quem sensum vultis, sequimini, nec enim de ijs multum curandum est. Tenendū est tamen, quod cognitio Dei, & Angelorum non fit, ex preexistenti cognitione, nec vt ly ex dicit ordinem & idē sonat q̄d post, nec vt dicit causam ex parte cognoscentis, quoniam nec in ipsa notitia supradictorum nō est discursiua, intelligendo vnū post aliud, idest simplex, i. intelligendo vnum in alio.

Septimo notandum venit ordo *Quomodo* quo quidem cognitio intellectiua fit ex præexistenti cognitione. Vnde sciatis quod duplex est cognitio sensitiua, qua sensus aliquid percipit, & intellectiua, qua intellectus aliquid cognoscit. Item cognitio sensitiua duplex est, interior quæ habetur per sensus interiores, i. per imaginatiuā, & cogitatiuam, & exterior quæ fit per sensus exteriores .i. per visum, auditum &c. Item duplex est cognitio intellectiua, quędam quæ vocatur conclusionum, quę habet̃ per discursum, & quædam terminorum, quæ habetur per simplicem apprehensionem, vnde ordinate causatur, hoc pacto

pacto doctrina,& scientia, quod cognitio intellectiua conclusionum, habetur ex præexistenti cognitione intellectiua terminorum, cognitio autem intellectiua terminorum, causatur ex præexistenti cognitione sensitiua interiori, hæc autem a præexistente exteriori, hic ordo tamen nõ est necessarius, quare inquiebat Caiet. quod propositio indiffinite relinquenda est, cum tamen rectius explicetur formaliter inquadam cognitione discursiua quæcunque sit, vt Simplicio placuit, immo Aris. expressit 2. Post. cap. vlt. & octauo libro de moribus cap. 3.

Quoad secundum ponitur hæc conclusio, iam per notabilia explicata, sed non dum probata. Omnis doctrina, & disciplina &c. Probatur primo. Mathematicæ scientiæ, & disciplinæ, quæ causantur ex demostratione fiunt ex præxistenti cognitione, ergo omnis doctrina &c. Consequẽtia nota per inductionem. Antecedens probatur, quia conclusiones fiunt ex præmissis, vel naturaliter notis, vel sensu perceptis. Vsus est autem Arist. inductione in triplici genere cognitionis .s. in scientifica ex Mathematicis. In probabili ex Thopicis Et in persuasibilibus vt in Rheoricis, quæ primo ad persuadendum ordinantur. Nam vniuersalis propositio inductione probatur ex 2. lib. Priorum cap. 33.

Secundo, Disciplinæ Topicæ seu, seu disputatiuæ fiunt ex præexistenti cognitione .s. præmissarum, ergo.

Tertio. Rethoricæ scientiæ hoc idem seruant, igitur. Nam Rethorica procedit per exempla, dicẽdo Dionisius deferens arma in prætorium occidit hominem, Petrus similiter, ergo hic qui ea defert, hocitidem faciet. Vel entimemate, vt Sortes vicit palestra, ergo meretur coronari.

Quoad tertium primo dubitatur, quia non est probanda aliqua conclusio ex extraneis, modo hæc conclusio, Omnis doctrina &c. est posterioristica, ergo nõ est probanda per Mathematicas &c.

Scdo Rhetorica procedit exẽpla, & pro actus singulares, at singulariũ non est scientia (teste Arist. infra) ergo Rheorica non erit scientia, quod tamen est contra D Thomam in præsenti lectione, vbi vocat eam scientiam sermocinalem.

Tertio dubitatur circa conclusionem dupliciter. Primo illa cognitio non habet ortum ab aliquo, quæ est nobis naturalis, at cognitio saltem primorum principiorum est nobis naturalis, nam cognitis terminis cognoscit tota propositio, ergo cognitio conclusionum non fit ex præexistenti cognitione principiorum.

Secundo Habemus de Angelis, & de Deo, &c. cognitionem, & tamẽ nõ cadunt sub sensibus nostris, ergo.

Ad primum respondeo primo, q̄ Logica, & Mathematica possunt considerari dupliciter, primo secundum se, & sic sunt extraneæ. Secundo respectu alicuius conclusionis, & sic possunt esse subalternatæ, & vna probare conclusionem alterius. Vel secundo dicatis quod hæc conclusio, non tam est posterioristica, quam omnibus scientijs communis, vtpote quærens de eorum an est.

Ad secundum dicendum, quod Rhetorica potest bifariam considerari, primo ratione obiecti, passionũ, & c. & vt habet particularia præcepta, & sic est vna scientia. Secundo quo ad vsum sui obiecti, & suorum præceptorum, & sic non est proprie scientia, primo modo intellexit S D. argumentum, secundo modo procedit, sed de ijs alias.

B. Ad secundum dicitur quod cadere sub sensu stat dupliciter, primo per se; secundo per aliud .i. per effe-

ctus &c. & quod cognitio de Deo cadit sub sensu non secundum se, sed ratione effectuum, quibus venamur a posteriori cognitionem de Deo, Angelis &c.

Ad tertium dicendum, quod cognitio principiorum sit naturalis bifariam intelligi potest. Primo vt intelligat' esse a natura, sine dependentia ab aliqua operatione intellectus & hoc est falsum, nam eorum cognitio dependet a cognitione terminorum, qui apprehenduntur per primam operationem intellectus. Secundo vt dicatur esse naturalis, quia non fit per discursum, & hoc verum est, sed tamen etiam prima cognitio dependet a sensu. Vel secundo dicendum est, quod cognitio principiorũ fit ex præexistenti cognitione intellectiua terminorum, & hæc sufficiãt ad verificandam propositionẽ Arist.

LECTIO III. S.D.2.

Dupliciter autem necessarium est præcognoscere &c.

COnsuetum est apud peritos viros, vt, postquam ostenderint alicuius rei conditionem, vel naturam dẽt et modum consequendi illam naturam, vel cognitionem, vnde merito postquam Arist. ostendit quod omnis doctrina &c. fit ex præexistenti cognitione, nunc etiam tradit modum cognoscendi quomõ &c. Vnde pro nũc tria agam. Primo ponam aliqua fundamenta enucleantia textũ. Secũdo ponam cõclusiones elicitas ex textu. Tertio ponam aliqua dubitabilia.

Quoad primum primo notandũ est, quod iste est ordo Arist. quod primo ostendit ordinem illorum quorũ scientiam habere debemus: sc̃do tradit modum ea cognoscendi, & ratio est, quia oportet prius scire quid nam cognoscendum sit, antequam cognoscamus quomodo cognoscendum sit, sicut quæstio quid est, præcedit quæstionem qualis est. *Ordo.*

Secundo adnotandum est, quod præcognitiones duæ sunt, vt elicimus ex tex. Arist. & tria sunt præcognita. Præcognitiones sunt quid, & quia: Quid quærit de essentia, & diffinitione alicuius rei, vnde cum quærimus quid est homo, respondendum est substantia animata, sensibilis, rationalis. Quia vero quærit de esse. Esse autem secundum Arist. duplex est .s. existentiæ, seu subsistentiæ in rerum natura, & esse veritatis propositionis Item quid duplex est, quid nominis .i. significatum nominis, & quid rei .i. diffinitio intrinseca, & essentialis: Dum dicimus, quod duæ sunt præcognitiones, quid est, & quia est, non loquimur de quid est nominis, vel rei præcise, nec de quia existentiæ, vel veritatis præcise, sed indeffinite, quia de quibusdam præsuponitur quid nominis & quæritur quid rei, de quibusdam vero supponitur quid rei, &c. vnde indefinite sumenda sunt quid, & quia. *Præcognitiones duæ sunt, & tria præcognita.*

Tertio notandum est, quod de subiecto præsupponitur q̃d est, & quia est, de passione quid est sed q̃ritur quia est, de principijs præsupponitur quia est, nec possunt habere q̃d est, vt in cõclusionibus suis sc̃do loco ponendis declarabimus. Pro nunc tñ sciendum venit quid nominis præcognitionis, & præcognitorum, quæ res non est multum difficilis, præcognitio enim idem sonat quod ante cognitio, præcognitum, i. antea cognitum, quia præcognitio nihil aliud est, quam quædã intelligentia rei cognoscẽdæ. *De subiecto supponitur q̃d & quia.*

Quarto notandum, quod Arist. deinde procedendo ad modum præcognitionis, inquit, quod quandoque maior extremitas potest cognosci prius natura, & tempore conclusione, quandoque solum prius natura. Vnde habeatis, quod prius pro nunc dupliciter sumitur, & aliqua bitariam possunt dici priora. Quædam *Maior prius cognoscitur.*

enim

enim sunt priora secundum naturā, sed non secundum tempus, puta illa quæ simul generantur, & interimuntur; Quædam vero sunt priora, & natura, & tempore, v. quæ nec simul nascuntur, nec vnum necessario oritur ab alio, Tunc inquit Arist. quod maior extremitas potest, & prioritate naturæ, & prioritate temporis cognosci ante conclusionem, sicut ego possum scire ꝙ triangulus habet tres angulos æquales duob. rectis, anteq̄ sciam qđ hic triangulus positus in semi circulo, habeat tres angulos æquales duob. rectis. Quīque vero simul cognoscuntur tempore, sed non natura, sicut quando subito minor sub sumitur sub maiori, sicut cū dico hic triangulus habet tres angulos &c.

Et quandoque simul cum conclusione.

Quinto notandum est, quod quatuor sunt conditiones requisitæ ad hoc vt conclusio simul cognoscatur cum præmisis. Prima, quod minor recte subsumatur sub maiori, sicut non cognoscerem simul tempore hanc cōclusionem, homo est risibilis, si sic subsumeretur sub hac propositione; Omne animale rationale est risibile, Asinus est animal rationale, quia non recte subsumitur, sed ista est bona. Homo est animal rationale: Secunda cōditio est, quod cognoscatur debita sumptio .i. cognoscatur vera argumētatio, & recta: Tertia est, quod cognoscantur maior, & minor extremitates vt applicatæ ad conclusionem, non enim sufficit eas cognoscere seorsū, sed quod sint applicatæ ad determinatam conclusionem. Quarta quod cognoscatur hæc debita applicatio.

Conclusiones.

Quoad secundum principale ponitur prima conclusio. De principijs cōplexis præsupponitur quia, sed nō quid. Hæc conclusio habet duas partes. Prima quod de eis præsupponat quia: secunda non quid: Probatur prima. Illa quæ cognoscuntur vt certissima, cognoscuntur quoad quia est, sed prima principia cognoscuntur esse certissima, quia sunt per se nota, sicut quod omne totum est maius sua parte, ergo. Secūda probatur. Illa quæ non sunt diffinibilia, non habent q̄d est, at principia cōplexa sūt indiffinibilia (complexorum .n. non est diffinitio tex. Arist. 7. diuinorum) igitur de eis nō præcognoscit q̄d est.

Secunda conclusio. De subiecto præsupponitur quid, & quia; Probatur. Medium in demōstratione oportet esse præcognitum, quo ad quid est, aliter de ignoto procederemus ad ignota. At medium in demonstratione est quod quid est subiecti, igitur. Probatur secundo, quod de eodem præsupponatur quia, De ente solum est scientia. At de subiecto est sciētia, ergo est ens, & habet esse.

Tertia cōclusio. De passione supponitur quid nominis, sed quia est quæritur. Probatur. Quod diffinitur habet quid est. At passio diffinitur, & est diffinibilis, igitur. Probatur secunda pars. Illud quod quæritur non supponitur, Sed quia est passionis quæritur per demonstrationem. Ergo non supponitur. Hæc omnia clara sunt, & magis suo loco patebunt.

Quoad tertium principale non immorabimur in impugnando singulas conclusiones, cum infra in ea quę ab Illustrissimo interprete adducuntur in medio, omnia, & singula simus examinaturi; sed solum aliquas dubitationes, vniuersales contra conclusiones apponemus. Primo igitur arguitur, quod non sint tantum duæ præcognitiones. Primo. Tria sunt præcognita, ergo tres præcognitiones; Probatur consequentia, quia de quolibet præcognito præcognoscitur aliquid.

Secundo, Vna est præcognitio, & vna non sunt plures, ergo.

Arguitur secundo, quod maior extremitas non possit prius tempore, & natura intelligi minore, & conclusione.

ne. Relatiua sunt simul intellectus, & natura, ita quod vnum non potest cognosci sine alio. Sed maior extremitas dicitur relatiue, & est correlatiuum conclusionis, igitur.

Secundo. Maior extremitas, aut vnico actu intelligitur cum conclusione, aut diuersis, Si primum habeo intentum, Si secundum ergo nunquã intelligetur simul cũ conclusione, quod tamẽ est contra Arist. in sequentibus.

Arguitur tertio, quod maior, & minor simul sumptæ non possunt intelligi cum conclusione. Nam impossibile est intellectum simul plura intelligere. At maior, minor, & conclusio sunt plura, ergo intellectus non potest hæc omnia simul intelligere.

Secundo. Causa efficiens præcedit suum effectum. At premissæ sunt causæ effectiuæ ipsius conclusionis. Ergo præcedunt &c.

Ad hæc argumenta respondendũ est breuiter, pro quanto facit ad intellectum nostrum. Vnde ad primũ dicitur, quod præcognitio potest dupliciter sumi. Primo in generali, vt dicit solum præcognitionem quia, vel quid. Secundo in speciali, nempe, vt dicit præcognitionem subiecti, passionis, vel principiorum, tunc negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod loquitur de tali præcognitione determinata ad subiectum, aut ad passionem, &c. & nos loquimur de præcognitione in vniuersali: Secũdo dicitur, quod non valet consequẽtia, quia est arguere ab inferiori ad superius, sicut non valet homo, & leo sũt animalia, ergo duplex est animal.

Ad secundum similiter dicitur primo, quod est falsum solum esse vnam præcognitionem imo sunt duæ. Scdo dico quod vna erit nomine præcognitio in speciali, duæ in vniuersali sumptæ re.

Ad primum secũdi dubij dicimus, quod relatiua esse simul natura &c. stat dupliciter. Primo formaliter, sumendo ea in quantum vnum refertur ad reliquum in actu exercito. Secundo fundamẽtaliter. i. vt res sunt, primo modo sunt simul, non secundo tunc dico ad minorem, quod maior extremitas, si sumatur vt applicata debite &c. ad conclusionem, est simul natura, & tẽpore vt infra dicit Arist. non tamen si sumatur vt res, & vt propositio, & non vt est huius propositio. Hinc dicimus, quod præmissæ vt propositiones considerata non necessitant, nec specificatiue, nec exercite voluntatem ad mouendum intellectum, vt ex eis deducat conclusionem. Sed si sumantur vt conclusioni applicatæ, intellectus necessario deducit conclusionem, quia causa est applicata in actu, & efficax.

Ad secundum dico quod tunc intelligitur diuersis actibus, sensus autem Arist. iam explicatus est.

Ad primum tertij dubij, dico primo, quod plura simul non contingit intelligere stat dupliciter. Primo vt plura sunt, & per modum plurium, & hoc est verum. Secundo vt vnum habet ordinem ad aliud vel per modum vnius, & sic plura possunt intelligi, sicut contingit quando præmissæ applicatæ sunt ad conclusionem. Vel dicendum est, quod aliud est intelligere plura, & aliud intelligere pluralitatem rerum; Primum potest stare non absolute, sed vt supra Secundum vero stat absolute, quia intellectus tunc non simul intelligit plures res, sed earum pluralitatem in vno vnitam. i. principiorum in conclusione, in eodem instanti.

Ad secundum dico, quod causa efficiens duplex est, quædam non applicata, & quædam applicata, non impedita & bene disposita: secunda est simul cum effectu, non prima, & præmisse simul cum conclusione sunt secundo modo, vt causæ effectiuæ con-

clu-

clusionum vt tenet. S. D. hic lect. 3. contra Durandum in 2. d. 2. q. 2. ad quartum. Nam per cognitione principiorum intellectus constituitur in actu primo l. quarta ad deducendam conclusionem, & ita medio eorum assensu deducit conclusionem, vnde assensus conclusionis, quod est assensus principiorum in conclusione inclusus quo vt tenet S. D. 1. 2. q. 8. a. 3. & q. 12. art. 4.

LECTIO IV. S. D. tertia.

Antequam sit inducere &c.

POstquã Arist. ostendit quod. Omnis doctrina &c. & etiam, quot essent praecognitiones, & quot praecognita, & quomodo maior quandoq; prius tempore, & natura cognoscitur conclusione, & quandoque simul tempore, nunc demum quaerit si aliquo modo conclusio, antequam per demonstrationem habeatur, praecognoscatur. Vnde & nos hoc tractando tria agemus. Primo per quasdam annotationes videbimus opinionem Platonis, & Arist. circa praecognitionem conclusionis. Secundo ponemus vnam conclusionem. Tertio dubitabimus circa illam, & quarto loco fere pro corrolario incipiemus tradere, quae ab Illustrissimo Caietano dicũtur in hoc capite, seorsum enim in gratiam Nouitiorum Thomistarum volo, quae ab hoc perspicacissimo viro dicuntur, explicare.

Arist. intentio. Quoad primum sciendum est primo, quod superius Arist. mentionem fecerat de praecognitionibus, & praecognitis, & de cognitione propositionis respectu conclusionis: Vnde poterat remanere dubium, vtrum conclusio ante demonstrationem aliquo modo cognoscatur, cuius quidem dubij, duas alias assignare possumus causas. Prima, quia de hac re maxima erat controuersia apud eum, & Platonem, quare vt dirueret oppositam partem, stabiliretque propriam sententiam mouet hoc dubium. Secunda quia superius dixerat, quod omnis doctrina &c. ex praeexistenti fit cognitione, vnde vt sciamus quomõ hoc conclusioni proprium est, & non principijs dubitat de hac re.

Conclusio ante demonstrationem cognoscitur virtualiter in praemissis. Secũdo ergo notandum est, quod Arist. respondendo huic dubitationi inquit, quod conclusio aliquo modo cognoscitur ante demonstrationem, & aliquo modo non. Vnde habeatis, quod res potest dupliciter cognosci. Primo in alio, & virtualiter: Secundo in se, & in actu: prima cognitio vocatur virtualis secundum, quid & in potentia, quia hoc pacto res non cognoscitur nisi in virtute, & potentia suae causę. Secunda vocatur actualis, per se, & perfecta, quia tunc res cognoscitur vt in se est. Arist. ergo dicit quod conclusio antequam sit demonstrata cognoscitur secundum quid, & virtualiter, quia cognoscitur solũ in praemissis, quae se habent vt causae conclusionis, vt vero habita per demonstrationem, cognoscitur per se, & perfecte.

Et effectiue ab eis deducitur. Tertio autem notate circa hanc rem, quod S. D. comparat pręmissas respectu conclusionis, ad causam efficientem respectu sui effectus. Vnde habeatis quod praemissę respectu cõclusionis concurrere possunt secundum duplicem genus causae. v. materialis, & efficientis, nam conclusio dupliciter considerari potest. Primo vt componitur ex maiori, & minori extremitate tanquam ex materia: Secundo vt deducitur ex praemissis; primo modo praemissae concurrunt vt causa materialis, quia ex ipsis fit conclusio: secundo modo vt causa efficiens, quia fit virtute eorum, S. autem Thomas assignauit solum praemissis rationem causae efficientis, quia ma-

magis eis conuenit.

Platonis opinio de nostro scire. Quarto notandum est circa opinionem Platonis, quod sicut superius habuistis tenebat animam ex hoc quod corpori infundebatur perfecta, quod etiam infunderetur plena scientia,& cognitione,& dicebat nostrum scire, non esse de nouo scire, sed esse quoddam reminisci, nam per demonstrationem excitabatur, (inquiebat ipse,) anima ad rememorandum ea, quæ prius sciebat, inducebatque in quodam suo dialogo quem Menonis appellabat ex nomine cuiusdam sui discipuli tale argumentum. Sumamus hominem imperitum (aiebat) nullam prorsus habere cognitionem de hac conclusione, quod tertia pars senarij, sit dualitas, tunc incipiamus ab illo quærere, nũ duo faciant dualitatem, inquiet sic, tunc dicamus, sed tertia pars senarij sunt duo, ergo &c. tunc ipse profecto dicet,& ego hoc sciebam, signum est ergo quod nostrum scire est quoddã reminisci. Arist. vero inquit quod talis cognoscebat conclusionem virtualiter in principijs, & hoc concedit, sed non perfecte, sed hoc fit virtute demonstrationis vnde nostrum scire non est reminisci.

Interpretatur. Quinto tamen notandum venit circa hanc rationem Platonis, quod quæ ab ipso dicta sunt, non sunt superficialiter intelligenda, quia semper sub vmbris, & figuris de superioribus locutus est, quare merito cognomen diuini sibi vendicauit, Non ergo erit ab re si ad bonum sensum eius reduxerimus opinionem. Potest ergo sic interpretari, quod cum tenuerit immortalitatem animæ, tenuerit etiam animam omnino immaterialem, nec alicui materiæ coniunctam, immaterialitas ergo cum sit fundamentum,& causa cognitionis secundum se, volebat inde asserere, quod fundamentum cognitionis reducebat ad actum quasi rememorando. Volebat ergo inferre, qđ anima est apta nata ex se, & p se intelligere,& scire, sed corpore impedit', ergo potius hæc scientia vocanda est reminiscentia, quam noua scientia, saltem totaliter. Sed sentiat quisque quid vult,& excuset Platonem si nimis attribuerit excellentiæ animæ excellẽtissimæ Dei creaturæ, quia errauit in pietate. Veritas tamen est animam infundi corpori tamquam tabulam rasam.

Cõclusio probatur. Quoad secundum ponitur hæc conclusio. Conclusio ante demonstrationem non cognoscitur nisi virtualiter,& in potẽtia. Probatur. Sicut se habet effectus nõdum productus, respectu suæ causæ naturalis, ita se habet conclusio respectu præmissarum. At effectus nõdum productus, est solum in potẽtia suæ causæ. Ergo etiam conclusio in præmissis erit solum in illis in potentia. Maior patet a simili, quia sicut causa efficiens producit effectum, ita etiam præmissæ effectiuæ producunt conclusionem. Minor patet, nec probatione indiget, & hæc est ratio adducta a S.D.

Quo ad tertium arguitur pro opinione Platonis sic. Causa efficiens perfectissima producit perfectissimũ suum effectum quantum potest, At Deus est causa animæ,& est perfectissimus agens, ergo producet animam perfectissimam, plenam omni virtute & scientia.

Secundo. Quia anima separata a corpore, multa intelligit, quorum cognitionem nullam habebat, dũ erat in corpore, igitur.

Argumẽta soluuntur. Ad primum faciliter respondetur dupliciter. Primo ad maiorem dicendo, quod valet de causa agente naturaliter,& non de agente libero, & operante secundum suam scientiam, modo negatur minor, quod Deus sit agens naturale &c. Secundo dico ad

can-

eandem maiorem, quod causa perfectissima producere suum effectum perfectissimum, stat dupliciter. Primo simpliciter, & hoc non. Secundo prout congruit productæ naturæ, & sic verum est, vnde essentia animæ est a Deo, habitus vero scientifici sūt acquisiti, quia sic conuenit animæ discurrenti.

Ad secundum respondendum est, quod verum est, quod anima separata a corpore multa intelligit, quæ nō intellexit in corpore, sed hæc scientia infunditur in anima tūc a Deo, quia tunc assequitur modum intelligendi substantiarum separatarum.

Ex Caietano Cap. primo.

QVoad quartum principale, quia, vt dixi, omnia quæ dicuntur a Caietano sunt per me recensenda, ideo in fine huius lectionis, circa ea duo agam solum. Primo assumam quot cōclusiones assumuntur in hoc tractatu. Secūdo annotabo seriem, & modum procedendi Arist.

Quoad primum quatuor ex hoc capite decerpuntur conclusiones. Prima. Omnis doctrina, & omnis disciplina &c. Probata est in omnib. sciētijs, & omnibus modis. In omnibus scientijs, quia scientiæ aut sunt practicæ, aut speculatiuæ, aut scientificæ, aut opinatiuæ. In scientijs speculatiuis probata fuit, per Mathematicas scientias, quæ fiunt ex præexistenti cognitione principiorum mathematicalium. In practicis per manuales, quia practicę habent & ipsę sua principia notiora, ex quibus procedunt. In scientificis, vt in Mathematicis, & Rhetoricis, nam Rhetorici persuadent vel per exempla notiora inductione, aut enthymemate .i. sylogismo desumpto ex particularibus. In opinatiuis ex topicis. Secundo etiam probauit eam in omni modo arguendi .s. sylogismo, inductione, enthymemate, & exemplo, quia omnis syllogismus, inductio, enthymema, & exemplum, ab aliquo notiori procedunt ad minus notum arguendo.

Secunda conclusio. Duæ sunt præcognitiones, & tria sunt præcognita. Probatur. De subiecto præcognoscitur quid, & quia: de principijs quia, de passione quid. Probatur, quia non eodem modo concurrunt in demonstratione.

Tertia cōclusio. Maior secundum se sumpta, prius tempore, & natura cognoscitur conclusione, vt vero applicata, prius natura, sed non tempore. Probatur, quia multę scientiæ hoc sibi vendicant.

Quarta conclusio est, Conclusio ante demonstrationem cognoscitur secundum quid, post simpliciter. Probatur, quia aliter conaremur concedere dubitationem Menonis, nos de nouo nihil addiscere, vt supra.

Quoad secundum primo sciendū est circa generalem omnium librorum Posteriorum, quod qui ordinate procedit, sequitur in docendo ordinem quæstionum, quatuor autem sunt quæstiones. Prima an est, quæ quærit an res sit, de qua venamur sciētiam. Secunda quid est, importans diffinitionem, naturam, & essentiā. Tertia quia est, quæ quærit de passionibus consequentibus essentiam, & naturam. Quarta propter quid est .s. quærens de causis. Arist. ergo vsus est hoc ordine. Primo enim quærit de an est, in hoc primo capitulo disputando vtrum omnis doctrina &c. Secundo quærit de quid est, a 2. cap. vsque ad 16. in quib. determinat quod demonstratio est ex primis, veris, &c. Tertio a 16. cap. vsque ad finem disputat de quia est .i. de passionibus demonstrationis v. de finitate, perfectione &c. Quarto loco in 2. lib. determinat de causis, & medijs.

Secundo notandum est circa ordinem huius capitis, quod in hoc differunt scientiæ necessariæ quæ vere sūt scientiæ, a scientijs quæ non sunt veræ scientiæ, sed vel sunt de accidentibus, vel corruptibilibus, quod quando in primis quærimus an res sit, cōcludendo quid sit, inferimus etiam quod necessariæ scientiæ nihil admittunt de contingentibus, & accidentalibus: Vnde cum hæc scientia sit necessaria, quærendo Arist. an demonstratio sit, determinat etiam de ipso fine, v. scire, quod necessario sit. Tertio determinat de omnibus, de quibus superius.

LECTIO V.

Circa dicta Caietani cap primo.

IN hac lectione duo habebitis. Primo aliqua notabilia circa secundā conclusionem. Secundo duo dubia circa eandem.

Quoad primum primo notandum est circa sufficientiam præcognitionis, quod cognitio duplex est. Quędā communiter dicta, ex qua generatur aliquis discursus non disciplinalis, sed vel topicus, vel sophysticus, vel incertus. Secunda proprie dicta, ex qua per demonstrationem generatur scientia, & discursus disciplinalis. Dum ergo dicimus quod duplex est præcognitio, non intelligimus de prę cognitione primo modo .i. de quacūque cognitione altera præcedente, sed proprie de præcognitione ex qua discursus scientificus fit. Vnde excludimus conclusionem vt est conclusio, & scientia argumentandi.

Secundo notandum est, quod hæc præcognitio propria necessario spectat ad primam, vel secundam operationem intellectus, obiectum autē primæ operationis intellectus est q d est .i. diffinitio rei, nam in prima operatione, intellectus non ratiocinatur an res sit, vel non, sed solum quid res sit apprehendit, obiectum vero secūdę operationis est complexum .i. propositio aliqua, quæ includit est, per affirmationem, vel negationem, & consequenter dicit esse, vel non esse. Hæc ergo mirā breuitate Arist. accipiendo quid absolute, inquantum potest esse quid rei, & quid nominis, & etiā quia .i. significans esse existentiæ, & esse veritatis, posuit duas præcognitiones solum, & tria pręcognita, quia quodlibet præcognitum continetur sub aliquo illorum membrorum.

Tertio notandum est quod Arist. non explicauit in tex. quidnam esset quid subiecti, & quid nam quia principiorum &c. Quia loquebatur pro vt conueniebat cuilibet præcognito & non erat opus multa discussione. Quid autem subiecti est quid rei, nam primo est quid, quia si est incōplexum, est quid rei, quia tale significat essentiam. Sed supponitur etiam de eo quia existentię, quia subiectum existentis passionis realiter, oportet vt realiter existat. De principijs vero supponitur quia, non quia existētiæ, sed quia veritatis propositionis, quia vt sic nihil aliud dicunt nisi esse verum, De passione vero supponitur quid nominis, quia eius quid rei quæritur, & non supponitur.

Quarto aduertendum est quod Aegidius Romanus & multi alij impugnant rationem S. D. ab ipso assignatam, cur de principijs non præcognoscatur quid rei, nam inquit cōplexorum non est diffinitio, & consequenter quid rei, at principia sunt complexa, ergo non habent diffinitionem. Ad maiorem respondent inquientes, complexorum non esse diffinitionem posse intelligi dupliciter, Primo loquēdo de diffinitione quid rei, & hoc quidem verum est, sed nō est ad propositum. Secundo de diffini-

ni-

nitione quid nominis, & hoc est falsum, & intentum ab Arist. vnde ratio S. D. peccat in æquiuoco.

Quinto ergo animaduertendum est pro defensione Angelici doctoris, quod in multis peccat istorum ratio. Primo quia falsum est, quod Arist. se limitet ad quid nominis, nam bene loquitur de quid nominis, sed non solum, verum etiam de quid rei. Et si aliquis obijciat, solum loquitur de quid nominis, quia eius verba ita stãt, quod quid dicitur, & non habet quid est rei. Respondendum est verba Arist. prægnantia esse, quia quamuis id quod dicitur, significet quid nominis, tamen supponit esse rei, de quo nomen dicitur. Et secũdo dico, quod tunc de passione loquebatur, cui proprie conuenit quid nominis, & tunc nullam mentionem fecit de principijs. Secundò peccat, quia aliud est posse aliquo modo habere quid nominis, & aliud est, vt sic, & absolute sumpta ea habere quid nominis. Primum verum est, sed vt dicebant etiã ipsi aduersarij, vt significantur nomine incomplexo, sicut historia Troiana potest significare aliquid per modum incomplexi, vocando eam Iliadem: Secundum tamen est falsum, quia vt sic cum significent complexum, & complexionem non significant nec quid nominis, nec quid rei, intentio autem Arist. & S. D. fuit loqui sicut decet Philosophos, de principijs complexis vt sic, id est vt complexa sunt. De eis tamen potest supponi quid nominis ratione terminorum vt Philopono, & Themistio placet, sed non vt complexa sunt, nisi vt supra.

Quoad secundum primum dubium est, vtrum, quando dicitur de subiecto præcognoscitur quid sit, intelligendum veniat de quid rei, vel potius de quid nominis, hinc & inde enim rationes sunt. Quod enim intelligendum sit de quid rei, videtur esse sententia aperta Aristot. Quod autem de quid nominis probatur. Primo, quia cum anima sit subiectũ in libris de anima, & demonstratio in libris Posteriorum, Aristot. quærit & nõ præsupponit eorum quid, id est diffinitionem, vnde formetur sic ratio. Illud esse non præsupponitur, quod quæritur, sed esse alicuius subiecti quæritur, sicut patet de anima in libris de Anima, & de demonstratione in hoc opere, ergo non præsupponitur. Secundo si de subiecto quid est præsupponeretur, sequeretur quod cuiuscunque rei deberemus præsupponere quid rei, sed hoc impossibile est in scientia de Deo, de Angelis, de Sole, Luna, &c. cum eorum quid lateat ergo. Tertio, quia Mathematici demonstrant Lunam ecclipsari, ignorando definitionem Lunæ.

Pro solutione huius dubij duo faciemus. Primo adnotabimus aliqua fundamenta. Secundo respondebimus argumentis.

Quo ad primum sciendum est quid nam sibi vendicent significata quid nominis, & quid rei. Quid nominis idem sonat, quod quidditas nominis, id est, quid namper nomen importetur. Quid rei vero significat essentiam, naturam, & diffinitionẽ rei, primum dicitur quid dicitur, secundum quid est, quod dicitur.

Secundo adnotate discrimina inter quid nominis, & quid rei. Primum ergo discrimen est, quod ea, quæ diffiniuntur diffinitione quid nominis, si debeant diffiniri secundum eorum essentiam oportet, vt in eorum diffinitione admittant subiectum, vnde diffinitio horum vocatur per additamentum. Ea vero quæ diffiniũtur diffinitione quid rei nihil extraneum admittunt. Secunda differentia est, quod eiusdem rei

possunt esse multæ diffinitiones quid nominis, si circumscribatur per diuersos respectus; Vnius rei autem non potest esse nisi vna diffinitio quid rei, idest, perfecta, vnde hæc quidditatiua, illa descriptiua diffinitio vocatur. Tertia differentia est, quod diffinitio quid rei non potest esse nisi existentium diffinitio autem quid nominis potest etiã esse non existentium, sicut quandoque diffinitur vacuum, & chimera.

Tertio autem notandum est quod duplex est scientia, quædam a priori, quæ habetur per causam, & quædam a posteriori, quæ habetur per signa, vel effectus. In scientia a priori oportet supponere quid rei de subiecto, in scientia autem a posteriori non, vt docet Arist. infra cap. 2. nam supponimus quid nominis vtẽdo ipso quid nominis, ac si esset quid rei.

Ad argumentum ergo posset quis respondere ad minorem, quod quandoque quæratur esse subiecti ab aliquo scientifico, potest intelligi dupliciter. Primo inquantum est talis scientificus, v. g. vt demonstrator diffiniat suum subiectum, vt demonstrator, Animasticus suum, vt animasticus. Secundo vt hi induunt habitum metaphysicum, & quod qd rei Metaphysici, & vt vtendo habitu Metaphysico vniuersalissimo possunt probare hoc, & illud subiectum: Primum negandum est: secundum admittendum, Hæc respõsio tamen non est admittenda, quia venari diffinitionem non ex vniuersalibus principijs, sed ex proprijs, nõ est Metaphysici, sed talis artificis, sic fecit Philosophus illis in locis, vt cõstat. Dicitur ergo quod scientia secatur in duas partes: prima quarũ vocatur par principiorũ seu prohemialis Altera vocatur ꝓprie scientifica, in qua ex principijs deducũntur cõclusiones. In prima parte licebit ꝓbare quid subiecti, quia est vnum principiorum scientiæ, non autem in secũda, quia tunc demonstratiuo discursu procedimus, non præsupponendo, sed inuestigando esse rei. In prima ergo parte Aristoteles subiectũ vt supra diffiniuit, & de eo egit, & non in secunda. Sed adhuc remanet scrupulus, quia quando diffinitur materiale per formale est procedere demonstratiuo discursu, at Arist. in hoc lib. inuestigat demonstrationis quid materiale, per causam finalem, idest per ipsum scire. Ad hoc respondendum est, quod hoc fit per accidens, sicut etiam per accidens, primę operationi intellectus admiscet quandoque secunda, ab ijs autem, quæ sunt per accidens, non est sumendum argumentum. Secundo respondetur non esse inconueniens vnam diffinitionem notificari per alteram respectu nostrĩ a posteriori, & non a priori. Contra tamen hanc sententiam Caietani inuehit Toletus argnendo eam. Primo quia est contra textum Arist. loquentis de quid est significatum per nomen. Secundo, quia multæ sunt demonstrationes a priori, in quibus non supponitur quid rei subiecti, sicut patet quod Astrologi demonstrant ecclipsim Lunæ per suam causam, & tamen non cognoscunt naturam Lunæ, & ita etiam in Mathematicis. Respondetur tamen quod sicut qd nominis habet latitudinem, & non vnico modo dicitur, ita etiam quid rei: vnde falsum est Arist. loqui de quid nominis tantum, quia in scientia a priori supponitur quid rei subiecti, quia quid rei subiecti est causa passionis, medium autem in demõstratione debet esse cognitum, in sciẽtia vero a posteriori supponitur quid nominis, quia in huiusmodi demonstrationibus vtimur diffinitione effectum, loco diffinitionis subiecti.

Vnde

Vnde ad primum non aliter respõdendum est, quam vt respondimus ad Aegidium.

Ad secundum dicendum est, quod Astrologus & Mathematicus demonstrando ecclipsim, &c. cognoscunt quid rei prout sufficit ad sciendum hanc causam, non enim necessarium est in omnibus scire quid rei quoad omnia, quia nec etiam possumus habere demonstrationem horum per omnes causas, sed sufficiet prout rei quidditas expostulat, & admittit. Secundo dicitur, quod aliud est loqui de quid rei in Mathematicis, vt Mathematice considerantur, & aliud vt proprie. Et ideo res vt res sunt Physice speculantur. Mathematicus enim abstrhait a materia secũdum rẽ & ideo non considerat quid est rei secundum existentiam, sed secundũ rationem suam Mathematicam, verbi gratia quatenus Luna est ecclipsabilis, &c. non quatenus est talis res Physica, & ideo abstrahit ab esse, & definitione naturæ Lunę, sed considerans Lunam in sciẽtia Lunæ vt res est non, & per hoc patet ad tertium.

LECTIO VI. Cap. 1.

IN hac lectione tria agam. Primo proponam aliqua dubia proposita a Caiet. Secundo firmabo veritatem quibusdam fundamentis respondentibus ad quæstionem. Tertio soluam omnes dubitationes.

Quo ad primum dubium. Primum in hac lectione soluendum est illud de existentia subiecti. Dubitatur ergo Primo, an quando dicitur quod de subiecto præsupponitur quia, intelligatur de quia existentiæ, vel de quia veritatis propositionis. Quod enim intelligatur de esse existentiæ probatur, quia illud esse de subiecto præsupponitur secundum Porphirium, quo substat passioni, sed subiectum non substat passioni, nisi vt existit in rebus, igitur.

In oppositum tamen est, quia scientia absthrait ab esse actualis existentiæ.

Secundo, quia sequeretur puta, quod scientia de Rosa quandoque supponeret falsum, id est, eo tempore, quo omnes rosæ destructæ sunt, &c.

Secundum dubium est, num cum dicimus quod de passione quid præsupponitur, hoc quid sit quid rei, vel quid nominis. Quod enim sit præsupponendum quid rei videtur, quia medium oportet esse præcognitum, at medium est quod quid est passionis, vt habetur 2. Post. ergo.

In oppositum sunt verba Aristot. in præsenti loco inquientis, quod de subiecto præsupponitur quid significat nomen, &c.

Tertium dubium est circa causam assignatam, cur de pasione non præcognoscatur quia, ratio enim est, quia esse passionis quæritur, & non præsupponitur contra hanc rationẽ insto. Esse pasionis potest præcognosci, & tamen demonstrari quod huic insit, ergo falsa est ratio quod de pasione non præcognoscatur qa, quoniam quæritur per demonstrationem. Assumptum probatur, dum quærimus an cęlum sit rotundum, an terra sit sphærica, profectò nouimus rotunditatem, &c. esse in rerum natura.

Quartum dubium est circa rationem assignatam, cur de passione non præsupponatur quid rei, ratio est qa esse passionis quæritur, cum esse passionis sit inesse, & ante demonstrationem non cognoscamus passionem inesse. Contra, aliud est dicere non cognoscimus passionem inesse, & aliud huic inesse, primum falsum est,

secun-

ſecundum verum, ſed non ad propoſitum Ariſt.

Quintum dubium eſt circa quartam cõcluſionem. Concluſio aliquo modo præcognita eſt ante demonſtrationem, ergo quatuor ſunt præcognita. Probatur ſequela, quia etiam ipſa aliquo modo eſt præcognita.

Quoad ſecundum primo ſciendũ eſt circa primum dubium, quod ſubiectum ſit in rerum natura neceſſe eſſe ſupponere poteſt dupliciter intelligi. Primo ſemper, & inuariabiliter, ita vt nunquam deficiat. Secundo quod quidem ſit, ſed non ſemper, ſed temporibus ſuis .i. quando aptũ natum eſt exiſtere. Secundo modo intelligimus de ſubiecto eſſe ſupponendum quia exiſtentiæ, & non primo modo, quia roſa, quæ eſt ſubiectũ in ſcientia de roſa, non ſemper exiſtit, ſed tantum in vere.

Secundo notate, quod quodam ſubiectum põt habere indiuidua perpetua, & quoddã nõ continua, ſed variabilia, & mutabilia. Reſpectu ſubiecti habentis indiuidua perpetua, & continua, oportet ſupponere ſubiectum eſſe ſemper: reſpectu autem ſubiecti ſecundo modo ſumpti temporibus ſuis, vti ſuperius diximus. Caue autem ne fallatis intelligendo ſubiectum debere exiſtere in actu ad hoc vt ſit ſcibile abſolute, hoc enim falsũ eſt cum poſſit ſciri vt poſſibile. Dicimus enim de eo non eſſe ſciennam vt de ente in actu, niſi ſit in actu vt ſupra.

Tertio notandum eſt quod hic loquimur de ſubiecto ſcientiæ realis, nã in rationabilibus ſufficit ſubiectũ ſolum eſſe in eſſe obiectiuo, & non exiſtentiæ.

Quarto notandæ ſunt probationes quibus probari poteſt, quod quia exiſtentiæ ſupponitur de ſubiecto. Prima. Illud eſſe de ſubiecto ſupponitur, quod de eo non poteſt probari, at eſſe exiſtentiæ de ſubiecto non poteſt probari ergo. Maior nota. Minor probatur auctoritate Cõmentatoris, qui ait, nullam ſcientiam probare ſuum ſubiectum quoad eſſe exiſtentiæ, neque a priori, neque a poſteriori. Sed dicet aliquis, quod auctoritas Commentatoris non eſt abſolute intelligenda, & de omni ſubiecto, ſed ſolum de ſubſtantijs ſeparatis, in quibus non differt eſſe, & poſſe, vnde ſupponere de ipſis poſſe eſſe, eſt ſupponere eſſe. Contra probatur vniuerſaliter propoſitio, Primo quia eſſe, & poſſe in perpetuis differunt formaliter .i. quoad ſibi propria, & etiam quoad actus, quamuis duratione, ſeu quoad potẽtiam paſſiuam idem ſint, cum ergo ſermo eius ſit de eſſe, & poſſe formaliter, eadem ratio ſeruatur in iſtis, & in illis. Secundo, quia quamuis particularia horum inferiorum corrumpantur, tamen rationes vniuerſales horum, de quibus ſolum eſt ſcientia, tantum ſunt perpetuæ, quantum ſunt intelligentiæ, quare eſt eadẽ ratio de illis, & iſtis. Multas alias rationes cõgerit Caiet. quas putamus ſuperfluas, & omittendas.

Ad primum ergo dubium dicimus, quod de ſubiecto præſupponitur quia eſt exiſtentiæ. Et ad primũ argumentum reſpondimus, quod exiſtentia duplex eſt, quædam ſingularis, exiſtens in ſingularibus, puta in Franciſco, Petro, Antonio &c. & quædam vniuerſalis, quæ potius vocatur ratio exiſtentiæ ſingularium, quæ exiſtit in iſto, & illo ſingulari, ſcientia abſtrahit a prima exiſtentia de qua non habemus ſermonem, & non a ſecunda de qua proprie loquimur. Eſſe autem eſſentiæ ſupponi de ſubiecto clarum eſt in his quæ vt entia poſſibilia ſciuntur, nam de impoſſibilibus vt de vacuo, & infinito nõ eſt opus, quia eis repugnat.

Primo autem notandum eſt circa ſecun-

secundum dubium, quod quid rei, & quid nominis dupliciter sumi possunt. Primo formaliter, idest inquantum differunt proprijs & formalibus differentijs superius annotatis. Vel secundo possunt considerari materialiter, i. inquantum quandoque respectu alicuius rei non habentis propriã diffinitionem, seu quando ad interrogationem de quid nominis, respondemus per essentialia propria, & sic materialiter, idest respectu rei, quandoque coincidere videntur, vnde ad interrogationem quid, respondemus quandoque per essentialia, quandoque per propria.

Secundo adnotandum est circa idem dubium, quod duplex est quæstio, & demonstratio de passione, quędam vocatur quia est, in qua habemus quod passio inest subiecto: quædam vero vocatur propter quid est, in qua cognoscimus quod oportet vt passio insit subiecto. Tunc dicimus, quod in demonstratione quia est, impossibile est formaliter præcognoscere de passione quid rei. Probatur, Quod quæritur, non præsupponitur, at esse .i. quid rei passionis quæritur in demonstratione, quia est, quoniam hac demonstratione ostenditur inesse subiecto, igitur nõ pręsupponitur, materialiter tamen accipiendo quid rei, pro quid nominis potest aliquo modo præcognosci. In demonstratione autem propter quid est, non est inconueniens, quod præcognoscatur quid rei. Probatur; Secundum ordinem quæstionum sunt ordines præcognitionum, at cognita quæstione quia est, cognoscim⁹ de re esse ipsius, ergo in demõstratione propter quid, quæ est vltima, cognoscetur quid rei, quia quæstio quia est, prior est quæstione propter quid est, & consequenter prius cognoscetur quia, antequã propter quid.

Tertio notandum est pro solutione vltimi dubij, quod aliud est dicere, quod cõclusio cognoscatur in pręmissis in potentia, & aliud virtualiter vel secundum quidnam primum est falsum proprie loquẽdo, quia cognoscere in potentia non est cognoscere aliquo modo rem esse. Secũdum vero verum est, quia cognoscitur vt iam deducenda.

Ad secundum igitur respondemus dupliciter, primo quod de necessitate existentiæ subiecti possumus loqui dupliciter. Primo in acquisitione sciẽtiæ, vt puta, dum acquirimus scientiã de rosa: Secundo in vsu acquisitę sciẽtiæ, i. quando nouimus rosam esse, & etiam suas passiones. Primo modo necessario supponendum est subiectum existere, quia iam supponimus rem esse, & si illo tempore non esset. Secundo respondeo vt supra, quod supponere subiectum existere stat dupliciter, primo semper, secundo temporibus suis, sublatis impedientibus, & impedimentis: dixi temporibus .i. vt habeat quandoque esse: dixi sublatis &c. quia non est recurendum ad destruat Deus, loquimur enim naturaliter, & sic supponitur de subiecto existentia.

Ad secundum dubium principale respondetur, primo quod medium in demonstratione passionis est formaliter quid nominis passionis, in demonstratione quia; si autem loquamur de demõstratione propter quid, conceditur totum, sed de hoc Arist. non loquebatur in hoc loco, vnde patet quod de passione præsupponitur quid nominis, & quæritur quid rei.

Ad tertium principale respondetur dupliciter. Primo quod de passione possumus loqui bifariam, primo materialiter .i. de illa re quæ passio est v.g. de risibilitate vt quædam res est. Secundo formaliter vt est passio huius, vt risibilitas est passio, puta ho

minis,

minis, & sic loquimur de passione formaliter. Tunc ad argumentum concedimns quod possumus cognoscere passionem esse, & tamen non esse passionem huius, sed non est ad propositum nostrum, quia loquimur de passione formaliter, vt est huius passio, sic.n. formaliter loquitur S D. Scdo respõdetur, quod passionem esse præcognitam quoad esse ante demonstrationem, potest intelligi dupliciter: Primo necessario, & semper, & hoc falsum est, quia quæritur. Secundo per accidens, & hoc aliquando accidit, sed S. D. loquitur de his, quæ conueniunt præcognitis per se, & in demonstratione a priori in qua per causam cõcludimus effectum .i. per subiectum passionem, nam in demonstratione a posteriori prius effectus cognoscitur.

Ad quartum principale dicitur, quod habere cognitionem de esse passionis stat dupliciter. Primo vt sic, vt est etiam alicuius rei: vel secundo vt habet esse in suo proprio subiecto. Secundum est quod quæritur in demonstratione, quia propriam generat cognitionem de passione, & non primum secundũ quod procedit argumentum, possumus igitur scire passionem inhęrere subiecto sed possumus etiam ignorare propriam passionẽ inhęrere suo adæquato, & proprio subiecto.

Ad quintum resp. quod esse pręcognitum stat dupliciter, Primo per se & absolute, inquantum cognitum secundum se terminat actum intellectus. Secundo in alio, vel aliquo modo, quæ duæ sunt conditiones diminuentes. Primo modo solũ sunt tria præcognita, quia conclusio non cognoscitur nisi virtualiter, & non absolute in præmisis, & non secundum se, & de istis solum præcognitis loquebatur Arist. Secundo autem modo aliqualiter cognoscitur conclusio, sed non est ad propositum nostrum. Vnde dicimus tria esse præcognita simpliciter, & absolute, quatuor vero secundum quid, addendo conclusionem, quæ præcognoscitur secundum quid id est, virtualiter, & in principijs, & non actualiter nisi postquam deducta est ex ipsis.

LECTIO VII. S. D. 4.

Scire autem opinamur, &c.

POstquã Aristot. egit de an est demonstrationis, nunc tractat de ipso quid, tractando de eius diffinitione. Vnde in expeditione huius capitis multa erunt agenda, sed pro nunc tria tantum tangemus. Primo declarabimus de more solito intentum Arist. consuetis annotationib. Secundo ponemus conclusionem elicitam ex textu. Tertio dubitabimus circa eam.

Quo ad primum, primo notandum est, quod cuiuslibet rei detur duplex diffinitio contingit dupliciter: Primo quidditatiua, & hoc quidem falsum est, si illa sit completa, & perfecta, deturque solum per essentialia. Secundo potest intelligi qđ sint plures diffinitiones descriptiuæ, vel etiam quidditatiuę, quæ dentur tam per actus intrinsecos, sed partiales, & hoc quidem verum est, nan de ipso scire dantur hic ab Arist. duæ diffinitiones, vna per causam materialem, altera per formalem. *Vnius rei una est diffinitio qđ quidditatiu*

Secundo notandum est, quod aliqua dicatur diffinitio formalis, & alia materialis, potest intelligi dupliciter. Primo proprie, id est, quia dãtur per varam causam formalem. Secundo communiter, quidatur per aliquid habens rationem actus, & formæ, secundum, quod etiam dicitur, quod diffinitio superior respecte inferioris, se habet vt formalis. *Et formalis dupliciter.*

lis. Primo modo hæc diffinitio non est formalis, quia non datur per causam formalem, sed finalem, sed secundo modo formalis est, quia finis respectu materiæ, se habet vt actus. Vnde dum Arist. diffiniuit demonstrationem dicendo. Scire est rem per causam &c. diffinit vera diffinitione formali.

Simpliciter. Tertio tamen notandum venit, quod ex hoc quod aliqua dicitur definitio formalis, q̃a datur per causam superiorem, inferre licet quod. Duplex erit diffinitio formalis formalitate communiter dicta. Quædam dicetur formalis simpliciter, idest, quæ datur per causam superiorem simpliciter, & talis diffinitio non erit nisi illa quæ datur per causam finalem; Altera nuncupabitur formalis in respectu .i. respectu causæ materialis, & sic illa quæ dabitur per causam efficientem, & formalem dicetur formalis diffinitio. Hæc autem quia est per causam finalem primam inter causas simpliciter, vocabatur simpliciter formalis.

Scire simpliciter ẽ per causam. Quarto ergo diffinitur sic scire (ꝙ est cōcretum sciẽtiæ, vel melius eius actus secūdus.) Scire esse rem ꝑ causam cognoscere, & quoniam illius est causa, & non contingit aliter se habere; Quę diffinitio a Phil. sic probatur, quia tam scientes, quā non, tunc existimāt aliquid scire, cum causam vel cognoscunt, vel arbitrantur se cognoscere. Vnde aduertendum est, quod dupliciter dicimus aliquid scire. Primo modo simpliciter, dum rem cognoscimus per suam causam, & vt est in seipsa. Secundo modo dicimus aliquid scire secundum quid, & hoc tribus modis. Primo cognoscendo aliquid in alio, vt cognoscendo parietem in domo. Secundo cognoscendo per aliquod accidens. Sicut si scirem venientem, dicerem nosce Coriscū, quia Coriscus est veniens. Tertio modo cognoscendo effectū in sua causa. Arist. hic diffinit scire simpliciter, vnde inquit in textu, scire simpliciter, & non sophistico modo &c. nam secundum scire tribus modis superius recitatis, committuntur fallaciæ, & sophismata. Scire autem simpliciter non sibi ab intrinseco vendicat euidentiā, sed certitudinem, vnde Theologia nostra est scientia certa, & si non euidens, nisi vt coniungitur scientię beatorum.

Quinto ad notandum venit, quod tale scire simpliciter debet habere has cōditiones. Prima quod sit scire per causam, & non per accidens, vel in alio, vel per effectum. Secunda est, quod sit scire non per quamcumque causam. v. remotam, vel per accidens, sed per propriam causam, & ideo Phil. inquit quod scire est rē per causam, &c. & quoniam illius est causa, idest cognoscatur, vt eius propria causa. Tertia est, quod sit causa necessaria, & nō corruptibilis, vel contingens, &c. vnde & subdit, & non contingat aliter se habere. *Propriã, & necessariam.*

Sexto notandum est circa diffinitionem materialem, quod Aristot. ex hoc quod scire est rem per causam cognoscere, &c. deducit, quod demonstratio (intellige a priori & perfectissima) erit ex primis, veris, immediatis, &c. & ratio est, quoniā scire simpliciter, est scire perfectissimo modo, & ideo merito dicitur, quod demonstratio debet esse ex primis, &c. Vnde notandum est circa illam primam particulam, ex primis; quod dupliciter exponi potest. Primo vt sit sensus ex vniuersalissimis, idest primis principijs, quæ vt declabitur non. ingrediuntur formaliter demonstrationem. Secundo vt sit sensus ex primis, idest proximis, & immediatis, & sic existimo exponendum esse textum, quia hæc sunt *Demonstratio est ex primis*

illa principia ex quibus postea constat tanquam ex principijs suis formalibus demonstratio.

Veris; immediatis & c. Septimo notandum est, quod demonstratio vlterius requirit vt sit ex veris, immediatis, &c. quæ omnia sigillatim probat Aristoteles. Primo ergo probat quod sit ex primis & veris vniuersaliter, quia syllogismus distinguitur a demonstratione, quia demonstratio generat scientiam, & ideo debet esse ex causis, quæ scientiam pariunt, vt sunt illa, quæ procedunt ex primis, & veris &c. syllogismus autem v. topicus, quia non generat scientiam, sed opinionem, potest esse, non ex primis, veris &c. Secundo loco in particulari probat singulas particulas. Primo quidẽ quod sit ex veris, quia quod non est, non scitur, cum verum tantum cum ente conuertatur, vnde non possumus scire verbi gratia diametrum esse symetrum .i. cõmensurabilem lateri quadrati, quia hoc non potest dari, nec ex falsis deducitur verum posterioristice, & si prioristice. Secundo probat quod sit ex primis, & immediatis .i. indemonstrabilibus. Cætera patent, & patebunt in dicendis.

Contra tamen vtranque diffinitionem sunt aliqua argumenta, quæ quoniam multum fauent claritati rei, ea propono. Primo ergo arguitur contra primum diffinitionem .s. quod demonstratio sit syllogismus faciens scire, quia intellectus agens, & obiectum faciunt scire, & tamen non sunt syllogismi.

Secundo. Nihil fit dum est. Sed demonstratio dum est, scire est, ergo fit, dũ est. Hoc falsũ, ergo & assumptũ.

Tertio. Scire est rẽ per causam cognoscere; Sed demonstratio non est causa rei Ergo.

Quarto. Quæ ponuntur in diffinitione alicuius, debent prædicari in recto, & in quid de diffinito. Sed scire non prædicatur de demonstratione in recto, nec in quid, quia falsa est hęc propositio. Demonstratio est scire, ergo.

Quinto. Diffinitio datur per genus, & differentias. At in hac differentiæ non apparent.

Sexto. Angeli sciunt, & non per causas, quia non discurrunt a causis ad effectus, ergo male dicitur, quod scire sit rem per causam cognoscere.

Septimo. Demonstratio non ostendit medium esse causam conclusionis, sed tantum procedit ex causa ad scientiam. At non sufficit cognoscere causam, sed quoniam illius est causa. Ergo.

Octauo. Multæ sunt demonstrationes potissimę, quæ non procedunt ex causis, v.g. ex immutabilitate Dei arguimus, quod sit æternus demonstratione, & tamen æternitas nõ habet causam sicut nec Deus.

Nono. Si demonstratio esset ex causis, semper procederet ex notioribus natura. Hoc falsum, quia procederet ex ignotis nobis, cum eadem non sint nota nobis, & naturæ.

Secundo arguitur contra secundũ diffinitionem v. quod demonstratio sit ex primis, veris, immediatis, notioribus, prioribus, & causis conclusiodis. Primo. Prima principia non ingrediuntur formaliter demonstrationem, ergo male dicitur, quod demonstratio sit ex primis:

Secundo. Propinquum, & immediatum idem sunt, primum vero, & immediatum opponuntur, si ergo demonstratio est ex primis, male dicitur, quod sit ex immediatis.

Tertio. Immediatum non potest demonstrari. Sed premissæ demonstrationis possunt probari, quia principia subalternatę probantur per subalternantem.

Quarto. Demõstratio procedit ex proprijs, sempiternis &c. & tamẽ istę parti-

particulæ non ponuntur in eius diffinitione.

Quinto. Primum est prius, male ergo, & superflue apponitur ex primis,& prioribus.

Sexto. Vna diffinitio demonstratiuo discursu probatur ex altera,& tamen diffinitio est, propositio immediata, ergo demonstratio non est ex immediatis.

Septimo. Cū qualis est, talē producit effectum, si ergo demonstratio est ex causis, ergo non ex notioribus, sed tantum eodem modo notis.

Argumēta soluunt Ad primum contra primam conclusionem dicitur, quod intellectus agens, obiectum, & demonstratio concurrunt ad scire sed diuersimode Intellectus quidem effectiue, quia ab eo, est cognitio, obiectum obiectiue, quia est res cognita per intellectum, & demonstratio instrumentaliter, quia se habet vt instrumentum intellectus ad habendum ipsum scire, & ita ens rationis .i. demonstratio causat ens reale .i. scire, sed instrumentaliter.

Ad secundum dicitur, quod demō stratio, & scire simul sunt tempore, natura non, quia demonstratio est causa ipsius scire.

Ad tertium dicendum est, quod syllogismus demonstratiuus, quamuis non sit causa rei, est tamen causa cognitionis rei, de cognitione autem nos loquimur. Et ita scire finaliter causat demonstrationem, & demonstratio effectiue instrumentaliter producit scire.

Ad quartum dicendum est, quod dupliciter aliqua ponuntur in diffinitione. Primo vt spectātia ad essentiam,& hæc debent prædicari de diffinito in recto. Secundo vt principia intrinseca diffiniti, sicut est demonstratio, quæ causat scire,& sic ista possunt poni in obliquo. Quare sufficit vt hæc sit vera. Demōstratio causat scire, vel ipsum scire est, ex demonstratione. Ita scire definitur vt accidens definitione per additamentum dicite compositum compositione Metaphysicali .i. ex genere, & differentia. Nam sufficit quod definitum sit compositum, vel compositione naturali, vel Metaphysica secundum Arist. 7. diuinorum tex. 19.

Ad quintum dicitur, quod habere genus & differentiam stat dupliciter. Primo actualiter,& explicite, & sic hæc definitio non habet. Secūdo virtualiter, & implicite, & sic habet, nam cognoscere ponitur loco generis & ly certa,& euidens ad excludēdos errores, & cognitiones opinatiuas &c. Vel dicendum quod intelligitur demonstrationem esse syllogismum, qui est genus ad syllogismum topicum, & demonstratiuum.

Ad sextum dicitur, quod scire per causas stat dupliciter. Primo discurrendo ex causis ad effectus. Secundo simpliciter cognoscendo simul causas,& effectus,& sic Angeli sciunt. Vel dicitur secundo, quod aliud est cognoscere effectū ex causa, & aliud in causa. Primum ponit discursum, & talis cognitio non est in Angelis, quia est discursiua, & fit post cognitionem alterius noti. Secundum vero simul ponit duo cognita quia simul cognoscuntur. Vel dicitur tertio, quod aliud est loqui de scire, & aliud de tali scire .s. demonstratiue ex parte cognoscentis. Primum est in Angelis, Secundum nequaquam & hoc solum hic diffinitur.

Ad septimum dicitur, quod demō stratio applicata, causæ applicatæ ad effectum, facit cognoscere per causam talem, & de hac loquimur, non de causa in sua generalitate.

Ad octauum dicitur, quod tales demonstrationes habent causas non in essendo physicas, sed in cognoscendo metaphysicas, quæ virtualiter pos-

sunt dici veræ causæ, quia si res valeret habere causam, non haberet nisi illam, vt æternitas si posset habere causam, non haberet nisi ipsam immutabilitatem, sed de hoc infra.

Ad nonum dicitur, quod aliud est loqui de scire in inuentione, & aliud in sua firmitate, & stabilitate. Primo modo procedimus ex notioribus nobis, & ex effectibus. Secundo vero ne nequaquam sed per causas, & tunc firmius adheremus cognitioni &c.

Ad primum contra secundam diffinitionem dicitur, quod primum dicitur dupliciter. Primo simpliciter, & sic primum principium, seu prima principia non ingrediuntur formaliter, sed tantum virtualiter demonstrationem. Secundo dicitur in respectu .s. conclusionis, & sic ingreditur.

Ad secundum dicendum, quod primum est duplex, quodam in descensu, & hoc distinguitur ab immediato, aliud in ascensu, & resolutione rei in sua principia, & sic tale primũ est immediatum, & proximum.

Ad tertium dicitur, quod premissę demonstrationis, seu principia dupliciter considerari possunt. Primo vt premissæ, & principia formaliter, & sic non possunt probari. Secundo vt conclusiones sunt in subalternante, & premissæ in subalternata, & sic probantur.

Ad quartum dicitur, quod illæ particulæ subintelliguntur, quia si est ex causis, quæ veræ causæ sunt, erit ex proprijs, & si ex prioribus notioribus &c. ex sempiternis, & si ex primis, ex principijs, & sic discurrendo.

Ad quintum dicitur, quod distinguuntur secundum rationem, quia prius dicitur in respectu posterioris, & primum dicitur absolute secundum rem.

Ad sextum dicitur, quod propositiones, quæ sunt dignitates, & principia prima simpliciter, nullo modo possunt probari, sed propositiones, quæ in aliquo genere dicuntur indemonstrabiles, vt diffinitiones, & non simpliciter, probari possunt, vt argumentum probat.

Ad septimum dicitur, quod maior valet de causa vniuoca, non de analoga, vt sunt præmissę in claritate, respectu conclusionis.

LECTIO VIII.

S.D. quinta & sexta.

Est autem principium demonstrationis &c.

IN superiori lectione habuim^9 vtrãque diffinitionem demonstrationis, nunc restat vt aliqua videamus pro complemento, & dilucidatione diffinitionis materialis. Quare secundum vsum tria agemus. Primo solitis notationibus delucidamus verũ. Secundo ponentur conclusiones. Tertio dubia, & solutiones.

Quoad primum primo notãdum est, quod superius aiebat Arist. demõstrationem esse ex immediatis, vnde ne per incognitia procederemus, videndum erat, quæ nam essent immediatę propositiones. Diffinit ergo hic Arist. propositionem immediatam dicendo, Propositio immediata est, qua non est altera prior .i. propositio immediata non habet alteram priorem qua possit probari, quia si posset per priorem propositionem probari, non esset immediata, sed mediata .i. haberet medium quo medio posset probari, & hæc sunt quæ ab Arist. dicuntur in textu. *Immediata propositio quæ.*

Secundo tamen notandum est, qđ propositio immediata duplex est. Quædam immediata simpliciter .i. quæ non habet medium absolute, & simpliciter, ita vt non possit vllo medio *Duplex est.*

dio probari, sicut sunt maximæ, & dignitates, seu prima principia v. g. Idem non potest simul esse, & non esse, & de eodem nõ potest verificari simul affirmatio, & negatio, & istæ propositiones immediatæ non possunt vllo medio probari, quia cõponuntur ex vniuersalissimis terminis. Quædam vero vocantur propositiones immediatæ in genere, quæ .s. in tali genere non possunt probari, & quæ per principia illius scientiæ non possunt probari, sicut in mathematicis, quod inter duo puncta detur linea. Hic Arist. diffinit propositionem immediatam secundo modo, & non primo. Probatur, quia loquit de propositione immediata, quæ ingreditur demonstrationem. At talis est solum propositio immediata in genere, nam prima principia non ingrediuntur demonstrationem, nisi virtualiter.

Negatiua, & affirmatiua Tertio notandum est, quod propositio immediata duplex est. Quædã negatiua, in qua vnum negatur de altero, v g. dicendo quantitas non est qualitas. Altera vocatur affirmatiua, in qua vnum affirmatur, immo est de ratione alterius. Item sciendum est, quod differentia est inter propositionem immediatam, & principium, nã principium secundum se significat complexionem, & consequenter esse, vel non esse: Propositio vero potest esse incomplexa, puta si assumeretur diffinitio alicuius rei vt sic, vt dicendo, homo est animal rationale. Hic tamen stat pro vt significat complexionem, quia sic est principium demonstrationis, secundum quod considera tur hic.

Propositio bifariam sumitur. Quarto notandum venit, quod Arist. deinde tradit diffinitionem propositionis dicendo. Propositio est enuntiationis altera pars, vnum de vno significans. Vnde habeatis, quod propositio dupliciter sumitur. Primo vniuersaliter, prout ab Arist. in primo perhier. diffinitur, quod est oratio verum, vel falsum significans indicando, vnde potest affirmari de propositione tam affirmatiua, quam negatiua. Alio modo sumitur propositio strictius, inquantum determinate est affirmatiua, vel negatiua; i. vt est altera pars enuntiationis, & sic consideratur hic, quia sic est præmissa demonstrationis.

Habet quatuor species. Quinto notandum est, quod postquam Arist. diffinivit propositionem immediatam diuidit eam in species suas, quæ sunt quatuor v. positio, dignitas, suppositio, & diffinitio. Positio est oratio quam non oportet demonstrare, sed ponere, & acceptare pro vera, vt hæc. Omne totum est maius sua parte; vnde de ratione positionis est, quod sit nota, & supposita tanquã vera in illa scientia, ita vt non habeat in illa scientia principium per quod possit probari, vnde suppositio quasi idem sonat quod positio. Dignitas autem sic dicta quia ob suam euidentiam est digna vt ab omnibus acceptetur, dicitur maxima, quam necesse est acceptare vt cognitam, & concessam ab omnibus, neque de ea contingit dubitare, saltem in illa scientia. Suppositio est propositio affirmatiua, vel negatiua indemonstrabilis in illa scientia in qua sumitur, & addiscente supponitur &c. Habeas autem positionem duplicem esse. Prima dicitur formalis, & talis est propositio, & non definitio. Secunda dicitur virtualis, & hæc est definitio ex qua proxime potest effici propositio, ordinatur enim ex sua natura ad demonstrandas passiones de suo subiecto, nõ sic definitum, nisi remote.

Dignitas & positio differunt. Sexto videndum est quomodo differant dignitas, & positio. Primo ergo proprie, & principaliter differũt, quia dignitati repugnat posse demonstrari, dignitas n. est naturaliter cognita. Positioni autem non repugnat posse

posse demonstrari in alia. Secunda differentia est, quia dignitatem quisque approbat absque alio discursu, positionem autem acceptat quidem, sed non taliter ei assentit, quin videat eã indigere aliquo discursu, quia sciens videt illam posse probari per aliqua notiora, quare ei statim non assentit.

Quoad secundum principale duæ conclusiones eliciuntur ex tex. Prima est. Propositio immediata, est qua nõ est altera prior. Probatur. Illa est propositio immediata, quæ non habet medium quo possit probari, ergo nõ est illa aliqua prior. Probatur antecedens. Quia si haberet medium, quo posset probari, non esset notior, prior, nec immediata.

Secunda conclusio. Quatuor sunt species propositionis. Probatur. Quia non possunt inueniri alię species, quæ non contineantur sub illis.

Quoad tertium arguitur primo contra primam conclusionem. Illa est propositio immediata in qua prædicatum est de ratione subiecti. At talis est hæc. Deus est, & tamen probatur a philosophis. Ergo.

Secundo. Hæc est propositio immediata, Homo est risibilis, quia immediate prædicatur de suo subijcibili. At hæc propositio potest per aliam priorem probari, nempe per istam, quia homo est rationalis. Igitur.

Tertio. Data quacunque propositione immediata in aliqua scientia, adhuc potest probari per primum principium, igitur nulla erit propositio immediata.

Quarto. Nulla videtur esse propositio immediata, quia si aliqua propositio esset immediata, profecto esset illa, in qua diffinitio de suo diffinito prædicatur. At hoc si esset, diffinitio materialis non posset probari per finalem, sicut facit phi. de demonstratione, Igitur.

Ad primum respondetur, quod propositio immediata duplex est. Quædam immediata secundum se, & secundum suam naturam, v. quæ secundum se non habet medium quo possit probari. Altera vero vocatur immediata respectu nostri, quia prædicatum est, & cognoscitur esse de ratione subiecti. Prima nõ potest a priori, nec secundum se probari, potest tamen per effectus, & a posteriori .i. respectu aliquorum effectuum apud nos magis notorũ notificari, sicut contingit in propositione allegata in argumento, vnde argumentum nullum est.

Argumẽta soluunt

Ad secundum nego assumptum, quia talis propositio potest probari, vt adducitur in argumento. Respondet tamen Flandrensis, quod duplex est immediatio .s. prædicationis in qua prædicatum prædicatur immediate, & per se de subiecto, altera vocatur causalitatis .i. quæ non habet aliam propositionem priorem, tanquam causam suæ notitiæ, & euidentiæ, & de hac loquitur Arist. at argumentum procedit primo modo, de quo non est ad propositum.

Ad tertium respondetur, quod sufficit vt in eodem genere causæ non habeat aliam priorem, & notiorem propositionem, & si simpliciter possit habere .i. primum principium, vt explicatum est.

Ad quartum respondetur sicut ad tertium.

LECTIO IX.

Circa dicta Caietani in secundo cap.

POstquam explicauimus, principalia circa textum, nunc vt institutum nostrum est, ea quæ a Caietano dicuntur dicemus. Tria ergo agemus in hac lectione. Primo examinabimus aliqua epilogando capitulum. Secundo adducemus aliquas annotatio-

tationes. Tertio quædam dubia cum suis solutionibus.

Quoad primum igitur primo notã dum est, quod Caietanus summatim diuidit præsens capitulum in duas conclusiones, in vnam propositionẽ, in vnam distinctionem, diuisionẽ, sub diuisionem, & tria corrolaria. Prima conclusio est. Demonstratio est ex veris. Probatur. Quod non est, non est scire. Item ex primis, & immediatis, quia non sciet non habens demonstrationem illorum. Item ex causis, quia tunc arbitramur aliquid scire, cũ causas cognoscimus. Item ex prioribus, quia ex causis, quæ sunt effecti bus, & in essendo, ex parte rei, & etiã in inferendo ex parte intellectus nostri priores. Item ex notioribus, quoad quid, & quia. Probatur. Quia est ex causis. Secunda conclusio est. Principia non solum præcognoscuntur ante conclusionem, verum etiam magis ipsa cognoscuntur. Prob. dupliciter. Primo ostensione a priori, sic. Propter quod vnumquodque est, & illud magis. i. si amo magistrum propter disci pulum, ergo magis amo discipulum. At propter principia cognoscimus cõ clusiones, igitur principia sunt magis nota. Secũdo deducendo ad impossi bile. Quia sic sequeretur, quod esset melius dispositus. i. magis sciret sciẽs, i. habens notitiam conclusionum, q̃ habens notitiam principiorum, qui dicitur intelligens. Propositio est. Tunc arbitramur aliquid scire, cum causas cognoscimus &c. Probatur. Quia quod accipitur communiter tãquam causa scientiæ, & notitiæ dicitur facere proprium scire, sed tam intelligentes quam non, tunc opinantur aliquid scire, cum causas cognoscunt. Ergo.

Ad hanc determinationem subiũgit Arist. multa.

Primum. Quod principium demõ strationis, est propositio immediata, & quod propositio immediata est qua non est altera prior. Secundũ, quod propositio est ennuntiationis altera pars, in qua vnum de vno affirmatur. Tertium, quod dialectica disputat de vtraque parte demonstrationis, idest de affirmatiua, & negatiua. Quartum, quod demonstratiua scientia demonstrat solum vnam partem, v. affirmatiuam, vel solam negatiuam. Quintum, quod ennunciatio est quælibet pars contraditionis, idest esse, & non esse. Sextum, quod contraditio est opppsitio, in qua non est dare medium, intelligo per participationem. Septimum quod pars contradictionis duplex est, idest affir matio, & negatio.

Diuisio cõsistit quod quatuor sunt species propositionis immediatæ, v. positio, dignitas, suppositio, & diffinitio. Subdiuisio est, quod positio q̃doque est suppositio, i. supponere esse, quandoque diffinitio. i. esse suppositionis.

Corrolaria ad primum conclusionem sunt tria. Primum. Illud quod simpliciter scitur, necessarium oportet esse.

Secundum. Scire tunc dicimur aliquid, cum proprie rem illam cognoscimus per demonstrationem.

Tertium. Demonstratio vocatur syllogismus faciens scire.

Secundo essent notandæ rationes ordinis, sed hæc videte in Caietano.

Quoad secundum primo occurit notandum circa illam particulam, quod demonstratio fit ex veris, quia quod non est non est scire, hæc inquam propositio potest dupliciter intelligi. Primo quod non est. i. quod non existit in rerum natura non est scire. i. de eo non est sciẽtia, taliter quod si de aliqua re debemus habere scientiam, necesse est ꝙ existat. Secundo potest sic intelligi, quod non est. i. quod non alicui inhæret,

hæret non est scire, non absolute, sed illi inhærere. Primus sensus non est bonus. Probatur primo, quia intendit probare quod prima principia vera sint, at prima principia non dicũt esse ex: stentiæ, sed veritatis rei. Secũdo, quia multa possumus scire, & de superioribus, puta de futura eclipsi, & de inferioribus, puta de rosa in hyeme, & tamen tunc non extiterat. Secundus ergo sensus intentus est, q̃a ab eo quod res est .i. alteri inhæret, dicitur oratio vera, vel falsa. Vnde ex hoc reprehenditur vana solicitudo Aegidij, qui hic disputauit, num de his quæ non existunt, sit scientia, non enim hoc Arist. intellexit.

Secundo notandum etiam circa illam particulam, quod demonstratio est ex causis, quod duplex est causa rei scitæ. Quædam vocatur causa in essendo, & cognoscendo simul, quæ nempe causat rem scitam, & etiam cognitionem rei scitæ. Quædam vero vocatur causa solum in cognoscendo, quæ nempe solum causat cognitionem rei scitæ. Nulli dubium esse dẽt, quin Arist. hic loquatur de causa in essendo &c. cum in tex. hæc verba habeantur. Scire est rem per causam cognoscere, propter quam res est &c.

Tertio notandum, quod causa in essendo duplex est. Quædam vocatur causa realis in essendo, quæ nempe realiter causat in aliquo quatuor generum causarum effectus, v. vel effectiue, vel formaliter, vel materialiter, vel finaliter, & hæc causalitas nõ saluatur nisi inter veram causam vere, & realiter, & secundum existentiam causantem effectum, & semper distinguitur hæc causa realiter a suo effectu, sicut rationalitas est vera & realis, risibilitatis causa, distinctaq. a risibilitate. Alia vocatur virtualiter causa in essendo, quæ non vere, & realiter causat, sed nominãda potius est causa, seu conditio talis rei, vt immutabilitas omnimoda Dei non est causa suæ æternitatis, sed est ratio, q̃a si æternitas haberet causam profecto nulla alia esset, quam æternitas.

Quarto aduertendum est circa illam particulam, quod diffinitio demonstrationis est ex notioribus nobis vtroq. modo, quod conclusio potest dupliciter cõsiderari. Primo modo quo ad formam, id est in quantum talis conclusio necessario deducitur ex talibus præmissis, quæ consideratio non est nisi quo ad illationem cõclusionis. Secundo potest considerari quo ad materiam, id est in quantũ tales præmissæ sunt aptæ natæ ad deducendam talem conclusionem, id est sunt propriæ causæ huius passionis demonstratæ in conclusione, & vtroque modo secundum Arist. conclusio est minus nota præmissis. Hoc aũt intelligas vt ex notitia illarum deducitur, nã aliunde poterit habere aliam notitiam experimentalem secundum S. D.

Quinto notandi sunt circa differẽtiã ꝓpositionis immediatę duo termini. Primus ly immediata. Secundus ly prior. Immediatum enim idem sonat, quod sine medio, duplex autem medium est. Quoddam in essendo, id est nõ habens medium quo ad esse rei. Aliud vero vocatur medium in cognoscendo, nempe quod se habet vt principium notius ipsa propositione immediata. Tunc quãdo negamus a propositione immediata medium, loquimur de medio in essendo, id est secundum rem, non habet medium, quo mediante secundũ se possit probari. Aliud est medium in cognoscendo. v. quod causat cognitionem, vnde quædam propositiones habebunt rationem medij in cognoscendo, & non in essendo, sicut dum probamus Deum esse, nam hæc propositio est immediata ratione sui,

idest

idest in essendo, non autē in cognoscendo, quia probatur a posteriori. Negatur ergo a propositione in essendo medium in essendo, & non in cognoscendo, absolute.

Sexto circa secundum terminum, idest prior notandum est, quod non excluditur a propositione immediata quæcunque prioritas, quia saltem principium est prius, sed solum prioritas alterius propositionis, sicut superius ostensum est.

Quoad tertium dubium est stantibus supradictis annotationib. num dum Aristot. ait, quod demonstratio est ex causis, loquatur de vere, & realiter causantibus, aut vero de causis, quæ se possunt habere vt rationes rerum, secundum quod explicuimus in tertio notando. Quod enim intelligendus sit, primo modo, ex eo videtur. Primo, quia causa in hoc a principio distinguitur, quod vere, & realiter causat. At Arist. inquit, quod demonstratio est ex causis, ergo ex veris causis &c. Maior patet, quia punctum dicitur principium lineæ, non tamen causa.

Secundo confirmatur, quia Arist. fecit expressam mentionem, quod demonstratio est ex primis, & causis, ergo signum est quod intelligebat, demonstrationē esse ex proprijs causis, quia alrer esset idem cum ly primis, & commisisset superfluitatem.

Tertio confirmatur. Quia inquit, quod demonstratio seu scire est rem per causam cognoscere, propter quā res est, sed ly propter significat propriam causalitatem ergo.

In oppositum autem est, quia demonstrationes Metaphysicæ procedunt per causas secundo modo, at tales sunt demonstrationes optimæ. Ergo.

Pro solutione huius dubij notandum est, quod duplex est demonstratio. Prima dicitur simpliciter, .i. a priori. Secunda dicitur quia, .i. a posteriori, de prima solum hic loquimur.

Secundo notandum est, quod duplex est demonstratio simpliciter. Quædam ex natura rei scibilis, quæ supponit quod conclusio habeat secū dum se medium, & nobis nota non sit nisi demonstratione, & discursu; Quædam vero vocatur demonstratio simpliciter respectu nostri, quæ v. secundum se cognita esse posset, sed ratione nostri offuscati luminis nota non sit, nisi demonstratiuo discursu. Tunc dicendum, quod demōstratio simpliciter ex natura rei scibilis, procedit ex causis primo modo, secunda autem secundo modo. Vnde dicendum esset hoc modo, quod demonstrationes Metap. non clauduntur sub diffinitione demonstrationis hic tradita. Sed melius dicēdum est, quod loquebatur de omni demonstratione absolute, & vniuersaliter.

Ad primum ergo resp. quod causa, & principium apud latinos distinguntur, apud Græcos vero non, vnde cum Arist. græco scripserit idiomate, vno termino vtitur pro alio quandoque.

Ad confirmationem primam respondetur, quod Arist. per prima intellexit prima principia immediata scientiæ, & per causam intellexit medium continens causam rei scitę, quare negatur assumptum.

Ad tertium negatur quod ly propter significet veram causalitatem, nam eo vtimur etiam in causis secundo modo dictis.

Ad argumentū tamen melius vnico verbo responderi potest dicendo, quod demonstratio procedit ex veris causis, vel formaliter .i. quæ vere causant, vel virtualiter .i. si effectus haberent causam, vel possent habere illa talis, & non alia esset &c. vnde immaterialitas non est formaliter vera causa æternitatis, sed virtualiter, quia

Vu si æter-

si æternitas haberet causam, profecto nullam haberet aliam, quam immutabilitatem, & hoc modo loquendi vtitur sæpe Arist.

LECTIO X.

IN hac lectione nihil aliud faciendum est, nisi ordinate persequi tradita a Caietano.

Primo ergo dubitatur circa diffinitionem propositionis immediatæ, quia non videtur bona diffinitio, illa enim non est bona diffinitio, quæ nō competit omni contento sub diffinito. At diffinitio propositionis immediatæ, non conuenit omni immediatæ propositioni. Ergo. Maior patet. Minor probatur. Illa vere est propositio immediata, quæ demonstratur a priori. At diffinitio materialis demōstratur a priori per diffinitionem formalem, & talis est immediata. Probatur, quia inter diffinitionem & diffinitum, non est medium.

Secundo ergo notandum est, quod propositio immediata duplex est. Quędam secundum se, i. quæ secundum se non habet medium, vnde nullo modo secundum se potest probari. Quædam vero vocatur immediata ratione nostri, quæ sumatur sub illis terminis importatis in propositione, nullo medio probanda est, & si respectu nostri probetur per nobis notiora.

Tertio respondetur ad argumentum dicendo, quod nulla propositio immediata secundum se, potest probari ratione sui, licet aliqua quæ secundum se est immediata, probari possit ratione nostri, quia est mediata ratione nostri, & tales sunt propositiones, & diffinitiones materiales, quæ probantur per diffinitiones finales.

Quarto notandum circa explicationem factam a S. D. circa propositionem immediatam, quod inquit S. D. propositio immediata est illa, in qua prædicatum est de ratione subiecti, hoc autem dupliciter potest intelligi. Primo vniuersaliter, ita vt necesse sit quod si aliqua est propositio immediata, oporteat prædicatum esse de ratione subiecti, & hoc falsum est, quia quando vnum generalissimorū negatur de alio, est propositio immediata & tamen subiectum non affirmatur, sed negatur de alio. Secundo vt hoc quidem verum sit, sed cum hac additione non solum, & sic intelligendus est.

Quinto erit immorandum circa illam propositionem Arist. & circa multiplices eius interpretationes, propter quod vnūquodque tale, & illud magis. Prima ergo expositio ē S. Th. hoc in loco, & p. p. q. art. 87. & c. & est, opus esse, vt causa, & effectus (in vno tamē genere causæ,) conueniāt in nomine, & ratione, si enim cō uenerit, causa habet aliquid dignius, & sic semper verificatur vel formaliter, vel virtualiter sicut posset probari per multa exēpla. Valet enim. Homo est calidus propter ignem, ergo ignis est magis calidus, quia caliditas vtroque conuenit, at non sic ebrietas vino, & homini, vnde nō valet. Homo est ebrius, propter vinum, ergo vinum est magis ebrium. Alias glossas alijs in locis assignat quas omnes D. Caietanus mira subtilitate hic ad hāc habentem, & includentem multas particulas reducit, & sic verificatur in omni genere causarum. Glossa ergo est, quod tenet, quando nomen totius accepti effectus, reflectitur cum diuersitate, supra suam veram causā. Dixi primo totius accepti effectus, qa in effectu duo considerare possumus, vnum quod habet tamum ex sua causa, secundum quod habet, aliun-

de. Id

de. Id totũ ergo, quod in effectu est, oportet vt a causa tali propter quam dicitur esse, recipiat; vnde non valet. Sortes est homo propter platonem, ergo Plato est magis homo, quia quãuis sortes sit homo, non tamen est ho mo, quia Plato est homo; sed est homo per rationalitatem. Secundo dicitur reflectitur supra veram causam, quia reflexio debet fieri sẽper ex virtute causæ, sicut dicimus, Luna est lucida propter Solem, ergo Sol erit magis lucidus, vera enim reflexio fit sic dicendo, Luna est lucida, quia Sol est lucidus, ergo Sol erit magis lucidus; non valet tamen, color videtur propter speciem, ergo species magis videtur, quia non fit vera reflexio dicẽdo, Color videtur, quia species videtur, quia species non videtur, sed est medium quo color videtur. Tertio dixi supra veram, seu vere causam, vt intelligamus, quod illa sit causa intrinseca, conueniens in vna ratione cũ effectu, vnde non valet. Tempus est quantum propter motum, ergo motus est magis quantus, quia tempus est quantum intrinsece, & motus intrinsece non est quantus, nisi denominatione extrinseca. Sic autem accepta hæc propositio verificatur in omni genere causæ. In genere quidem causæ effectiuæ; vnde valet. Conclusio cognoscitũ propter præmissas. Ergo magis præmissæ cognoscuntur, nam sic fit reflexio, vt dicendo. Conclusio cognoscitur propter præmissas, ergo magis præmissæ cognoscuntur. In genere causę formalis dicendo, materia est ens propter formam, ergo magis forma est ens, reflectitur enim sic. Materia est ens, qa forma est, ens ergo. in genere causæ finalis valet dicendo, Magister amatur propter puerum, ergo puer magis amatur, sic enim fit reflexio, Magister amatur, quia puer amatur, ergo. In genere causæ materialis affirmando. Quantitas est subiectum sequentium accidentium propter compositum, ergo erit magis compositum, sic fit reflexio. Quantitas est subiectum accidentiũ, quia compositum est subiectum, ergo Quamuis autem hæc glossa vere tollat omnes difficultates, tamen addo ad maiorem explicationem quatuor alias glosas. Prima est, quod vnum prædicatum vtrique conueniat, & vni propter aliud, si enim vel non cõueniat vtrique, vel non vni propter aliud, nan valebit, vnde nõ valet. Deambulo pp sanitatem, ergo sanitas magis deambulat, nam sanitati non conuenit deambulare. Secunda est vt prædicatum vtrique conueniens, & vni propter aliud suscipiat magis, & minus, vnde defectu huius non sequitur. Sortes est homo vel risibilis propter platonem patrem, ergo Plato pater est magis homo, quia homo idest substantia, & risibile .i. propria passio non suscipiũt magis & minus. Ita nec valet. Filius habet a patre ꝙ spiret Spiritum Sanctum. Ergo pater magis spirabit, nam vna est virtus spiratiua. Tertia vt sit in effectibus positiuis, & non in negatiuis, vnde non licet arguere. Non diligo mũdum propter Deum, ergo minus diligo Deum, quia non diligere est negatio. Quarta vt non sint diuersa prædicata &c.

Vltimo loco dubitandum venit contra illam propositionem. Quod intelligens est melius dispositus quã sciens, i. habente habitum conclusionum (sic enim hanc propositionem interpretantur Albertus & S.D.) Cõtra autem aliqui arguunt sic. Primo habens vtrunque habitum .s. principiorum, & conclusionum est melius dispositus, quam habens solum habitum principiorum, Sed sciens habet vtrunque habitum, quia in conclusione continentur princip.a actualiter, habens vero habitum principiorum,

non habet nisi conclusionem virtualiter, ergo melius est dispositus sciens &c.

Secundo. Idem non potest esse sciens, & melius dispositus quã sciẽs. Cum ergo Arist. dicat neque melius dispositus quam sciens, videtur, quod intellexerit de habente cognitionem principiorum .s. vt non sit melius dispositus, quam sciens.

Tertio. Quia cognitio ĩ actu est nobilior cognitione ĩ potẽtia. Sed sciẽs, per conclusionem scit in actu, & sciẽs per principia tantum scit in potentia, ergo non est melius dispositus.

Antequam formaliter soluantur argumenta notandum est, quod intelligens & sciens dupliciter considerari possunt. Primo vt sciens includit etiam cognitionem principiorum, qa .s. est sciens & intelligens. Secũdo vt præcise, & seorsum sumuntur .s. ex vna parte tantum habens cognitionẽ principiorum, & ex altera parte habens tantum cognitionem conclusionum. Primo modo procul dubio sciẽs est melius dispositus intelligente, qa habet vtrunque habitum, vnde nos loquimur secundo modo, & sic dicimus quod melius est dispositus intelligens, quam sciens. Probatur primo. Quia quod est euidens per se, dicitur magis euidens saltem in ratione causandi euidentiam, quam euidens per aliud. Sed principia per se euidentia sunt, conclusiones vero non sunt euidentes, nisi vt deducuntur ex euidentia principiorum, ergo.

Secundo. Quia notitia principiorũ est euidentior, & certior notitia conclusionum, vt dicitur hic in textu.

Tertio. Quia causa euidentiæ principiorum, est causa maioris euidentiæ, quam deductio ex principijs, qũ omnis euidentia, & cognitio sit ex lumine intellectus agentis. At principia cognoscuntur lumine intellectus agẽtis, conclusiones uero per demonstrationem, ideo dicuntur magis disponere, & nobilius, intelligentẽ sciente.

Ad primum ergo dicitur, quod ꝓcedit de sciente, ut includit cognitionem principiorum, & nos loquimur vt distinguuntur.

Ad secundum similiter dicitur, qđ sciens vt includit intelligentem, potest esse melius dispositus, ipsomet sciente, non autem vt distinguitur, sic primo modo locutus est Arist.

Ad tertium dicendum est quod habitus principiorum, & conclusionum dupliciter cõsiderari possunt. Primo vt unum includit aliud, sicut principia conclusiones in potentia, & conclusiones principia in actu, & sic nobilior est notitia conclusionum. Secundo vt per se & seorsum cognoscuntur, principia per lumen proprium intellectus agentis, & cõclusiones per lumen deductum ex principijs, & sic dicimus melius esse dispositum intelligentem sciente. Scias autem hic veritatem non suscipere magis, & minus formaliter, .i. vt dicit adequationem intellectus cũ re intellecta, fundamentaliter autem .i. ratione rei in qua fundatur vtique. quia vna est altera magis ens, perfectior &c. ut docet. S. D. q. 2. de ueritat. art. 9. Et ita principia dicuntur veriora .i. certiora cõclusione, & una conclusio altera.

Cap. tertium.

LECTIO XI.

Circa tex. S. D. 7. & 8.

Quibusdam quidem igitur &c.

IN præsenti lectione immorabor circa exclusionem duorum errorum procedentium ex dictis in superioribus, u. quod principia & conclusiones sciuntur (supponitur .n. secundum ueritatem dari scientia). Primo

mo ergo annotabo aliqua: secundo loco ponam duas conclusiones philosophi, primam contra primum errorem, secundam contra secundum, & tertio loco dubitabo, & dubitationes soluam.

Errores duo circa scientiam nostram. Primo ergo notandum quod philosophus in textu assignat duos errores circa scientiam nostram, quoniam aliqui existimauerunt nullius rei esse scientiam; quia cum omnis scientia sit per demonstrationem dicebant, aut deueniendum est ad principia aliqua demonstrationis, aut in infinitum est procedendum. Si primum, talia principia erũt ignota, quia non habemus priora ex quibus possint cognosci. Si secundum, non cognoscuntur, quia infinitum non est pertransibile, & cognoscibile. Alij tamen dixerunt omnium rerum esse scientiam & per demonstrationem, sed circularem, quæ duę opiniones sunt falsę, & hic reiectę ab Arist. vt videbimus, quando ponemus conclusiones.

Ordo. Secundo notandum est circa ordinem, quod male videtur Arist. postquam ostendit quid est demonstrationis, dubitare circa ipsum an est eius, cum an est præcedat quæstionẽ quid est. Cui tacitę difficultati philos. respondebat, quod duplex est quid, s. nominis, & quid rei, & quod quæstio quid nominis potest præcedere quæstionem an est, quando quid rei est obscurum, sicut Arist. 4. phys. prius tradit quid vacuum significet, deinde disputat an detur vacuum. Sed hæc responsio est falsa, quia iam diffinita est demonstr. tio diffinitione quid: ei in secundo cap. Ideo primo dicere possumus, quod quæstio an est per se præcedit quæstionem quid est, per accidens vero non, quando s. res potest per se diffiniri sine quæstione an est, quia cõstat esse. Diffiniuit ergo Arist. demonstrationem, & quia ex eius diffinitione, sciuit quosdam peccasse circa eius intentionẽ, ideo nunc immoratur circa exclusionem illorum errorum. Dicitur secundo quod hi errores sunt circa scientiam, & non circa demonstrationem, quia supradicti errantes concedebant demonstrationem, & negabant scientiam vt sic, vel omnium volebant esse scientiam, sed per malam demonstrationem, i. circularem.

Scientia dupliciter sumitur. Tertio notandum circa primum errorem, quod scientia dupliciter sumitur. Primo communiter pro quacunque cognitione, siue sit complexa, siue incomplexa, siue conclusionum. Secundo proprie, vt est cognitio tantum conclusionum per demonstratiõnem, & vt distinguitur a cognitione principiorum, quia cognitio principiorum, primo dependet ex simplici notitia terminorum, scientia vero ex notitia propositionum complexarũ, scilicet maioris, & minoris. Secundo quia cognitio principiorum habetur per primam operatioñe intellectus, conclusionum per secundam & tertiam .s. per compositionem, & discursum. Tertio, quia cognitio principiorum non dependet ab alia cognitione formaliter, vt est cognitio principiorum, cognitio vero conclusionum dependet ex cognitione principiorũ, in quibus est status. Nos loquimur de scientia secundo modo, antiqui autẽ sumpserunt scientiam primo modo, vnde probabant, quod sicut cognitio conclusionum dependet ex cognitione principiorum, ita cognitio principiorum dependeret ex alia cognitione principiorum, & sic in infinitum.

Principia sunt per se nota. Quarto notandum, quod sicut corpora lucida sunt in duplici differentia, quia quædam sunt ex se lucida, vt Sol, gemmę, &c. & alia sunt lucida per lumen ab alio receptum, vt corpora opaca, sic etiam quædam ex se cognoscibilia sunt, ex solo lumine intel-

non habet nisi conclusionem virtualiter, ergo melius est dispositus sciens &c.

Secundo. Idem non potest esse sciens, & melius dispositus quã sciẽs. Cum ergo Arist. dicat neque melius dispositus quam sciens, videtur, quod intellexerit de habente cognitionem principiorum .s. vt non sit melius dispositus, quam sciens.

Tertio. Quia cognitio ĩ actu est nobilior cognitione ĩ potẽtia. Sed sciẽs, per conclusionem scit in actu, & sciẽs per principia tantum scit in potentia, ergo non est melius dispositus.

Antequam formaliter soluantur argumenta notandum est, quod intelligens & sciens dupliciter considerari possunt. Primo vt sciens includit etiam cognitionem principiorum, qa .s. est sciens & intelligens. Secũdo vt præcise, & seorsum sumuntur .s. ex vna parte tantum habens cognitionẽ principiorum, & ex altera parte habens tantum cognitionem conclusionum. Primo modo procul dubio sciẽs est melius dispositus intelligente, qa habet vtrunque habitum, vnde nos loquimur secundo modo, & sic dicimus quod melius est dispositus intelligens, quam sciens. Probatur primo. Quia quod est euidens per se, dicitur magis euidens saltem in ratione causandi euidentiam, quam euidens per aliud. Sed principia per se euidentia sunt, conclusiones vero non sunt euidentes, nisi vt deducuntur ex euidentia principiorum, ergo.

Secundo. Quia notitia principiorũ est euidentior, & certior notitia conclusionum, vt dicitur hic in textu.

Tertio. Quia causa euidentiæ principiorum, est causa maioris euidentiæ, quam deductio ex principijs, cũ omnis euidentia, & cognitio fit ex lumine intellectus agentis. At principia cognoscuntur lumine intellectus agẽtis, conclusiones uero per demonstrationem, ideo dicuntur magis dispo-nere, & nobilius, intelligentẽ sciente

Ad primum ergo dicitur, quod pcedit de sciente, ut includit cognitionem principiorum, & nos loquimur vt distinguuntur.

Ad secundum similiter dicitur, qđ sciens vt includit intelligentem, potest esse melius dispositus, ipsomet sciente, non autem vt distinguitur, sic primo modo locutus est Arist.

Ad tertium dicendum est quod habitus principiorum, & conclusionum dupliciter cõsiderari possunt. Primo vt unum includit aliud, sicut principia conclusiones in potentia, & conclusiones principia in actu, & sic nobilior est notitia conclusionum. Secundo. vt per se & seorsum cognoscuntur, principia per lumen proprium intellectus agentis, & cõclusiones per lumen deductum ex principijs, & sic dicimus melius esse dispositum intelligentem sciente. Scias autem hic veritatem non suscipere magis, & minus formaliter .i. vt dicit adæquationem intellectus cũ re intellecta, fundamentaliter autem .i. ratione rei in qua fundatur vtique. quia vna est altera magis ens, perfectior &c. ut docet S. D. q. 2. de ueri. art. 9. Et ita prĩcipia dicuntur veriora .i. certiora cõclusione, & una conclusio altera.

Cap. tertium.

LECTIO XI.

Circa tex. S. D. 7. & 8.

Quibusdam quidem igitur &c.

IN præsenti lectione immorabor circa exclusionem duorum errorum procedentium ex dictis in superioribus, u. quod principia & conclusiones sciuntur (supponitur .n. secundum ueritatem dari scientia). Primo

mo ergo annotabo aliqua: secundo loco ponam duas conclusiones philosophi, primam contra primum errorem, secundam contra secundum, & tertio loco dubitabo, & dubitationes soluam.

Errores duo circa scientiam nostram.

Primo ergo notandum quod philosophus in textu assignat duos errores circa scientiam nostram, quoniam aliqui existimauerunt nullius rei esse scientiam, quia cum omnis scientia sit per demonstrationem dicebant, aut deueniendum est ad principia aliqua demonstrationis, aut in infinitum est procedendum. Si primum, talia principia erũt ignota, quia non habemus priora ex quibus possint cognosci. Si secundum, non cognoscuntur, quia infinitum non est pertransibile, & cognoscibile. Alij tamen dixerunt omnium rerum esse scientiam & per demonstrationem, sed circularem, quæ duę opiniones sunt falsę, & hic reiectę ab Arist. vt videbimus, quando ponemus conclusiones.

Ordo.

Secundo notandum est circa ordinem, quod male videtur Arist. postquam ostendit quid est demonstrationis, dubitare circa ipsum an est eius, cum an est præcedat quæstionẽ quid est. Cui taciię difficultati philos. respondebat, quod duplex est quid, s. nominis, & quid rei, & quod quæstio quid nominis potest præcedere quæstionem an est, quando quid rei est obscurum, sicut Arist. 4. phys. prius tradit quid vacuum significet, deinde disputat an detur vacuum. Sed hæc responsio est falsa, quia iam diffinita est demonstratio diffinitione quid: ei in secundo cap. Ideo primo dicere possumus, quod quæstio an est per se præcedit quæstionem quid est, per accidens vero non, quando s. res potest per se diffiniri sine quæstione an est, quia cõstat esse. Diffiniuit ergo Arist. demonstrationem, & quia ex eius diffinitione, sciuit quosdam peccasse circa eius intentionẽ, ideo nunc immoratur circa exclusionem illorum errorum. Dicitur secundo quod hi errores sunt circa scientiam, & non circa demonstrationem, quia supradicti errantes concedebant demonstrationem, & negabant scientiam vt sic, vel omnium volebant esse scientiam, sed per malam demonstrationem, i. circularem.

Scientia dupliciter sumitur.

Tertio notandum circa primum errorem, quod scientia dupliciter sumitur. Primo communiter pro quacunque cognitione, siue sit complexa, siue incomplexa, siue conclusionum. Secundo proprie, vt est cognitio tantum conclusionum per demonstratiõnem, & vt distinguitur a cognitione principiorum, quia cognitio principiorum, primo dependet ex simplici notitia terminorum, scientia vero ex notitia propositionum complexarũ, scilicet maioris, & minoris. Secundo quia cognitio principiorum habetur per primam operationẽ intellectus, conclusionum per secundam & tertiam .s. per compositionem, & discursum. Tertio quia cognitio principiorum non dependet ab alia cognitione formaliter, vt est cognitio principiorum, cognitio vero conclusionum dependet ex cognitione principiorũ, in quibus est status. Nos loquimur de scientia secundo modo, antiqui autẽ sumpserunt scientiam primo modo, vnde probabant, quod sicut cognitio conclusionum dependet ex cognitione principiorum, ita cognitio principiorum dependeret ex alia cognitione principiorum, & sic in infinitum.

Principia sunt per se nota.

Quarto notandum, quod sicut corpora lucida sunt in duplici differentia, quia quædam sunt ex se lucida, vt Sol, gemmę, &c. & alia, quæ sunt lucida per lumen ab alio receptum, vt corpora opaca, sic etiam quædam ex se cognoscibilia sunt, ex solo lumine intel-

tellectus agentis, & ista sunt prima principia, quæ cognitis terminis subito cognoscuntur, sine alio discursu. Quedam vero cognoscuntur ex principijs, quia eorum cognitio trahitur ab ipsis, vt est cognitio conclusionũ, ex quo sequitur quod principia sunt per se nota, & insuper etiam causa cognitionis conclusionum. Differentia ergo est, quod cognitio principiorum non dependet ab extrinseco lumine, sed tantum ab intrinseco .s. a lumine intellectus agentis, cognitio vero conclusionum dependere potest ab extrinseco, & ab intrinseco. Ab extrinseco, primo in scientia acquisita per doctrinam .s. audiendo a magistro, & secundo ex cognitione principiorum, quæ quodammodò sunt extrinseca a cõclusione. Ab intrinseco, quia dependent, quo ad assensum, & discursum a lumine intellectus agentis. Quando autem scientia habetur ab extrinseco, s. a magistro docente, magister concurrit vt instrumentum, lumen vero intellectus vt principalis causa, quia ab eo est assensus.

Circularis demonstratio est vitiosa, quomodo. Quinto notandum circa secundũ errorem, s. quod omnium rerum sit scientia per circulum, quod sic errantes ex hoc ponebant omnium rerum scientiam, quia admittebant demonstrationem circularem. Syllogismus autem circularis dicitur, quando idem concluditur per idem. Duplex autem est demonstratio circularis, Vna dicitur vniformis, in qua nihil noui acquirimus, sed idem concluditur per idem. Alia vocatur difformis, in qua aliquid noui acquirimus. Vnde dicendum est, quod absolute circularis demostratio non est dãnata, imò in aliquibus casibus est concessa, quæ demonstratio nõ dr̃ circulus, sed regressus. Primo aũt in relatiuis (vt diximus supra capite de specie) conceditur, non autem in absolutis. Secundo cõceditur in diuersis generibus causarum, nam supra Arist. probauit demonstrationem esse ex primis, & veris, quia facit scire; deinde probat quod demonstratio facit scire, q̃a est ex primis, veris &c. Tertio quando per causam demonstramus effectũ; & per effectum causam, nam tunc aliquid noui acquirimus, quia ex effectu arguere ad causam, est arguere ex imperfecta cognitione ad perfectam; arguere vero ex causa ad effectum, est arguere a perfecta notitia ad effectum non valentem eam de se generare, nisi esset effectus adæquatus, vnde causa & effectus debent adæquari in ratione regressus, & in eo conuerti aliter regressus erit falsus. Quarto quando ex tali circulo, & si non cognoscatur aliquid de se, quod prius non fuerit cognitũ, tamen intellectus magis consolidatur, & confirmatur in cognitione per regressum, quia cognitio prioris est quasi via ad cognitionem posterioris, ad quod primo deuenimus per demõstrationem, vnde cum ad id deuentũ est, intellectus, vel acquirit maiorem cognitionem, vt dum ex effectu procedit ad causam, uel saltem magis firmatur in eius cognitione, quia cognoscitur uera causa, uel uera ratio. Generaliter ergo quando circulus est utilis, est admittendus, quando non, nequaquam.

Conclusiones. Quo ad secundum prima conclusio philosophi contra primam opinionem talis est, Non omne scire est per demonstrationem. Probatur primo. Cognitio conclusionum dependet a cognitione præmissarum. Sed præmissæ possunt esse immediatæ, ita ut non habeant medium per quod possint demonstrari, ergo non omne scire erit per demonstrationem, sed quoddam per simplicem apprehensionem .s. intelligere principiorum. Secundo. Quæ sunt secundum se nota, & nobis, non indigent demonstratio-

tione quia demõstratio datur ad causandum scire rei ignotæ. Sed quædã sunt principia per se, & secundum se, & etiam nobis nota, ita vt cognitis terminis subito cognoscantur, vt q idem non possit simul esse, & non esse, nec de eodem simul possit verificari affirmatio, & negatio &c. ergo non omnium erit scientia per demonstrationem.

Secunda conclusio philosophi est contra secundum opinionem, quæ talis est. Non licet vti circulo in demonstrationib. Probatur primo. Idẽ non potest esse simul notius, & ignotius respectu eiusdem. Sed sic esset, quia præmissæ in prima demonstratione dicuntur notiores conclusione, in regressu vero econuerso. Nec valet respõdere (inquit philosophus;) quod potest esse, vt ex magis nobis noto procedamus ad minus notũ quoad nos, sed magis notum secundum suam naturam, vt quando ex particularibus procedimus ad vniuersalia, & deinde ab vniuersalibus descendimus ad particularia, quia sic demõstratio s. propter quid (de qua loquimur,) non esset ex notioribus secundum naturã, vt sunt causæ primæ &c. Sed ex notioribus nobis.

Secũdo. Si liceret vti circulo, idem per idem probaretur, hoc autem esset leue demõstrare, s. dicere hoc est hoc & hoc est hoc, ergo. Probatur assumptum, quia sic valeret dicere A est, ideo B est, & quia B est C est, ergo de primo ad vltimũ regrediendo possumus dicere C est, quia B est, & B est, quia A est, vnde idem probatur per idem, quia quod sequitur ex antecedenti, sequitur etiam ex consequenti, & cuius est causa consequens, est etiam causa antecedens.

Tertio. Ad syllogismum necessarij sunt tres termini, & duæ propositiones. Sed circulus in his non potest esse nisi sint omnia conuertibilia, tunc sic. In terminis conuertibilibus non fit demonstratio, nisi in primo modo primæ figuræ, ergo tollerentur omnes aliæ figuræ, & omnes alij modi figurarum.

Quoad tertium arguitur contra primam conclusionem argumento illorum opinantium. Quia aut principia demonstrationis procedunt in infinitum, aut in eis est status. Si primum, nihil cognoscere possumus, qa posteriora non cognoscuntur, nisi per cognitionẽ prioris. Tale autem prius non potest cognosci, cum non sit ad ipsum deuenire, cum processus sit infinitus. Si secundum, principia non scientur, quia scire est rem per demõstrationem cognoscere; ipsa autẽ non sunt demonstrabilia, cum non habeant priora principia, ex quibus demonstrari possint.

Secundo Omnis scientia finita humana, est habitus conclusionum per demonstrationem acquisitus. Si igitur principia non cognoscuntur per demõstrationem, ergo non sciuntur, quod est falsum.

Tertio. Si alicuius rei esset scientia, pfecto esset (vt dicit philos.) quia cognitio conclusionum resoluitur in cognitionem præmissarum. Sed hoc falsum est generaliter, quia sunt multæ propositiones quæ non possunt resolui in principia prima per se nota, non enim apparet modus quo istæ p̃missæ: Omne animal rationale est risibile, & omnis homo est animal rationale resoluantur in illud primum principium, quodlibet est, vel non est ergo.

Quarto. Quia Theologia nostra est vera scientia, & tamen non resoluitur in principia euidentia, sed ineuidentia, i. in articulos fidei creditos.

Quinto. Si principia essent causę conclusionis, aut essent causæ extrinsecæ, aut intrinsecæ, Non primum, quia causæ intrinsecæ intrant compo-

positionem, medium vero non ingreditur conclusionem. Non secundum, quia principia mathematica sunt certissima, & tamen abstrahunt ab effectiua causa, & finali.

Sexto. Quia agere per aliud, est agere per qualitatẽ actiuam. At principia non dicunt qualitatem actiuam, cum abstrahant ab esse reali, ergo.

Septimo. Quia species intelligibiles, doctor, & obiectum sunt causę cognitionis, ergo non præmissæ.

2. Contra secundam primo arguitur, Syllogismus circularis est dabilis, ex secundo post. Ergo male hic dicitur quod non sit debilis.

Secũdo. Quod est notũ per aliud, potest probari per illud, ergo quod est notum per se, poterit probari per se, & consequenter idem per idem.

Tertio. Idem potest esse causa, & effectus, ex secundo phys. vt patet de deambulatione post cenam, respectu sanitatis. Ergo idem potest esse notius, & ignotius, prius, & posterius, respectu eiusdem, & sic poterit dari circulus.

Quarto. Quia phil. vtitur demonstratione circulari, demonstrando ꝙ demonstratio sit ex necessarijs, quia est ex his quæ sunt per se, deinde demonstrando quod sit ex his quæ sunt per se, quia est ex necessarijs.

Argumẽta soluuntur. Ad primum horum dicitur ex tex. quod ad prima principia est status, & quod non cognoscuntur per demonstrationem, sed per simplicem intelligentiam.

Ad secundum dicitur, quod valet de scientia communiter sumpta, non proprie, prout explicuimus in annotationibus.

Ad tertium dicitur, quod duplex est scientia, vna perfecta in genere, & hæc sufficit vt reducat conclusiones non ad prima & generalissima principia, sed ad immediata, & proxima. Alia est perfecta simpliciter, & hæc reducit ad prima sine difficultate, si recte cognoscat ordinem, & dependentiam, cum difficultate si non cognoscat, sed hoc est per accidens, & non ex obscuritate principiorum secundum se, sed ex ordinis ignorãtia.

Ad quartum dicitur, quod loquitur de scientia euidente, nam ista reducitur ad principia euidentia, nõ autem scientia ineuidens, vt est theologia nostra, & ideo reducitur ad articulos fidei, qui sunt tantum crediti, & non sciti.

Ad quintum dicitur, quod principia in ordine ad conclusionem possunt dici causæ intrinsecæ, inquantũ conclusio componitur ex terminis ipsorum, & etiam extrinsecę effectiuæ, inquantum ex ipsis deducuntur conclusiones. Quod autem Mathematicæ abstrahant a causa efficienti verũ est, secundum rationem, i. considerationem, non secundum rem. Vel dicendum, quod habent principia rationẽ causæ effectiuæ metaphysicę, s. in cognoscendo, a quibus non abstrahunt mathematicæ scientiæ, sed tm̃ a physicis agentibus cum motu, qui est actus imperfecti, & naturali transmutatione.

Ad sextum dicendum, quod de ratione qualitatis actiuæ, est transmutare subiectum realiter, quod non facit scientia, vnde nõ omne agere per aliud, est agere per qualitatem actiuam, sed etiam per directionem, & actionem, seu motum metaphysicũ s. per intelligere.

Ad septimum dicimus, quod magister agit externe, species interne, vt quo, obiectum vt quod, & principia primo, deinde species elicita per lumen intellectus agentis.

Ad primum contra secundam conclusionem dicitur, quod aliud est loqui de syllogismo vt sic, qui potest ꝓcedere ex ꝓbabilibus, & aliud de demonstratione, quæ necessario debet pro-

procedere ex prioribus, veris,&c.nã primum fieri poteſt, ſecundum vero nequaquam,vt ſupra dictum eſt.

Ad ſecundum dicitur, quod eſt diſpar ratio, quia in primo aliquid noui acquirimus, non in ſecundo. Et inſuper quia licet arguere ex vno ad aliud,& non ex eodem ad idem.

Ad tertium negatur idem poſſe eſſe cauſam,& effectum,reſpectu eiuſdem.& ſecundum idem.

Ad quartum dicendum,quod Philo.dum probat demonſtrationem eſſe neceſſariorum, non ſolum hoc probat,quia eſt ex his quæ ſunt per ſe,verum etiã ex diffinitione ipſius ſcire, vnde aliquid noui acquirimus. Sed applica alias gloſas in quinto notando poſitas.

LECTIO XII.

Circa dicta Caietani Cap.3.

POſtquam vidimus quæ ſpectant ad tex. Ariſt.(prout doctores ipſum communiter commentant,) modo videnda remanent quæ ſeorſum ab Illuſtriſſimo Caietano dicuntur. Primo ergo ponam ſummam capituli,& ſeriem. Secundo ponam duas difficultates ab ipſo motas,& examinatas.

Quoad primum ex hoc cap.3. habemus,vnam propoſitionem,& duas concluſiones.Propoſitio eſt talis. Ex dictis in ſuperioribus .ſ. quod opus eſt prima pricipia ſcire, orti ſunt duo errores.Primus dicentium nullius rei eſſe ſcientiam,quia vel prima principia ſunt infinita, & cõſequenter ignota, vel ſi non ſint infinita non poſſunt ſciri per demonſtrationem, eo quod non habent priora principia ex quibus poſſint demonſtrari. Secundus error fuit illorum,qui aſſerebant omnium rerum eſſe ſcientiam per demõſtrationem, quia contingit demonſtrationem fieri circularem.

Prima concluſio eſt. Nõ omnium eſt ſcientia per demonſtrationẽ. Probatur, quia principia ſunt immediata, & conſequentur cum non habeãt priora, non poſſunt demonſtrari.

Secunda concluſio eſt.Demonſtratio ſimpliciter,vt eſt demõſtratio ſimpliciter,non poteſt eſſe circularis.Probatur primo a priori. Quia demonſtratio eſt ex primis ſimpliciter. Idẽ autem non poteſt eſſe prius, & poſterius ſimpliciter, quamuis poſſit eſſe alio,& alio modo. Secundo a priori ſimiliter, quia circulus eſt ab eodem ad idem,& conſequenter nullã ſcientiam generans, cum tamen demonſtratio detur ad faciendum ſcire. Tertio etiam a priori,quia circulus completus conſtat ex terminis conuertibilibus in primo modo primæ figuræ tantum,Omnis autem demonſtratio ſimpliciter, non conſtat ex talibus terminis, etiam in illo primo modo.

Quoad ſecundum primum dubiũ oritur circa illud dictum Ariſt.Quod principia non diſcurſu demonſtratiuo, ſed per ſimplicem apprehenſionem terminorum cognoſcuntur, (inquit enim principia cognoſcimus,inquantum terminos cognoſcimus.) Hoc autem principium immediatũ, ex proprijs terminis notum, nihil aliud eſt,niſi propoſitio immediata, & per ſe nota. Propoſitio autem immediata, & per ſe nota illa dicitur, quæ ex rationibus, ſeu ex diffinitionibus ſuorum terminorum eſt per ſe nota. Arguit ergo Scotus in 1.d.2.q.2. quod illa non dicitur propoſitio per ſe nota tantum, quæ ex diffinitionibus ſuorum terminorum ſecundum ſe,eſt euidens.

Primo. Quia alius terminus in eiſdem propoſitionibus eſt diffinitum, & alius diffinitio,ergo propoſitio talis non eſt per ſe nota. Conſequentia probatur, quia ſi eſt euidens ex alie-

nis diuersisque terminis, non erit per se nota. Antecedens probatur primo, Conclusio in demonstratione nō differt a præmissis, nisi sicut diffinitum, & conclusum a conclusione, & diffinitione .'Sed conclusio differt a præmissis, quia ipsa est demonstrata, & præmissæ indemonstrabiles, ideo diffinitum & diffinitio differunt, & sic si ex diffinitione terminorum propositio immediata innotescit, non erit per se nota.

Secundo. Quia si diffinitio, & diffinitū essent vnus, & idem terminus, & vnus non notificaret per alium in demonstratione potissima, esset petitio principij, & assumeretur tanquā notum, id quod probandum esset, & insuper ibi essent tantum duo termini, quod est falsum.

Secundo principaliter. Idem conceptus, non potest esse prior, & posterior, haberi, & non haberi de eadem re. Sed sic esset si diffinitio, & diffinitum essent idem, & vnum vt distinctum nō notificaret aliud, quia idem diffinitum prius potest concipi secundum nomen, deinde posterius secundū diffinitionem Ergo distinguunt.

Tertio. Quia omnis propositio in primo modo dicendi per se esset per se nota. Hoc est falsum, ergo propositio per se nota non est, quæ clara est ex notitia rationum suorum terminorum. Assumptum probatur, quia propositio in primo modo dicendi p se est, quando prædicatum est de intrinseca ratione, & diffinitione subiecti. Minor constat.

Quarto. Aliquod prædicatum de diffinito potest demonstrari, v.g. habere tres angulos de triangulo. Hæc distinguūtur, & consequentur nulla est distinctio inter propositionem per se notam, & notam nobis, quia omnis nota est in quocunque intellectu, habere notitiam, ex re distincta.

Quinto arguit Petrus Aureolus intendens probare idem, s. quod omnis propositio per se nota, secundum se, sit per se nota nobis. Nam omnis propositio nota per proprios suos conceptus, & non per alienos, est per se nota. Sed propositio nobis nota, est nota per proprios conceptus, quia quilibet formans eam, eam format per proprios illius conceptus, & non per alienos, ergo eadem propositio est nobis, & secundum se nota.

Sexto. Dū Sortes format hāc propositionem Deus est, aut eam cognoscit ex notitia conceptuum super quibus fundatur, aut ex notitia aliorum. Si primum, ergo illos habet, & est illi per se nota, quamuis sit propositio secundum se nota. Si super alios, ergo non ferret intuitum, super illa propositione, sed super alia. Ex quibus omnibus deducit, quod omnis propositio per se nota cuilibet formanti eam, est etiam nobis nota.

Pro dilucidatione igitur huius difficultatis tria obseruabimus. Primo ponemus aliqua fundamenta. Secundo loco probabimus conclusiones. Tertio diluemus argumenta.

Primo ergo notādum venit, quod multis modis aliqua propositio dicitur nota per se. Primo dicitur propositio per se nota, secundum se tantū, vt hæc, Angelus est immaterialis. Deus est, istæ enim vocantur propositiones per se notæ secundum se, quia secundum se actualiter non habent causam, ex qua a priori probari possint. Secundo, aliqua dicitur propositio per se nota quoad nos tantum, vt quando ex effectu procedimus ad causam, tunc enim effectus est mediū nobis tantum notum ad probandum causam esse, quæ causa est notior secundum naturam. Alia est nota secundum se, & quoad nos simul, vt q̄do procedimus ex cognitione causæ, ad effectum; cum enim causa sit cognita a nobis, & etiam secundum na

tu-

utram notior effectu, tunc dicimur procedere ex notis nobis, & natura. Propositio ergo per se nota generaliter, caret medio, quo fiat nota, vnde si caret medio, vel causa ex qua probatur secundū se, & non quo ad nos, dicitur secundum se nota, sed nō quoad nos: si caret medio quoad nos, q. est nobis nota, tamen vere habet medium ex quo possit probari, dicitur nota quoad nos, sed non secūdum se, si caret vtroque medio, dicitur vtroque modo; & secundum se, & quoad nos nota.

Secundo notandum est, quod propositio per se, & quoad nos nota, est duplex. Quædam sic nota quoad omnes, vt sunt dignitates, & prima principia. v. Idem non potest simul esse, & non esse. Omne totum est maius sua parte, & similes, circa quas nullus contingit dubitare, nec habent medium quo probari possint, vel secundum se, vel quoad nos. Alia vero dicitur tantum nota quoad sapientes, v.g. incorporalia non esse in loco circumscriptiue, quæ propositio secundum se non habet medium, quo probari possit, propositio enim per se nota, & carens medio, idem sunt, si secūdum se caret medio, est per se nota, si quoad nos, quoad nos, si quoad vtrunque, vtroque caret medio, sicut dicta apud sapientes.

Tertio notandum est, quod aliud est dicere, quod aliqua propositio sit per se, secundum se nota, & aliud secundum se nota, prout est in intellectu, sub hoc, vel sub illo cōceptu: Primum quidem est loqui de significato propositionis, quod habet secundum se, etiam si nullus esset intellectus, dato enim quod nullus sit intellectus, adhuc homo significaret animal rationale. Secundo vero modo est loqui de significato propositionis, prout concipitur sic, vel sic, isto vel illo cōnceptu, ab intellectu. Iuxta autem primum modum intrinsece dicitur per se nota .i. secundum se indemonstrabilis, quia secundum se caret medio probante.

Quarto autem loco pensandum venit, quod illæ sunt propositiones per se notæ secundum se, in quibus prædicatum est de ratione, seu diffinitione subiecti, vt cum prima passio prædicatur de suo primo, & adæquato subiecto, & quando vnum generalissimorum (non vero specierum) negatur ab altero Hę inquam propositiones bifariam considerari possunt. Primo secundum suum significatum reale, secundum se consideratum, & sic idem sunt diffinitio, & diffinitum, v. gratia, album, & disgregatiuum visus, homo, & animal rationale, nam album est diffinitum, ita homo, disgregatiuum visus, & animal rationale diffinitio. Secundo modo possunt considerari prout stant sub conceptibus diffinitionis, & diffiniti, & sic distinguūtur, per confuse conceptum, & distincte conceptum, nam diffinitum vt homo, vt sic confuse concipitur, vt diffinitio vero, v. quando diffinitur, vt homo sit animal rationale, distincte cōcipitur quia diffinitio datur causa innotescendi distincte id, quod diffinitum significat secundum se confuse. Et idem est dicere quod diffinitio, & diffinitum secūdum sua significata, quæ habent in re sunt omnino idem realiter, quia secundum se nullo indigent medio probante: ratione vero nostri distinguuntur, quia diffinitio a nobis concipitur conceptu distincto, & diffinitum confuso.

Quoad secundum igitur pono talem conclusionem. Diffinitio, & diffinitum differunt solūm ratione nostri, non autem secundum suum significatum, secundum se acceptum. Probatur primo. Diffinitio & diffinitum idem sunt realiter nam idem est homo, quod animal rationale, ergo nō di-

distinguuntur nisi secundum confuse concipi, & distincte. Sed conceptus nihil reale ponit supra rem conceptam, ergo diuersa conceptio diffinitionis, & diffiniti non variat significatum rei secundum se.

Secundo procedere a diffinitione ad diffinitum est petere principium ex S. D. lib. de fallacijs, Alberto Magno primo elencorum, & Arist. ibidem. Sed petitio principiorũ est qñ petitur id quod erat in principio, quia idem sunt, nam si nego quod homo currat, & mihi probetur, quod currit, quia animal rationale currit, petit hic principium, quia quod negatur de homine, negatur & de animali rationale. Hoc autem verum est si secundum se considerentur, si vero prout diuersimode concipiuntur, scilicet distincte, vel confuse, vnum potest probari per aliud, vt habet S. D. in fallacijs cap. de petitione principij.

Secunda conclusio corrolaria ex prima est. Eadem non est propositio per se nota, secundũ se, & nobis. Probatur primo. Aliud est non habere medium secundum se, & aliud quo ad nos, nam ista nix est alba non habet medium quo ad nos, habet tamen secundum se, quia scilicet est disgregatiua visus. Et ecõuerso, hæc homo est animal rationale, non habet medium secundum se, quo ad nos vero potest habere, verbi gratia, quia est risibilis, ergo distinguuntur. Tenet sequela, quia propositio per se, & secundum se nota, idem est quod carens medio secundum se, & per se nota nobis, quod carens medio ratione nostri.

Ad primum dicimus, quod diffinitio, & diffinitum non distinguũtur nisi ratione nostri, non secundum se, vnde conclusio cum sit altera præmissarum, est per se nota secundum se, idest secundum suum significatum, quod habet ex sui natura, nullo intellectu considerante, si autem distinguitur a pręmissis, distinguitur in quã tum sub diuerso conceptu accepta, concluditur ex præmissis.

Ad secundum idem dicimus; aliũ esse conceptum diffinitionis, & alium diffiniti, ratione nostri, & non secundum se.

Ad tertium concedimus totum, quod propositiones in primo modo dicendi per se, sunt secundum se notę, etsi non nobis quandoque.

Ad quartũ similiter dicimus, quod aliquod prędicatum sit per se notum, & tñ ratione nostri demonstretur de diffinito est, qa demõstratio est instrumentum intellectus nostri, ad faciendum nobis scire, quæ secundum se nota sunt, sed non nobis.

Ad quintũ dicitur, quod propositio dicatur nota per se, quando est nota ex proprijs conceptibus stat dupliciter. Primo ex proprijs cõceptibus, idest significatis rei secundum se consideratæ, etiam si nullus esset intellectus, vt enim dixi adhuc nullo existente intellectu, homo significaret animal rationale, & sic hoc significatum facit propositionem notam secundũ se, & non nobis. Secundo, isti conceptus possunt considerari vt sunt cõsiderati ab intellectu, & facti, & sic distinguuntur in confuse concipi, & distincte, vnde prius confuse concipio hanc propositionẽ Deus est deinde si quæram aliquam eius diffinitionem, verbi gratia dicendo, Deus est substantia infinita, concipio, eam distincte. Vel secundo dicendum qđ idẽ est conceptus verbi gratia Dei secundum se, & vt est intellectus, quia intellectus non intelligit rem aliter, quam sit, sed primus vocatur conceptus rei. Secundus intellectus, seu rei prout est intellecta, vel in intellectu, & sic distinguuntur.

LECTIO XIII. S. D. 9.

Quoniam autem impossibile est, &c.

Circa explicationem eorum quæ dicuntur ab Aristot. & a S. D. in nona lectione tria de more faciemus. Primo enim ea omnia quæ dicuntur explicabimus consuetis annotationibus. Secundo eliciemus vnā conclusionem ex textu, & probabimus eam. Tertio dubitabimus, & soluemus dubia.

Ordo. Quoad primum igitur. Primo sciendum est circa ordinem procedendi Aristot. quod prius tractauit de quid demonstrationis, antequam de his vt ex quibus constat, & hoc propter duas rationes. Prima, quia essētia præcedit proprietates, seu qd, quale. At Aristot. superius tractauit de essentia, & quid demonstrationis, ostendendo necessitatem demonstratiui syllogismi, & quod est ex veris, primis, &c. igitur nunc de quali demonstrationis erat agendum, ostendendo quod constat ex his quæ vera sunt, per se, de omni, &c. sicut modo incipit facere. Secunda ratio est, quia mos est Philosophorū prius iacere principia scientiæ, antequam disputare de proprijs illius scientiæ, modo Aristot. Philosophorum princeps iecit fundamenta huius scientiæ, disputando de scientia nostra, & de demonstratione contra antiquos in superioribus capitibus, ideo firmata veritate huius scientiæ, modo singula aggreditur tractanda.

Scientia pfecta multa exigit. Secundo notandum est, quod ante omnia Aristot. in text. inquit, cū scire sit rem per causam cognoscere, & quoniam illius est causa, & nō contingat aliter se habere, hinc oritur, quod demonstratio erit ex necessarijs. Vnde adnotandum est, quod de cognitione alicuius rei dupliciter loqui possumus. Primo de cognitione quacunque, siue certa, siue non, siue habita per signa, siue per nutus, siue per effectus, &c. & de hac non loquimur dum dicimus, & probamus demonstrationem esse ex necessarijs, & ex his quæ sunt per se, &c. Secundo loqui possumus de vera, & certa, & necessaria cognitione, quæ certum, & indubitatum reddit intellectum addiscentis, & de hac loquimur, & nitimur probare, quod tantas requirat conditiones.

Per se contrahit de omni. Tertio notandum, quod vlterius inquit, demonstrationem necessario esse ex his quæ sunt de omni, & per se, diffiniendo autem quid sit dici de omni, ait illud, quod posterioristice dicitur de omni hēt vniuersalitatem suppositorum, idest, habet supposita necessaria, quæ non sint contingentia, & vniuersalitatem tēporis, idest vt non sit dabile tempus in quo hæc supposita non sint. Vbi scito, quod de omni, & per se idem sunt materialiter, non tamen formaliter, de omni enim se habet fere, vt genus, & per se, vt species. Vnde erit de omni hæc propositio. Omnis homo est albus, non tamen per se. Per se ergo contrahit de omni, ad standum solum pro illo de omni, quod est per se, & necessarium.

De omni vult vniuersalitatem suppositorum, et temporū. Quarto notandum est pro nunc, quod de omni requirat vniuersalitatem suppositorum, & temporum, potest dupliciter intelligi. Primo vt eadem supposita numeraliter sēper existant, in eodem tempore, seu nunc tēporis, & quidē hoc nec intelligibile, nec verum est. Non est intelligibile, quoniam cum supposita horum inferiorum sint successiua, profecto omnibus constat ea non esse perpetua: Non est verum, quia experientia constat in contrarium, nam hic, & ille corrumpitur, & hoc & illud nunc temporis desinit. Secundo

do potest intelligi non quo ad indiuidua, sed quo ad speciem, vt sit sensus. Ad verificandam propositionẽ de omni requiritur, quod species semper existat in quocunque tempore: Nec obstat Aristot. dicere, quod requirit vniuersalitatem suppositorum, & non dixerit specierum, quia intelligebat per suppositum, speciẽ existentem in suppositis. Et hæc quidem expositio consona est literæ, quia talis est vniuersalis, & de omni, & per se, vt patet.

Duplex est, prioristicum, & posterioristicum.

Quinto notandũ, quod de omni duplex est, scilicet prioristicum, & posterioristicum. Illud vocatur de omni prioristicum, quando nihil est subsumere sub subiecto, de quo non dicatur prædicatum, & hoc de omni nihil aliud requirit nisi vniuersalitatem suppositorum, secundũ modum enunciandi, idest, quod propositio sit cum aliquo signo distributiuo vniuersali, vt omnis, vel nullus, vel quilibet, &c. & de hoc nõ loquimur, spectat enim hoc de omni ad prioristicum, qui componit syllogismos secundum veram formam argumentandi. Aliud est de omni posterioristicum, quod quærit de materia, & de necessitate materiæ, & requirit vniuersalitatem suppositorum secundum se significatam, vnde hæc propositio, hõ est rationalis, est de omni posterioristico, quia non reperitur aliquis homo, qui non sit rationalis, hæc autem, omnis homo est albus, est de omni non posterioristico, sed prioristico, quia non omnis homo vere, & realiter est albus.

Tripliciter.

Sexto notandum pro maiori declaratione superioris notandi, quod triplex est vniuersalitas suppositorum. Quædam secundum modum enunciandi, sed non secundum rem enunciatam, vel significatum, vt hęc omnis homo currit, est vniuersalis secundum modum enunciãdi, quia distributa est per signũ vniuersale, vt omnis, nõ tamen talis est secundum rem significatam, quia non est verũ, quod omnis homo currat. Quædã vero vocatur secundum rem significatam vniuersalis, non tamen secundum modum significandi, vt hæc, homo est risibilis, est quidem vniuersalis secundum rem significatam, quia nullus homo reperitur, qui non sit risibilis, non tamen secundum modum significandi, quia non distribuitur signo vniuersali. Quædam vero vocatur vniuersalis, & secundum rem significatam, & secundum modum significandi, vt quæ habet vniuersalitatem suppositorum, & etiam distributa est signo vniuersali, vt hæc, omnis homo est rationalis, posterioristicus accipit vniuersalitatem, secundo, vel tertio modo, non primo.

Conclusio probatur.

Quo ad secundum principale ponitur hæc conclusio: Recte diffinitur de omni dũ dicitur. De omni nõ est in quodã quidem sic, in quodam vero nõ, aliquando sic, aliquãdo non. Probatur a signo. Tunc fertur aliqua instantia contra aliquam diffinitionem, cum non recte assignatur. Sed contra diffinitionem de omni sic assignatam, nulla remanet difficultas, igitur. Maior patet, quia tunc signum est quod intellectus non quiescit in illa assignatione, & consequenter, quod sit incompleta. Minor vero constat ex eo quod ferimus instantias cõtra diffinitionem de omni, vel dum prædicatum non dicitur de quocumque subiecto, vel quia nõ semper, & pro omni differentia temporis ei conuenit. Si ergo tollantur hæ instantiæ, profecto necessaria est vniuersalitas suppositorũ, & tẽporũ.

Quo ad tertium principale dubitatur circa conclusionem. Primo hæc est propositio de omni posterioristico. Homo est animal rationale, hoc

hoc autem quandoque posset esse falsum: probatur. Si destrueret Deus sua absoluta potentia singulos homines, igitur nulla talis.

Secundo dubitatur quod de omni non requirat vniuersalitatem suppositorum: Nam hæc est de omni. Omnis homo currit, & tamen non verificatur de Adam, & de Antichristo, qui modo non existunt.

Tertio. Hæc propositio est de omni. Omnis equus currit, & tamen est aliquid accipere sub subiecto, de quo non dicitur prædicatum, v. caput, aures, &c.

Quarto. Hæ propositiones sunt demonstrabiles. Terra est rotunda, Mundus est finitus, & tamen sunt rerum singularium.

Arg. soluũtur. Ad primum dicendum, quod hæc propositio: Omnis homo est animal rationale sit de omni, per se, & necessaria, stat dupliciter. Primo formaliter, & ab intrinseco, & sic est verum, quia naturaliter per se, & essentialiter prædicatum dicitur de subiecto. Secundo extrinsece, & in ordine ad Deum, qui potest omnia in nihilum redigere, & sic currit argumentum, sed nos primo modo loquimur. Secundo respõdemus, quod si Deus destrueret singulos hoĩes, adhuc esset de oĩ, &c. non quoad existentiã, sed quo ad veritatẽ propositionis, in qua vere pdicatum affirmatur de subiecto. Vel tertio dicendum est, quod etsi non esset de omni in ordine ad veritatẽ humanam, esset talis in ordine ad diuinam, quæ est æterna, nam Deus nunquam intelligeret hominem nisi vt animal rationale.

Ad secundum dicendum est, quod talis propositio est de omni prioristico, non posterioristico.

Ad tertium dr̃, qđ de omni verificatur de suppositis, & non de partib. suppositorum, vnde dicitur equus currere, quando currit suppositum equi, etsi non currant auricula, vel cauda. Secundo dicitur, quod partes dicuntur currere per aliud, idest, quia totum in quo sunt, currit.

Ad quartum respondetur, quod quando propositio est de re singulari, sed necessaria, & perpetua, dicitur de omni virtualiter, & obiectiue, qa rotunditas de terra, & finitas de mũdo destrantur de vna terra, & de vno mundo per eandem rationem, ac si essent multæ terræ, & multi mundi.

LECTIO XIIII.

S. D. 10.

POstquam explicauimus diffinitionem de omni, nunc videndum est quot modis dicatur per se. Vnde primo rem explicabimus per suas annotationes, secundo probabimus singula, tertio dubitabimus &c.

Quo ad primum. Primo notandum est, quod Arist. prius diffiniuit de omni, & per se, & postea diuisit p se in quatuor modos, quorũ primus est quando prædicatum est de ratione subiecti, seu de eius diffinitione, sicut de ratione lineæ est punctum, quia linea deducitur ex punctis. Vel dicamus, quod hæc propositio est in primo modo dicendi per se, homo est rationalis, quia rationale est de diffinitione hominis. Secundus modus est quando subiectum est de ratione prædicati .i. prædicatum non potest intelligi absque subiecto, sicut linea est de ratione curui, & circularis, nam nec curuum, nec circulare, sine linea diffiniendum est, sicut nec risibilitas sine homine. Tertius modus est quando sumitur per se inquantum significat solitudinem, sicut solemus dicere, quod Sortes est in domo solus. Quartus inquantum significat causalitatem per se, vt interfectus *Modi dicẽdi per se quatuor sunt.*

fectus

fectus, interfectione tanquam propria causa, interijt.

Diuersimode. Secundo notandum venit, quod non eodem modo omnes hi quatuor modi dicuntur per se, nam duo primi.v. quando subiectum est de diffinitione prædicati, & prædicatum de diffinitione subiecti dicuntur modi per se prædicandi, quia in primo modo vere, & realiter diffinitio prędicatur de diffinito, & in secundo modo passio propria prædicatur de subiecto proprio. Tertius vero modus non dicitur per se prædicandi, sed per se existendi, quia significat solitudinem. Quartus vero modus dicitur per se causandi, quia ibi per se sumitur secũdũ veram rationẽ causæ, inquantum est vera causa huius effectus. Duo ergo primi modi dicuntur per se secundum prædicationem. Tertius secundum solitudinẽ, & quartus secundum causalitatem.

Linea non componitur ex punctis. Tertio notandum venit circa. Primum modum dicendi per se, quod Arist. adduxit exemplum de linea respectu punctorum, vnde videtur asserere quod linea cõponatur ex punctis, quod quidem falsum est, & ab ipso reprobatũ 6. Phys. quia continuũ non componitur ex indiuisibilibus. Vnde duo dicere possumus. Primum quod hoc adduxit tãquã exemplum, vt addiscentes magis intelligerẽt, nõ enim est multum curandum de exẽplis. Secundum est quod noluit intelligere lineam cõponi ex punctis, sed quod puncta essent de eius ratione, nam duplex est compositio .s. realis. i. rei cum re & diffinitionis cũ rationib. suis. Secundũ admisit, & intellexit, primũ 6. Phys. negauit. Sed hic aduerte q̃d sufficit prędicatũ esse de ratione subiecti in recto, vel in obliquo, sed quomodo, videbimus postea.

Per se primo, & p se secundo. Quarto notandum est circa eundẽ primum modum, quod prædicatum sit de ratione subiecti stat dupliciter, Primo per se primo, & tunc dicimus prædicatum per se primo conuenire subiecto, cum conuertibiliter, & adæquate prædicat̃ de eo. Vnde hæc est propositio per se in primo modo per se primo, Omnis homo est animal rationale, quia animal rationale non dicitur nisi de homine, & fit conuersio dicendo, Omne animal rationale est hõ. Quædã vero vocant̃ propositiones in primo modo non per se primo, sed per se secundo, & sunt quando prædicatum non conuertit̃ cum subiecto, seu subiectum non adæquat naturam prædicati, vt hæc Sortes est animal rationale, nã animal rationale primo prædicat̃ de homine, & mediate postea de Sorte, & idem dicimus de secundo modo dicendi per se, sicut solemus dicere, Hõ est risibilis, Sortes est risibilis. Ita descriptio de descripto data per genus proprie, vel modaliter, & accidens proprium erit in primo modo, sed secundario, non vero si esset ex accidente commune.

Propria passio constituit secũdum modũ per se. Quinto notandum est circa secundum modum dicendi per se, quod non sufficit ad formandam propositionem in secundo modo dicẽdi per se, quod prædicatum sustentetur in subiecto, vnde subiectum sit de eius ratione, quia sic hæc propositio esset in secundo modo dicendi per se, paries est albus, & tamen albedo non conuenit per se, sed tantum per accidens parieti, sed necessarium est, quod prędicatum se habeat vt accidens inseparabile, conueniens omni, soli, & semper secundum quod proprium dicitur quarto modo, & in summa quod sit propria passio subiecti, sicut risibilitas est propria passio hominis. Non est tamen necessarium quod prædicatum semper sit propria passio, quæ est accidẽs quoniam diuina attributa sunt substantia Dei, & tamen de eo prædicantur vt eius proprietates in secun-

secundo modo dicendi per se,& ideo sufficit quod prędicatum sit passio quę est accidens, vel habeat modū passionis secūdum nostrum modum intelligendi, vt habent diuina attributa respectu Dei. Hęc autem propositio, Deus est actus purus, est in primo modo, in qua etsi nō sit vniuersalitas affirmatiua cum Deus non habeat partes subiectiuas, tamen in ea virtualiter cadit vniuersalitas. Vel dic quod dicit vniuersalitatem negatiue, quia non habet partē de qua non dicatur.

Causatur a subiecto. Sexto notandum est circa eundem secundum modum, quod subiectum respectu sui prædicati. vt respectu propriæ passionis, in secundo modo dicendi per se, duo habere debet, Primum, quod se habeat vt materia, & vt causa materialis sui prædicati. Secundum, quod etiam se habeat, vt causa effectiua, quia efficit passionem, & effectiue eam causat. Sed quia alicui potest remanere dubium quomodo subiectum sit causa materialis, & effectiua passionis, cum causa materialis, & efficiens non coincidant, ideo sciendum est, quod duplex est materia, scilicet ex qua res componitur, sicut ex cemento, & lapidibus componitur domus, & in qua aliquid virtute collocatur, sicut scientia in animi. Prima non coincidit. Secunda vero sic, & talem ponimus causalitatem subiecti respectu propriæ passionis, quia passio deducitur ex virtute subiecti. Et hinc est non sufficere ad constituendam propositionem per se, in secundo modo, quod subiectum sit de diffinitione prędicati, hoc enim etiam commune est omni accidenti, sed postulatur, vt subiectum per se causet, & necessario illud accidens, vnde sit ei propria passio.

Non prius tempore. Septimo etiam notandum circa eundem, quia diximus subiectum esse causam effectiuam passionis, vnde posset dubitari, num tempore pręcedat, ideo sciendū, quod duplex est causa. Quædam quæ producit effectum mediante naturali trāsmutatione, sicut homo producit hoiem facta alteratione mediante semine. Quædam vero est causa quæ producit effectum naturali concomitātia, sicut sol splendorem, & subiectum propriam passionem inferūt. Prima causa effectiua tempore præcedit suū effectum, non autem secunda, sicuti est de qua loquuti sumus.

Tertius modus est per se existendi. Octauo notandum circa tertium modum, quod solum conuenit primæ substantiæ: vnde sic esse per se potest bifariam intelligi. Primo vt idem sonat quod non ab alio, & sic non intelligitur, quia puta sortes est ab alio, idest a sua causa productiua. Secundo modo vt sit sensus, est per se, idest per se existit, sicut prima, vel secunda substantia dicuntur per se existere, & non vt in alio, sicut accidens in subiecto, vel superius in suo inferiori, stricte saltem, & sic constituit tertium modum.

Quartus per se causandi. Nono notandum est circa quartum modum, quod duplex est causa. Quædam per accidens, sicut qd quando aliquis interijt, corruscauit, fuit enim per accidens, quod dum iste occidit hunc, corruscauerit. Quędam vero vocatur causa per se talis effectus, sicut interfectio est propria causa mortis interfecti, & hæc secunda causa quæ per se est, quartum modum constituit, & de hac loquitur Arist.

Conclusio proba. ur. Quoad quartum ponitur hæc conclusio. Modi per se satis sufficienter sunt assignati ab Aristot. probatur. Hoc per se, aut significat causalitatē, aut solitudinem, si solitudinem, sic est tertius modus, si causalitatem, vel effectiuam, & sic est quartus modus, vel formalem, & sic est primus, vel

materialem & est secundus, nā quatus causalitatem propriam effectus importat, sicut iugulatio dicitur propria causa interfectionis interfecti, & iugulati, Tertius significat solitudinem, & esse per se. Secundus subiectum esse materiam propriæ passionis. Primus prædicatum quod quid est, & formalitatem subiecti.

Quoad tertium arguitur. Primo contra primum moduum dicēdi per se. Quia si omnis illa dicitur propositio in primo mō dicendi per se, qñ prædicatum est de ratione subiecti, ergo istæ propositiones. v. risibile est homo, simus est nasus, in quibus ponitur propria passio in ratione subiecti, & subiectum loco prædicati, erunt in primo modo dicendi per se, sed hoc est falsum, cum sint propositiones indirecte, ergo non sufficit ad primum modum, quod prædicatum sit de ratione subiecti.

Confirmatur contra secundum modum dicendi per se. v. dicendo animal est homo, animal est rationale, &c.

Secundo principaliter arguitur cō tra eundem primum modum. Quia sic sequeretur, quod omnes prædicationes superioris generis, de speciebus, vel de indiuiduis, essent in primo modo dicendi per se, vt homo est substantia animata, sensibilis, rationalis, &c. nam in his prædicatum est de ratione subiecti inferioris.

Confirmatur similiter contra quartum modum dicendi per se.

Tertio contra secundum modum dicendi per se sic argumentatur. Subiectum non est de ratione passionis, ergo nullus est secundus modus dicē di per se. Probatur antecedens. Passio est de genere qualitatis, at subiectum est de genere substantiæ, sed qualitas diffini tur per propria sui generis, & non per extranea, ergo subiectum non est admittendum in eius diffitione.

Quarto. Quia videndum est quomodo hæc passio sit collocanda in aliquo modorum proprij.

Quinto instatur contra vtrunque modum. Quando vna diffinitio prædicatur de alia, & differentia superioris prædicatur de inferiori, est prædicatio per se, quia est de ratione subiecti inferioris, & tamen de his nulla mentio facta est.

Sexto arguitur contra quartum modum. Propositiones quarti modi sunt simpliciter accidentales, igitur non per se. Consequentia nota. Antecedens probatur: Hæc sunt in quarto modo, Medicus, ædificator ædificat, sed hæ sunt contingentes, ergo accidentales.

Septimo contra omnes modo obijcitur. Quia præter hos modos reperiuntur aliqui alij necessarij. v. conditionales propositiones, ergo diminutus est Arist.

Ad primum dicendum, quod quādo Aristot. inquit illæ sunt propositiones per se in primo modo, quando prædicatum est de ratione subiecti, intelligitur quando prædicatum secundum se & posterioristice, habet rationē prædicati, & non prioristice secundum significationem propositionis, & hoc modo homo comparatus ad risibile secundum se non habet rationem prædicati, sed subiecti, quia est subiectum sustentās passionem, vt nasus respectu simitatis. Secundo dicitur, quod prædicatum in primo modo dicitur de subiecto, vt eius forma, & ratio formalis secundum se posterioristice, modo homo secundum, secundum rem posterioristice non prædicatur, vt forma de risibile, &c. Sed econuerso, & ideo propositiones indirecte secundum exigentiam rei non ponun- *Arg. soluuntur.*

ponun-

ponuntur in aliquo modo dicēdi per se proprie,& formaliter,& idem dicimus ad confirmationem.

Ad secundum principale aliqui dicunt, genera mediata, & differentia superioris prædicari mediate, idest, mediante genere proximo, &c. in primo modo, vnde sunt in primo modo non primario, sed secundario. Sed decipiuntur, qua nō est necessarium, quod propositio per se, sit immediata, cum ab Arist. distinguantur. Dicitur ergo, quod sunt propositiones per se, quamuis non immediate, q͡a verbi gratia animal prædicatur de animali per se, mediante sensitiuo, & idem dicimus ad confirmationem proportionaliter.

Ad tertium dicendum esse, magnum discrimen inter accidens commune, & proprium, nam commune quia non determinabat sibi aliquod proprium subiectum, ideo non diffinitur nisi per ea quæ sunt sui generis, verbi gratia, quod albedo sit disgregatiua visus. Quia vero proprium sibi vendicat subiectum, a quo intrinsece causatur, ideo per eum debet diffiniri. Allegatur ergo probatio minoris, quando qualitas est propria passio. Secundo dicitur, quod qualitas dupliciter considerari potest. Primo formaliter vt est passio talis subiecti, & sic sine eo non potest formaliter nec cognosci, nec diffiniri. Secundo, vt est quædam qualitas de tali specie vt sic, & sic si habet propriam differentiam, vel modum per illam poterat diffiniri.

Ad quartum dicendum primo, q͡p vere, & proprie tantum propria passio, quæ constituit proprium quarto modo, constituit secundum modum dicendi per se. Secundo respondetur quod etiam extendi potest, ita vt dicamus cum Paulo Veneto, propositiones tripliciter esse in secundo modo dicendi per se; Primo perseitate artis medicæ, quia homo est capax, prædicati solius, vt homo est capax, non tamen talis h omo & sic verificatur de proprio primo modo sumpto. Secundo perseitate tantum subiecti, vt, homo est bipes, quia homo habet duos pedes, sed non potest esse per se perseitate prædicati, quia bipes potest esse sine homine, vt in pauone, & sic dicitur de proprio secundo modo. Tertio perseitate subiecti, & prædicati, & sic sunt propria tertio, & quarto mō per se in illis modis.

Ad quintum dicitur, quod dicendo Arist. illam esse propositionē per se in qua prædicatum est de essentia subiecti, intellexit etiam loqui de prędicatione vnius diffinitionis de alia &c. quando vna est de essentia alterius, de qua dicitur. Si vero prædicatur secundum aliquam proprietatē in secundo erunt. Et ita quando vna passio prædicatur de alia, vt admiratiuum de disciplinabili, constituit secundum modum virtualiter, quia sic vna passio se habet vt subiectum & causa alterius.

Ad sextum dicendum, quod propositio quarti modi est etiam secunda, nam quatenus dicit perseitatem causæ est quarti, quatenus perseitatē prædicationis secundi hæc autem medicus &c. dicuntur esse per se, nō quo ad actum, sed quoad aptitudinem, q͡a medicus potest sanare, & ædificator ædificare. Nec obstat quod Arist. exēplificat de actu dicendo, vt iugulatus iugulatione interijt, quia quoad aptitudinem clarum est quod sint in secundo, loquimur enim de propositionibus illis vt indifferentes ad actum, & sic sunt accidentales, quatenus vero in actu sunt, ex suppositione habent necessitatem. Dicitur tamen etiam cum Soto, quod propositionib. quarti modi sufficit perseitas causalitatis, v.g. vt iugulatio sit causa iugulationis, ædificator ædificationis, non

autem requiritur per se prædicatio absolute.

Ad septimum dicitur, quod Arist. tantum intellexit loqui de propositionibus necessarijs ex intrinseco, & non ex suppositione, nisi reductiue, & secundario.

LECTIO XV.

Ex Caietano.

POstquam explicuimus ea, quæ circa hunc quartum capit. dicútur ab Arist. & S. D. nunc quæ ab Illustrissimo. Caietano dignoscuntur, scitu necessaria, explicabimus. Vnde tria habebitis in hac lectione. Primũ summam totius. Secundum aliquas annotationes. Tertium vnum dubiũ cum sua solutione.

Quoad primũ sciendum est, quod ex hoc capite tres conclusiones eliciuntur, duæ diffinitiones, & duo corrolaria, vnum ad primã conclusionem, aliud ad diffinitionem.

Prima conclusio est. Syllogismus demonstratiuus, seu demonstratio, procedit ex necessarijs. Probatur. Necessarium non concluditur nisi ex necessarijs. At quod scitur necessarium est, & ipossibile est quod aliter se habeat, igitur demonstratio procedit ex necessarijs.

Corrolarium ad hanc conclusionem est. Quod si necessario demonstratio est ex necessarijs, videndum erit ex quibus, & qualibus sit demonstratio.

Secundo conclusio est. Quod demonstrationes necessariæ, quæ veram generant scientiam, procedunt per modos dicendi per se.

Tertia est. Quod necessario hæc insunt, vel absolute, vel sub disiunctione, quia opponuntur saltem aliqua oppositione.

Prima diffinitio. De omni est quod non est in quodam sic, in quodã non; neque aliquando sic, aliquando non. Probatur. Quia si in diffinitione de omni deficeret vniuersalitas temporũ, vel suppositorum, relinqueretur dubitandi locus. At quando habet has conditiones, nullam contra diffinitionem de omni proferimus instantiam.

Secunda diffinitio est singulorum modorum dicendi per. Primus modus est quando quæ insunt .i. prædicatum est de diffinitione subiecti. Secundus modus est quando subiectum est de diffinitione prædicati. Tertius quando significat solitudinem, & non esse in alio, sicut accidens existit in subiecto. Quartus est, quando significat per se veram causam &c. & hæc quoad ordinem.

Quoad secundum. Primo notandum est, quod ad constituendam bonam diffinitionem de omni, requiratur vniuersalitas temporum, & suppositorum, potest intelligi dupliciter. Primo positiue, & actualiter .i. quod ad hoc vt aliqua sit propositio de omni, requirantur supposita actu existẽtia in rerum natura, & in nunc præsentis temporis. Vel secundo vt hæc vniuersalitas sit negatiua, vel virtualis. Negatiua .i. quod non sit vnquã sumere aliquam partẽ sub subiecto, de quo non dicatur prædicatum. Virtualis vero, quia si aliqua pars subiectiua mensuraretur tempore, semper existeret in illo tempore. Primus sensus non fuit de intentione Arist. sed secundus, & hoc conuincitur dupliciter. Primo veritate, quia hæc propositio est de omni, Deus est actus purus, quia non est singularis, & est per se, nec tamen subiectum actu, vel aptitudine habet sub se plures partes, nec est mensurabile aliqua duratione temporis. Secundo deducitur ex verbis Aristotelis (vt notat Magnus Albertus) quia diffiniendo de

omni, diffinit vtramque vniuersalitatem non positiue, sed negatiue dicendo, non in quodam quidem sic, & in quodam quidem non, &c.

Secundo notandum circa vniuersalitatem temporis, nempe quod ad deducendam propositionem de omni requiratur tempus existens, quod hoc etiam dupliciter intelligi potest. Primo pro omni tẽpore, & pro quacunque differentia temporis, v. quod supposita taliter existant, quod nõ sit reperibilis aliqua differentia temporis in qua non existant. Vel secundo non simpliciter, sed pro illo tẽpore, in quo illæ res aptæ natæ sunt esse .i. suo tẽpore, & hic sensus est verus, nõ primus. Probat primo. Illud quod infallibiliter, & necessario suo tempore euenit, est necessarium per se, & de omni, sed puta aspectus planetarum, coiunctiones eorum, &c. non semper sunt, sed necessario temporibus suis, igitur intelligendus est Arist. in secundo sensu. Secundo probatur, quia vniuersalitas suppositorum necessaria est propter formam syllogismi, & temporis, propter materiam, taliter ergo necessaria est vniuersalitas tẽporis, qualiter materia admittit, ergo non semper simpliciter, sed prout tales res possunt habere. Tertio quia est expressa sententia Arist. infra tex. com. 43.

Tertio notandum est, quod in hac re cauendus est error quorundã, qui dicebant de his rebus quæ non semper sunt, sed quandoque tantum; v. tempore suo existunt, quod sit scientia poterat explicari bifariam. Primo in actu, & sic dicebant quod de his non poterat quis formare propositionem de omni, nec per se &c. Secundo in potentia, & sic verum erat, quia solum futura sunt. Vnde dicebant, quod cõiunctiones & aspectus planetarum &c. non erant necessaria, sed aptitudines solum, inquantum ponebantur esse in potentia. Dico igitur esse cauendum ab hoc errore. Primo, quia hic modus loquendi est cõtra communem vsum loquendi de similibus, non enim dicimus Luna est eclipsabilis, saturnus est Marti coniungibilis &c. Sed quod Lunæ inest ecclipsis &c. quamuis non dicamus quod nunc insit. Secundo, quia sic nõ esset differentia inter scientiam harũ propositionum, Lunæ inest ecclipsis, Saturnus est retrogradus, planetę omnes præter Solem, & Lunã patiuntur stationes, de quibus habemus scientiam, & veram scientiã, & inter istas, homo est albus, homo currit, quamuis actualiter non sit homo albus, neque currat, sed quia potest esse albus, & potest currere, & tamen de his nũquam scientiam habere quis poterit. Probatur, quia sicut illæ propositiones sunt de potentia, ita etiam istæ.

Quarto notandum est, quod diffinitio propositionis de omni etiam verificatur de rebus naturalibus, quæ quidem quandoque patiuntur defectum .i. aliquando possunt deficere. Vbi sciendum est, quod de omni posterioristicum est quoddam Analogum quod sub se cõtinet tres modos propositionum. Quædam enim sunt propositiones de omni simpliciter; Quædã vero sunt de his q non semp. existunt, sed regulantur pro temporibus suis, vt aspectus planetarũ &c. & hæ vocantur de omni regulariter. Quædam vero vt in pluribus eueniunt, sed quandoque per accidens, v. propter aliquod impedimentum possunt falli, & etiam istæ de omni sunt physice, & quod hoc sit verum ex eo patet, quia a modis per se non excluduntur, nisi illæ, quæ sunt per accidens, vel contingentes, modo istæ sunt necessariæ, quamuis quandoque fallantur, igitur. Est tamen seruanda hæc modificatio, quod propo-

sitiones

sitiones de omni primo modo, dicuntur de omni simpliciter, aliæ vero, quæ secundo, vel tertio modo formantur, secundum quandam proportionalitatem.

Quinto adnotandum circa sufficientiam modorum dicendi per se, quod per se dupliciter sumi potest, Primo positiue. Secundo negatiue, si sumatur per se positiue. Aut erit conditio incomplexorū, & sic constituet tertium modum, nempe non essendi in alio, sicut accidens est in subiecto, & sic omnia quæ significant hoc aliquid, dicuntur esse per se. Vel erit conditio complexorum, & sic distinguitur contra per accidens, seu contingenter, & sic constituet reliquos tres modos, primum si est conditio complexi substantialis, secundum si sit accidentalis .i. extra rei essentiā, vel substantiam, quartum si sit conditio causalitatis prædicati &c. Si autem sumatur negatiue, vel sic etiam erit conditio incomplexi, & sic negat esse cum alio, sed dicit per se esse, vnde dicendo animal vt sic, neque dicimus quod sit rationale, neque irrationale. Si autem est conditio negatiue complexorum sic distinguitur contra esse per accidens, & constituit tres alios modos.

Quoad tertium, dubium est contra illud dictum Aristot. Quod quæcumque ponuntur in diffinitione per se, prædicantur de diffinito: Contra Subiectum ponitur in diffinitione sui proprij accidentis, sicut nasus qui est subiectum ponitur in diffinitione curui. Sed subiectum non prædicatur per se de proprio accidente (teste Aristot. 18. cap. huius,) igitur falsa est propositio Arist.

Respondere posset quis dicendo, quod quæ ponuntur in diffinitione, prædicentur per se de diffinito potest intelligi dupliciter. Primo de omnibus partibus positis in diffinitione, siue in recto, siue in obliquo. Vel secundo modo solum de partibus quæ ponuntur in diffinitione in recto, modo subiectum ponitur in obliquo respectu proprij accidentis, vnde non est ad propositum. Contra arguitur, Aristot. probando propositionem assumptam exemplificat de his quæ ponuntur in recto, & in obliquo, vt patet de linea respectu trianguli, &c.

Pro explicatione huius dubij tria agenda sunt. Primo respondendum erit secundum aliorum sententiam. Secundo confutanda erit hæc responsio. Tertio respondendum erit secundum propriam sententiam Caietani.

Quoad primum aliqui dicebant, quod eo modo quo aliqua pars ponitur in diffinitione, eo modo prædicatur de diffinito, vnde dicta sua reducebantur ad tria puncta. Primum, quod non vno, eodemque modo semper quælibet pars posita in diffinitione prædicatur de diffinito, sed eo modo quo ponitur in diffinitione, si ponitur in recto prædicatur in recto, si in obliquo, in obliquo. Secundo dū punctū erat, quod accidens dupliciter diffinitur, & secundum, quod dupliciter diffinitur, dupliciter etiam ponitur subiectum in eius diffinitione. Quandoque enim diffinitur in abstracto, & sic subiectum ponitur in obliquo, vt dicendo, simitas est nasi curuitas, quandoque in concreto, & sic subiectum ponitur in recto in diffinitione, vt dicendo simū est nasus curuus. Tertium punctum est circa responsionem ad Arist. quod sicut per se dupliciter sumitur. Primo vt distinguitur contra per aliud, idest, est taliter se, quod a nullo alio est: vel vt distinguitur contra per accidens, idest, si conueniat per aliud non tamen conueniet accidentaliter: ita & per accidens stat dupliciter.

Primo

Primo vt idem sonat quod per aliud, vel secundo vt id quod accidentaliter, vnde non officit auctoritas Aristot.

Quoad secundum, inquit Caiet. quod quāuis hæc responsio subdolis videatur, tamen a proprietate recedit. Reprehenditur ergo, quia propositiones per se, de quibus hic loquitur Aristot. sunt illæ quibus vtitur demonstrator in conclusione, vel in præmissis. At istæ propositiones, in quibus subiectum prædicatur de proprio accidente non vtitur demonstrator, ergo non sunt de p se, eo mō quo loquimur hic de per se, maior patet, minor est Arist. loco allegato, quo in loco asserit eiusmodi prædicationes non vocari proprie prædicationes, sed tantum aliqua condictione diminuente prædicationes secundum accidens dici.

Quoad tertium respondetur secundum propriam Caietani sententiam dicendo. Quod sicut res realis potest dupliciter considerari. Primo secundum suam naturam absolute, idest, vt natura quædam est. Secundo modo vt sic, vel sic significata, idest, vt stat sub hoc, vel illo conceptu, vel dicas, vt est in intellectu. Ita natura diffinibilis potest dupliciter considerari. Primo secundum exigentiam suæ naturæ. Secundo modo vt significatur in abstrato, vel in concreto. Quando diffinitur. Primo modo, id est secundum suam naturam, non ponitur in diffinitione nisi genus, & differentiam in recto, & si in obliquo tantum vt additum, & vt quod est extra rei essentiam aliquando aliquid sic admittit. Quando aūt diffinitur vt sic cōcepta, cōtingit, illud qđ vt additum & in obliquo ponendum esset, ponatur in recto, sicut patet, dum diffinimus accidens in concreto dicendo, quod simum est nasus curuus, nam si recte diffineretur solum simitas secundum se, non poneremus nasum, quia nasus est extra essentiam simitatis.

Ad maiorem ergo propositionem Aristot. assumptam in hoc cap. 5. Quæcumque in sunt in ratione dicente, quid est, per se insunt primo modo. Respōdetur duabus glossis. Prima cadit supra ly ratione dicente, quid est, vt ratio sumatur dici secundum exigentiam rei, & non prout sic significatur, verbi gratia subiectū in recto est extra essentiam proprij accidentis, quia subiectum est substantia, sed tamen vt significatur in concreto significatur vt subiectum sustentans accidentia, & ideo vt eius subiectum in eorum diffinitione ponendū est, vnde accidens non potest diffiniri sine subiecto, vel dicitur, quod in primo modo aliquę propositiones reponuntur per se primo & hæ sunt in quibus diffinitio prædicatur de definito secundum exigentiam vt homo est animal rationale. Aliæ in eo reponuntur per se, secundo, & hæ sunt quæ prædicantur, de definito, siue in recto, siue in obliquo, vt linea est ex punctis, &c.

Secunda est, vt ly per se insint, eo modo, quo significantur inesse. Sed breuiter dicitur, quod prædicari per per se, stat dupliciter. Primo secundū rationem prædicationis formalis, ita vt prædicatum habeat rationem formæ, & subiectum materiæ, & sic subiectum per se non dicitur de proprio accidente. Secundo, ſm rōnem veræ dependentiæ, & causalitatis, & sic subiectum dicitur de propria passione intrinsece, & per se, quia a subiecto per se, & intrinsece dependet, & hoc sufficit, non enim quærendus est idem modus prędicandi in primo & secudo formaliter, sed modus conueniens ipsis.

LECTIO XVI.

Ex Caietano. Cap. 4.

PRo complemento eorum, quæ dicuntur a Caietano circa hunc quartum cap. tria agemus. Primo proponemus aliqua dubia. Secundo respondebimus eisdem dubitationibus. Tertio annotabo aliqua.

Quoad primũ, primũ dubium est circa secundũ modũ dicendi per se. Nam in prædicatione speciei de genere subiectum ponitur in diffinitione prædicati, & tamen hæc non est prædicatio per se, igitur. secundus modus non est quando subiectum est de diffinitione prædicati. Assumptũ patet, nã in hac propositione, aial est hõ, aial est de diffinitione hois, & tamen est prædicatio per accidens, qa accidit animali, quod sit homo, posset enim esse leo, equus &c.

Confirmatur similiter in propositionibus in quibus differentia prædicatur de genere, quæ sunt etiam per accidens, vt hæc, animal est rationale, posset enim esse irrationale.

Secundo dubitatur circa illud corrolarium. Quæcunque neutraliter insunt accidentia sunt, idest, quæ non prædicantur, primo vel secundo modo dicendi per se, accidentaliter prædicantur. Si hoc est verum, ergo prædicationes, in quarto modo erunt per accidens. Probatur consequentia. quia est modus distinctus a primo modo, & a secundo.

Tertio dubitatur num propositio per se, conuertatur in propositionem per se. Affirmatiua pars probatur. Nam quæ prædicantur primo, vel secundo modo, conuertuntur. Igitur. Antecedens probatur exemplariter: Nam hæc est in secundo modo, numerus est par vel impar, At hæc conuertitur in propositione de primo modo. v. par, vel impar est numerus, ergo.

Negatiue arguitur, quia subiectũ intrinsece claudit suum prædicatum, ergo non potest hoc relinquere. Sed derelinquit in conuersione, igitur.

Quo ad secundum pro responsione primi argumenti tria agemus. Primo respondebimus iuxta aliorum sententiam. Secundo improbabimus illam responsionem. Tertio respondebimus secundum veritatem.

Quo ad primum respondebant Aegidius, & alij, quod duplex est p̃dicatio. s. directa, & indirecta. Argumentum procedit de prædicatione indirecta; nempe de illa in qua minus vniuersale prædicatur de magis vniuersali, at Aristot. hic solum mentionem faciebat de prędicatione per se, & directa.

Quoad secundum improbat Caietanus hanc responsionem. Primo, quia prædicatio accidentis de subiecto in concreto, est in primo mõ dicendi per se, quamuis improprie, & tamen illa est prædicatio indirecta, sicut ista.

Secũdo. Quia etiam hoc dato, qd dicendum erit de hac prædicatione differentiæ de genere, puta animal est rationale, in qua prædicatũ se habet vt forma subiecti, sicut etiam in istis numerus est par, capillus est crispus, &c. & tamen istæ tenentur esse prædicationes per se, igitur non indirectæ.

Quoad tertium respõdetur, quod duplex est prædicatum de cuius diffinitione est subiectum, idest, duobus modis potest esse quod subiectum sit de ratione prædicati. Nam quoddã est prædicatum, quod simpliciter, & semper subiecto inest, neque eius oppositum potest ei conuenire, vt quod hõ sit risibilis. Aliud est prædicatum quod non conuenit subiecto, nisi sub disiun-

disiunctione, vt sunt hæc, par, & impar, nam numerus semper sub disiunctione, vel est par, vel impar, & animal vel rationale, vel irrationale. Necesse est ergo, quod prædicatum, in secundo modo dicendi per se inhæreat subiecto semper, vel simpliciter, vel sub disiunctione, sicut patet de his, quę assumpta sunt in argumento. Vnde patet responsio ad primum, & ad confirmationem.

Pro solutione secundi, tria sunt agenda. Primo ponendæ erunt duæ distinctiones. Secundo probandum intentum. Tertio satisfaciendum argumento.

Quoad primum. Prima distinctio est, quod quartus modus potest considerari dupliciter. Primo præcise, & formaliter, inquantum significat per se causalitatem. Secundo reductiue, inquantum reducitur ad secundũ modũ dicẽdi per se, prout causa prædicatur de effectu, sicut interfectio prædicatur de interfecto. Secunda distinctio est, quod verba Aristot. Quæcumq. non dicuntur per se, primo, vel secundo modo, dicuntur accidentaliter, possunt bifariam intelligi. Primo solum formaliter, & hoc quidem falsum est, quia etiam quartus modus dicitur per se, & tamen neque primus, neque secundus est. Secundo virtualiter, seu reductiue, idest, quod non dicitur per se virtualiter, seu reductiue, ad primum, vel secundum modum, accidentaliter inest, & hoc verum est, sed quartus modus reducitur ad secũdum, quia causa se habet vt propria passio effectus, seu subiecti.

Quoad secundum probatur, quod propositio extra primum, & secundũ modũ sit per accidẽs. Termini propositionum, vel sumuntur quidditatiue, vel secundum esse existentiæ, quod habent in hoc, & in illo singulari. Non sic, quia existentia talis terminorum est particularis, & corruptibilium, nec potest generare scientiam, quæ est vniuersalium, & incorruptibilium, ergo secundum. Quadrupliciter autẽ sic solũ quidditatiue termini habent habitudinẽ ad inuicem. Aut enim subiectum est de diffinitione prædicati, & sic est secundus modus, aut econtra, & sic est primus, aut subiectum, & prædicatum sunt de diffinitione eiusdem simul, & hoc est impossibile, quia cõmitteretur circulus, admittitur tamẽ in relatiuis ratione mutuæ dependentiæ, aut nec subiectum est de ratione prædicati, neque econtra, & hoc est per accidens. Patet igitur quod solũ potest fieri per se, quando prædicatũ est de diffinitione subiecti, & econuerso.

Ad argumentũ respondetur quod inest virtualiter, quia reductiue est in secundo modo, & hoc sufficit.

Ad tertium respondendo tria agemus. Primo recitabimus aliorum opinionem. Secundo reprehendemus eam, & probabimus nostram. Tertio satisfaciemus argumento.

Quoad primum Scotus, & Scotistæ tenent absolute partem negatiuam, ducti ratione superius posita, & ex eo quod tenent subiectum nõ posse prædicari in primo modo dicendi per se, quia cadit vt additum.

Quoad secundum reprehenditur. Primo, quia hęc propositio est necessaria, rationale est homo, ergo per se, sed conuertitur, igitur. Secundo, quia in ista propositione, par, vel impar est numerus, prædicatum est de rõne subiecti, igitur in primo mõ, sed hæc conuertitur dicendo numerus est par, vel impar. Tertio reprehenditur in fundamento, quod illud, quod cadit vt additũ in diffinitione non prædicatur in primo modo dicendi per se. Primo, quia exempla manifesta sunt in textu in oppositũ.

Secundo, quia sic sequeretur contra Arist. 7. diuinorum, quod accidentia non haberent diffinitionem. Probatur sequela, quia non diffiniuntur nisi per subiectum.

Quoad tertium, primum fundamentum est circa radicem erroris istorum. Nam aliud est, quod subiectum sit extra essentiam accidentis, & aliud quod sit extra diffinitionem quidditatiuam eius. Primum enim verũ est, quia esſẽtia accidẽtis est accidentalis de prędicamento qualitatis, & subiecti de prędicamẽto subſtãtię. Secundũ tñ falsum est, quia cum esse accidẽtis sit inesse, oportet, qđ diffiniatur per subiectũ, cui inhęret. Secũdũ fundamentũ est, qđ duplex est genus propositionum. Quædam enim sunt necessariæ ex terminis, & hæ semper conuertuntur, sicut hæ, rationale est hõ, homo est rationalis. Quædam, quæ non sunt necessariæ ex terminis, & hæ non conuertuntur, sicut sunt hæ, homo est animal, animal est homo. Tertium fundamentum est, quod per accidens potest habere duplicem sensum. Primus vt idem sonet, quod accidentaliter. Secundus vt idem quod per aliud. Arist. quandoq. vocat hanc propositionem, risibile est homo, per accidens, non primo modo, sed secundo modo, idest per aliud. Quartum fundamentum ex quo deducitur veritas snæ nostræ, est cõis vsus loquentium, solemus enim dicere, oẽ intellectuale est liberum, oẽ liberum est intellectuale, omne necessarium est æternum, oẽ ęternũ est necessarium.

Ad argumentum ergo pro parte negatiua respondetur. Primo negando antecedens, si prædicatum, & subiectum sumantur, vt distincta. Secũdo dicitur, quod intrinsece claudit, sed non vno modo, sed diuersis, prout congruit, primo & secundo modo, in quibus ponitur.

Quoad tertiũ principale. Notandum est primo, quod in secundo modo dicendi per se tripliciter propositiones ponuntur. Primo proprie, & principaliter, & hę sũt illæ in qb. propria passio prædicatur, vel simpliciter, vel sub disiunctione de adęquato subiecto, vel diffinitio passionis propriæ de subiecto, vt sunt; homo est risibilis, vel animal mortale est risibile, vel numerus est par, vel impar. Secundo quædam ponuntur in secundo modo dicendi per se proprie, sed secũdario, & hæ sunt illæ in quibus passio superioris prædicatur de inferiori, vt homo est sensibilis, vel passio inferioris de superiori, si sumantur in particulari, vt quædã figura, puta Isocheles habet tres. Tertio mõ improprie, & hę sunt illæ in quibus diffinitum prædicatur de diffinitione non secũdum naturam, sed secundum modum significandi, vt nasus curuus est simus, & animal rationale est homo.

Secundo notandum est circa tertium modum, qui dicit per se esse, & non in alio, quod duplex subiectum possumus ab eo negare. s. inhæsionis. i. non est in alio, sicut accidens in subiecto; vel subiectum prædicationis, sicut species est in indiuiduis. Primo modo intelligitur, & non secundo proprie, quia etiam substantiæ secundæ dicuntur per se tertio modo si solitarie sumantur, & tamen habent subiectum de quo prædicantur. s. primas substantias.

Tertio notandum circa quartum modum, quod dupliciter potest considerari. Primo formaliter, & sic dicit causalitatem. Secundo virtualiter, vel reductiue, & sic dicit prædicationem, quia etiam subiectum respectu propriæ passionis se habet vt causa. Vnde quartus modus non est, quod causa inquantum causa cum hac reduplicatione, dicatur per se de effectu,

ctu, sed solum quod se habeat vt causa, sicut etiam subiectum se habet vt causa propriæ passionis. Vnde non intellexerunt D. Tho. qui dixerunt, quod quartus reducitur ad secũdũ causaliter, bene prædicatiue.

Quarto notandum est, quod circa secundam conclusionem. s. quomodo modi dicēdi per se ingrediantur demonstrationem, duo sunt animaduertenda. Primum, quod isti modi ad duo possunt comparari; vel ad totam demonstrationem i. ad præmissas, & cõclusionem; vel solum ad conclusionem. Secundum fundamentum est, quod duplex est demonstratio, quædam simpliciter, quæ simpliciter facit scire, quædam secundum quid potius. v. omnis demonstratio vt sic. Si loquamur de demonstratione tota, sic omnes modi vere possunt ingredi demonstrationem; Tertius modus vt subiectum, 1. 2. & 4. vt præmisse, sed in demõstratione simpliciter tm. 2. & 4. vide Caiet.

LECTIO XVII. S.D. 11.

Caput V.

Vniuersale autem dico, quod vtique de omni sit &c.

Ordo. POstquam Arist. explicuit, quod demonstratio ex necessarijs emanat, quid sit de omni, & per se, nunc vult diffinire quid sit vniuersale, & secundum quod ipsum, vt sciamus quod ex his procedit eademmet demonstratio. Nos ergo in præsenti lectione tria agemus. Primo ea omnia quæ ab Arist. in text. dicuntur explicabimus cum suis notationibus. Secundo ponemus duas conclusiones. Tertio dubitamus circa eas, & difficultates soluemus.

Vniuersale tripliciter sumitur. Quo ad primũ. Phil. 1. diffinit vniuersale dicendo, Vniuersale dico, qđ cũ de oĩ sit, & per se, est secundum quod ipsum. Vbi animaduertendum est, quod vniuersale tripliciter sumi potest. Primo absolute, logice loquendo, secundum quod dicitur reperibile in pluribus, & de pluribus prædicabile, & hoc pacto de vniuersali loquuti sumus in libro prædicabiliũ Porph. Secũdo põt sumi prioristice ꝓ propositione vniuersali, quę constat ex termino cõmuni cũ signo vniuersali præposito, vt hæc dicitur vniuersalis, omnis homo currit. Tertio modo dicitur vniuersale posterioristice. v. sumendo ipsum pro aliquo prædicato, quod secundũ quandam adęquationem dicitur de subiecto, ita vt non sit reperibile extra illud subiectum; neque subiectum extra illud prædicatum, & de hoc in præsenti loquimur.

Differt à per se, & secũdũ qđ ipsum. Secundo notandum, quod vniuersale per se, & secũdum quod ipsum, differunt, & sunt idem, non enim differunt realiter, sed formaliter, seu secundum rationem, sicut superius & inferius. Nam vniuersale nihil aliud dicit, nisi rationem vniuersalem de subiecto; per se vero coarctat hanc rationem, vt non stet pro omni ratione vniuersali vt sic, sed per se, & secundum quod ipsum magis coarctat ipsam, quia oportet qđ conueniat primo, & conuertibiliter, & adæquate.

Quid sit secundũ qđ ipsum. Tertio ergo notandum, quod secundum quod ipsum denotat adæquationem, Vnde ad hoc quod aliquid dicatur prædicatum secundum quod ipsum, requiruntur istæ conditiones. Prima, quod adæquate prædicetur. i. non sit sumere aliquid sub subiecto, de quo non dicatur prędicatum, neq; sub prædicato de quo non dicatur subiectum. Vnde differentia est inter prædicationem immediatam, & secũdum quod ipsum: Nam hæc prædicatio est immediata, homo est animal, quia ly animal,

quod est genus, immediate prædicatur de ipso homine, sed non secundum quod ipsum, quia sub prædicato potest contineri aliud subiectum, v. Leo, capra, vel equus; hæc aũt est secundum quod ipsum, homo est animal rationale, quia rationalitas non est reperibilis nisi in homine. Secunda conditio est, vt conuertibiliter dicatur, vt fit in ista. Omne animal rationale est risibile, Omne risibile est animal rationale. Tertia est, quod subiectum se teneat cum reduplicatione, vt dicendo homo, vt homo est rationalis, nam homo vt animal non est rationalis, sed sensitiuus. Hinc exclusam habes opinionem Ferr. 2. contra gentes. Cap. 15. quod genus prædicetur secundũ quod ipsum, de specie sibi immediata, non enim de ea prædicatur adęquate, & conuertibiliter, vt opus est ſm S. D. hic, & Albertum cap. 12. Caie. Toletũ, & Antoniũ Ruuio hic.

Secundum quod ipsũ dicit immediationem prædicabilitatis. Quarto tamen notandum, quod illa propositio quæ dicitur secundum quod ipsum sit immediata, potest dupliciter intelligi. Primo immediatione causalitatis. i. quod dicatur de subiecto, pręscindendo a sua ratione omnem causalitatem, & hoc quidem falsum est, nam hæc propositio est secundum quod ipsum, homo est risibilis, quia hó vt hõ, idest vt rationalis est risibilis, & tamen nõ conuenit risibilitas immediate immediatione causalitatis homini, quia habet rationalitatem tanquam causam: Alia dicitur immediatio prædicationis, quia prędicatum non est reperibile extra subiectum, & conuertibiliter dicitur de subiecto & de hac immediatione libenter concedimus rationem. Nec officit, Arist. in initio de iuuentute, & senectute dicere, quod animal, vt animal est viuens, qđ est genus ei superius, nã ly inquãtũ, ibidẽ non idem sonat qđ ſm quod ipsum, sed vt idẽ est qđ essẽtialiter, vel intellexit ipsum esse viuens vita sensitiua.

Et primitatem adæquationis. Quinto notãdũ est, vlterius asserere Arist. cõclusionẽ demõstrationis esse vniuersalem, qđ tñ põt intelligi dupliciter. Primo vniuersaliter .i. quod omnis demonstratio sit uniuersalis, & hoc non est verum, quia dum demonstratur habere pura tres de Isocheli, non demonstratur vniuersaliter de omni figura. Secundo, quod demonstratio quæ habet infrascriptas conditiones sit vniuersalis, & hoc verum est. Prima conditio est, quod propria passio demonstrata ꝑ se cõueniat subiecto. Secunda, quod non solum conueniat per se, sed per se primo, & secundum quod ipsum, quia dum demonstratur habere tres de Isocheli, est demonstratio particularis huius figurę, sed habere tres non conuenit primo, etsi per se isocheli, sed triangulo, & Isocheli per aliud .i. per triangulum. Demonstratio ergo vniuersalis semper est, quando concluditur propria passio, per se primo conueniens subiecto conuertibiliter, & adęquate, secus de illa quę conuenit secundo, &c.

Conclusiones. Quoad secundum, conclusiones ponuntur. Prima est. Recta est assignatio vniuersalis data a Philosopho, dum dictum est, Vniuersale est de omni, per se, & secundum quod ipsũ. Probatur, Vniuersale est quod primo prædicatur; At tale est de omni, per se, & secundum quod ipsum, Ergo. Probatur maior, quia sic explicat totam naturam diffiniti.

Secunda est, Conclusio demonstrationis per se &c. est vniuersalis, Probatur, Nam proprie in propria demonstratione, demonstratur propria passio de proprio subiecto. Sed talis conuenit subiecto vniuersaliter, sicut risibilitas homini, & omni homini, igitur.

Argum. Quo ad tertium contra primam con-

conclusionem arguitur primo, quod non recte sic diffiniatur vniuersale. Vniuersale est quod inest de omni, per se, & secundum quod ipsum. Primo. Nam animal est vniuersale quoddam, & tamen non inest secundum quod ipsum inferioribus, quia non conuertibiliter prędicatur.

Secundo. Album est vniuersale, & prędicabile, quod est accidens, & tñ non inest per se. Ergo male assignata est diffinitio vniuersalis.

Tertio. Vniuersale vel sumitur ꝑ propositione vniuersali, vel pro termino vniuersali. Nõ primũ, quia hęc est vniuersalis, Omnis homo currit, & tñ non est per se. Non secundum, quia homo est terminus vniuersalis, & tamen non conuenit Sorti secundum quod ipsum.

Quarto. Aliter diffinitur vniueruersale a Porphyrio, ergo hęc erit mala, vel illa.

Contra secundam conclusionem arguitur primo. Quia infra Phil. ostẽdit aliquam demonstrationem esse particularem. s. quę concludit conclusionem particularem, ergo non semper erit vniuersalis.

Secundo, ista est conclusio demonstrationis propter quid, homo est risibilis, quia in ea prædicatur propria passio de proprio subiecto, & tamen non est vniuersalis, cũ sit indiffinita.

Tertio. Si conclusio esset vniuersalis, esset quia in ea demonstratur propria passio de proprio subiecto, Sed cõsequens est falsum, nam si passio prędicatur immediate de proprio subiecto, ergo non poterit demonstrari, quia propositio immediata non demonstratur.

Soluũtur. Ad primum dicendum, quod animal genus prædicatur per se de homine, & leone, sed non vniuersaliter posterioristice, quia non secundum quod ipsum, quia prædicari secundũ quod ipsum, est prædicari adæquate, & conuertibiliter, non autem est vera conuersio, omnẽ animal est homo, quia potest esse leo.

Ad secundum dicitur, quod albũ est vniuersale prioristicum, i. prædicatum vniuersale, sed non secundum quod ipsum, quia non est per se.

Ad tertium dicendum, quod sumitur primo, & secundo modo dicendi per se, dummodo seruentur conditiones vniuersalis posterioristici .s. vt sit per se, adæquatum, & conuertibile, quæ conditiones non seruantur in exemplis allatis, nam hæc, omnis homo currit, nõ est per se, & hęc Sortes est homo, non est conuertibilis, & adæquata.

Ad quartum dicimus, quod Porphyrius diffiniuit vniuersale, vt sic, sed hic diffinitur vniuersale tantum posterioristicum.

Ad primum contra secundam cõclusionem dicendum, quod passio duapliciter demonstrari potest de subiecto, Primo de suo adæquato subiecto, vt risibilitas de homine, & ita est vniuersalis. Secundo de inadæquato, & inferiori, v.g. risibilitas de Sorte, & sic potest esse particularis, sed prima tantum est intenta, & per se primo cõueniens demõstrationi vniuersali.

Ad secundum dicendum, quod hæc, homo est risibilis, est vniuersalis vniuersalitate rei, quia secundum se omnis homo est risibilis, non vniuersalitate signi, quia non ponitur ante ly homo, signum vniuersale .s. omnis, primo modo loquimur .s. posterioristice.

Ad tertium dicendum, quod duplex est immediatio .s. prędicationis, & sic hæc est immediata, & per se, Homo est risibilis. Alia dicitur causalitatis, quia non habet causam, & sic non est immediata, quia risibilitas habet pro causa rationalitatem. Vndę quod quid est subiecti, est medium in eius demonstratione.

Ca-

Caput quintum.

LECTIO XVIII. S.D. 12.

Diffinito vniuersali, vlterius procedit Arist. & explicat quomodo, & quando contingat errare circa vniuersale. Vnde hos errores explicaturi, duo principaliter agemus; primo explicabimus rem more solito, secundo dubitabimus circa aliqua.

Error triplex circa vniuersale. Quoad primum, primo notandũ est (vt inquit Arist.) quod tripliciter contingit errare circa vniuersale. Primo modo, quando sub aliquo vniuersali, non sumimus nisi vnum particulare, nam si demonstraremus quod passio vniuersalis conueniat huic particulari subiecto, tanquam vniuersali subiecto, esset error, sicut si demonstraremus sensibile de homine, nam sensibile est quoddam vniuersale ꝙ conuenit animali, tanquam adæquato subiecto, si ergo demonstraretur de homine, non demonstraretur de adæquato subiecto, vnde sic primo accideret error. Secundo occurit, si illud vniuersale esset innominatũ, & tamen demonstraretur de singulis speciebus, esset error, v.g. si animali non esset nomen impositum, & sensibile quod per se primo conuenit animali, demonstraretur de homine, equo, leone, &c. esset error, quia non conueniret eis primo, sed illi vniuersali .s. innominato. Tertio modo accidit error, quando passio inferioris demonstratur inesse superiori, sicut si risibilitas quæ est passio hominis, ostenderetur de animali.

Exempla. Secundo notãdum, quod Philosophus de singulis modis errandi circa vniuersale exemplificat in textu, vnde non erit absque ratione si eius exempla adduxerimus. De tertio igitur errore sic tradit exemplum, vt si concurrere .i. simul conuenire demonstraretur de omnibus lineis rectis esset error, quia conuenit solum parallelis, i. æque distantibus. Exemplum de secundo est, vt si proportionari vicissim, quę est passio alicuius superioris innominati ostenderet conuenire temporibus, formis, lineis &c. Et de primo errore, vt si habere tres demonstraretur de Isocheli, dato etiam quod sola hęc figura trium laterum esset, esset error, quia non primo ei conuenit, sed triangulo, & cæteris figuris inquantum sunt trianguli.

Regula. Tertio notandum, quod vlterius Arist. in tex. adducit quoddam documentum tanquam regulam, ex qua facile cognoscere poterimus quando erit assignatum verum, & proprium vniuersale, & est. Quando posito illo vniuersali prædicato, adhuc potest stare sine tali subiecto, conijcimus tunc, quod vniuersaliter ei non cõuenit, sicut posito animali, non est necesse poni risibile, quia tale animal vel erit equus, vel asinus. Sed quando posito tali prædicato, ponitur etiam tale vniuersale, signũ est quod est recte assignatum, sicut posito sensibili ponitur animal, & posito animali, ponitur sensibile.

Explicatur primus error. Quarto notandum est circa primum modum, nempe dum dicebamus primo committi errorem, quando vniuersale assignatur particulari, quod particulare duplex est. Quoddam proprie dictum particulare, seu singulare, quod significat materiam signatam sub dimensionibus terminatis, per principia indiuiduantia .i. has carnes, & hæc ossa. Quoddam vero dicitur singulare in respectu, si cõparetur ad magis vniuersale, sicut species dicitur quoddam singulare, si ad genus comparetur, & hoc secundo modo accipit Arist. singulare .i. in respectu.

Quinto adnotandum est circa secun-

Differt a secundo. eundũ modum, ipsum differre a primo in hoc, quod primo modo committitur error, si vniuersale assignetur singulari solum: secundo vero modo etiam si omnibus speciebus coniunctim, sed tamen illud commune sit innominatum. Vbi sciendũ, quod prædicatum illud vniuersale, si sit innominatum, oportet quod primo cõueniat vniuersali, conuenire autem primo vniuersali non est conuenire cuidã singulari, vel alicui speciei distinctim, neque omnib. coniunctim, v g. sensibile si demonstretur de homine solum, vel etiam de homine, equo, & omnib. suis speciebus, & distinctim, & coniunctim sumptis esset error, quia non conuenit adæquate speciebus, sed generi. v. animali.

Explicatur exemplum secundi erroris. Sexto notandum est circa exemplum adductum pro secundo errore, quod proportio est habitudo vnius quantitatis ad aliam quantitatem, sicut sex ad tria se habent in proportione dupla, quia duo tria faciũt sex, & 12 ad tria se habent in proportione quadrupla, quia quatuor tria, faciunt 12. Proportio tamen, & proportionalitas distinguuntur, quia proportio saluatur inter ea, quæ sunt eiusdem generis, proportionalitas vero inter ea quæ sunt diuersorum generum, vnde inter Deum, & creaturam non reperitur proportio, sed proportionalitas, quia sicut Deus se habet ad suum esse, ita creatura ad suum. Sed de proportionalitate in 4. diuinorum abunde diximus, & de analogia quam fundat.

Regula vera. Septimo notandum est, quod omnes isti tres errores reducuntur ad vnum preceptum: Quod quando vniuersale assignatur cui conuenit per se primo, non committitur error, si vero assignetur cui per se primo non conuenit, sic, & hoc patet in omnibus modis. Primus enim error accidit, quia assignatur singulari, cui per se primo non conuenit. Secundus, quia non generi innominato cui primo conuenit, sed speciebus, quibus secundario conuenire dicitur. Tertius q a ratio inferioris assignatur, superiori, cui primo conuenire non potest.

Quoad secundum est dubium motum ex quadam ratione S.D. in hac lectione, inquit enim quod genus necessario duas species sub se continet, species vero potest saluari in vno indiuiduo, & ratio est, quia genus diuiditur per duas differentias, saltem constitutiuas duarum specierum. Cõtra, Si vnũ indiuiduũ saluat speciem, ergo vna species genus, Probatur seque la, quia non videtur maior ratio de vno, quam de altero.

Contrarietas duplex communis & propria Pro solutione huius dubij etiam in initio prædicabilium tacti, aliqua sunt notanda. Primum quod duplex est contrarietas, Quædam communiter dicta, quæ reperitur inter habitum, & priuationem, vel vniuersaliter inter duas differentias diuisiuas eiusdem generis. Alia vocatur proprie contrarietas, duarum formarũ accidentalium, mutuo se expellentiũ ab eodem subiecto, contrarietas differentiarum est communis, & non propria, & de hac loquimur.

Secundũ fundamentum est, quod esse, duplex est. s. essentiæ, & existentiæ, de quibus abunde (prout necesse est) dictum fuit. His stantibus dixerunt aliqui, quod genus necessario habeat sub se duas species saltem, potest intelligi dupliciter. Vno modo quoad esse existentiæ .i. inquantum existit in singularibus. Secundo quoad esse quod habet in suis causis, tunc dicunt quod primo modo non est intelligendum, sed secundo .i. quoad eius potestatem. Sed ego non approbo hanc responsionem, quia S.D. volebat assignare aliquid proprium generi, per quod distingueretur a speciebus, sed species quoad potestatem.

&

non semper necessario quoad essentiam saluatur in vno indiuiduo, ideo nihil dixisset. Ego autem puto esse distinguendum, quod genus semper requirat duas species sub se, potest bifariam intelligi. Primo quoad actum diuisionis, & quoad differentias diuisiuas, & sic semper non solũ potestatiue sub se reqrit duas species, verum in actu, quoad principium cõstituendi. Secundo potest intelligi quoad species constitutas formaliter, in esse completo, & hoc est aliquando possibile quod non, vel quia vna differentia est negatiua, vel quia non potest complere actum suum, ex impedimẽto esse actualis existentię, sed me remitto ad dicta superius.

LECTIO XIX.

Cap. 5. Ex Caietano.

PEractis ijs, & expeditis, quæ ab Aristot. & S. D. dicta sunt in 5. cap. restat modo, vt etiam ad maiorem rei explicationẽ ea adducamus, quæ solerti diligentia a Caiet. adinuenta sunt. Tria ergo in hac lectione erunt agenda. Primo compilandus erit textus totius huius capitis. Secundo adducendæ erunt aliquæ dubitationes, & soluendæ. Tertio demum erunt aliqua adnotanda.

Quoad primum, summa textus reducitur ad vnam diffinitionem, ad duas propositiones, duo corrolaria, ad tres modos errandi circa vniuersale, & demum ad vnam regulam.

Diffinitio est vniuersalis. Vniuersale est de omni, per se, & secundum quod ipsum.

Prima propositio est. Per se, & secundum quod ipsum idem sunt, & vniuersale est, quod primo demonstratur.

Secunda. Demonstratio huius vniuersalis per se est, aliorum autem non est per se, quodam modo.

Primum corrolarium ad diffinitionem. Vniuersalia necessario insunt rebus.

Secundũ ad modos errandi. Si q̃s demonstret de triãgulo habere duos rectos, procederet sophystico modo, quia habet tres.

Modi errandi sunt tres. Primus, quãdo singulare supponitur sub vniuersali. Secundus, quando innominatum genus, attribuitur speciebus per se primo. Tertius quando passio inferioris assignatur superiori.

Regula est, quod primo inest, non destruitur, destructis speciebus, &c.

Quoad secundum. Primum dubium est circa diffinitionem vniuersalis. Diffinitio non debet esse nugatoria, at tunc in diffinitionę committimus nugationem, quando duo quæ sunt eadem ponimus in eadem diffinitione. Hoc fecit Aristot. Ergo diffinitio vniuersalis est nugatoria. Maior pro syllogismi paret, quia diffinitio nihil continet superflui. Minor etiam, quia datur causa innotescendi. Assumptum est Aristot dixit enim in textu, quod per se, & secundum quod ipsum, idem sunt.

Secundo dubitatur circa eandem diffinitionem, quia videtur diminuta. Nam habere tres cõuenit per se & secundum quod ipsum Isocheli, sicut & esse sensibile homini, & tamen non inest vniuersaliter ipsi Isocheli, &c. Sed triangulo; &c. igitur. Assũptũ ꝓbatur. Illud cõuenit alicui secundũ quod ipsum, qđ sibi cõuenit cum reduplicatione. At Isocheli & homini cõuenit vni habere tres, & alteri sensibile esse, ergo. Probatur assumptum iterum, quia Isocheles, vt Isocheles habet tres, & homo vt homo est sensibilis.

Tertio dubitatur, num vnũquodq;

quod conuenit alicui, vt adæquato subiecto, possit conuenire alteri per se primo, sicut habere tres, quod primo conuenit triangulo, possit per se primo conuenire Isocheli, & non solū triangulo, & hoc dico formaliter. A parte negatiua sunt Aristot. & omnes illustres expositores saltem prima facie, quia textus habet, quod solum per se primo conuenit adæquato subiecto.

A parte aũt affirmatiua est hæc ratio. Idem sunt hæc. Vniuersale puta sensibile inest alicui per se, & secundum qđ ipsum, seu inest alicui per se primo, seu cæteris per illud vniuersale. Stante hoc fundamento, arguitur sic. Perfectiones communes Deo, & alijs, primo conueniunt Deo, & participatione alijs. Sed creaturę quibus insunt hæ perfectiones non habent naturam, & rationem primi subiecti cui insunt, idest, esse Dei, igitur potest reperiri aliqua ratio, per se primo conueniens alijs a primo subiecto.

Quoad secundum pro solutione primi dubij duo agemus. Primo ponemus aliqua fundamenta. Secundo respondebimus oppositis. Primum fundamentum est, quod per se, & secundum quod ipsum esse idem, stat dupliciter. Primo materialiter, & realiter, & hoc verum est, nā eandē rem significant. Secundo formaliter, & secundum rationem, & sic distinguuntur; quia secundum quod ipsum addit ad per se, ly primo.

Secundum fundamentũ est, quod in diffinitione ponimus diuersas particulas dupliciter. Primo vt genus, & differentiã, seu vt intrinsecas, & essentiales. Secundo vt vna explicat naturam diffinitionis totalem, quia diffinitio debet esse explicatiua rei a primo actu, vsque ad vltimam potentiam. Tunc respondemus ad argumentũ, quod diffinitio est nugatoria, quando ponuntur duæ particulæ in diffinitione, quæ sint idem materialiter, & formaliter, modo negatur minor, & hoc factum est ratione maioris explicationis.

Ad secundum similiter respondendo duo agemus. Primo ponemus aliqua fundamenta. Secundo formaliter respondemus argumento.

Primum fundamentum est, quod ly secundum quod ipsum, potest importare duo. Primum, illud quo formaliter, & intrinsece reseft, sicut homo rationalitate, & nō risibilitate homo est. Secundũ est, illud per quod res illæ a cæteris differunt, vt homo per rationalitatem solum, & non per sensibilitatem, differt ad omnibus brutis.

Secundum fundamentum est, qđ ly secundum duplicitér sumi potest. Primo vt solum notat reduplicationem, quod prædicatum insit huic, puta sensibilitas homini conuenit inquātum homo. Secundo vt notat adæquationem rationis prædicati, quæ conueniat simpliciter huic subiecto, sicut sensibilitas conuenit adæquate ipsi animali. Si primo modo vtriusque distinctionis consideretur, ly secundum quod ipsum. v. pro illo quo res ponitur in esse, & vt solum notat reduplicationem, sic conuenit intrinsece, & sunt idem, per se, & secundũ quod ipsum. Si vero sumatur secundo modo, nempe inquantum significat illam rationem, qua illud cui conuenit ratio tals vniuersalis, a cæteris differt, & adæquatæ dicitur, sic solum conuenit alicui primo, &c.

Ad argumentum ergo dico, quod sensibilitas conuenit quidem intrinsece homini, non tamen adæquate, prout a cæteris differt, quia sensibilitate non differt a brutis, sed rationalitate, bruta enim & ipsa sensibilia sunt.

Contra tamen hanc respōsionem

potest esse, quia sensibilitas conuenit hominj vt pars suæ diffinitionis, igitur secundum quod ipsum. Probatur sequela, quia in diffinitione non ponuntur nisi illæ particulæ quæ diffinito cõueniũt secundũ quod ipsum.

Respondetur, quod inesse alicui ratione suæ diffinitionis stat dupliciter. Primo vt pars necessaria diffinitionis, & sic conuenit ei per se primo, quod conuenit vt pars diffinitionis. Secũdo vt magis explicans naturam diffinitionis, & sic non conuenit per se primo, nam verbi gratia, sensibilitas includitur in ipsa rationalitate, ponitur tamen in eius diffinitione, vt magis explicatiua.

Ad tertium, tenet Caiet. partem affirmatiuam fere absolute, & dicit Arist. propositionem non esse coarctandam. Sed ego dicerem, quod aliquod prædicatum conuenire per se primo, & adæquate duobus, potest intelligi dupliciter. Primo omnino disparatis, & vt disparata sunt, vel vt sunt analoga analogia attributionis vnius ad alterũ. Secundo inquantum habent aliquam proportionem in aliqua ratione vna communi, sicut contingit in perfectionibus simplicibus Metaphisicis, præcipue in ipso Deo, nam sicut Deus se habet ad suũ esse, ita etiam creatura ad suum, & sicut esse substantiale ad substantiam, ita etiam accidentale ad accidens, & ita proportionaliter, & intrinsece analogatis conueniunt.

Quoad tertium primo notandum est, quod aliqui reprehendunt S. D. quia dixit per se, & secundum quod ipsum, esse idem, illi autem credunt, quod voluerit intelligere, vt sint idẽ conuertibiliter. Sed illi falluntur, quia S. D. 2. contra gentes cap. 15. tenet quod distinguantur, quia vnũ prædicatum duobus conuenire potest per se, sed non secundum quod ipsum, nam sensibile per se conuenit hominj, & leoni, quia leo, & homo per se sensibiles sunt, non tamen secũdum quod ipsum, quia sic solum animal est sensibile. Nec multum immorãdum censeo circa hoc, quia Caiet. litera clara est in re parui momẽti, in qua ipsi aduersarij sibimet nõ cõstãt.

Secundo notandum circa hanc propositionem. Vniuersale est cũ primo demonstratur, quod cum superlatiuum dupliciter exponatur, scilicet positiue, idest, quod sit supra omnia alia eiusdem rationis, & negatiue, idest, quod non habeat aliquid eiusdem generis superius, quod vniuersale vtroque modo vendicat sibi ly primo, quod est superlatiuum, quia quod conuenit alicui vt vniuersale, ei prius omnibus alijs, & nulli prius conuenit.

Tertio notandũ, dum dicimus qđ vniuersale, primo conuenit rei cuius dicitur vniuersale, quod loquimur de ijs, quæ ab vniuersali distinguuntur. Quæ aũt distinguuntur sunt, tam genus subiecti, q̃ inferiora eius, vnde animalitas, primo non conuenit homini, quia est genus ad hominem, conuenit enim primo animali, neq; rationalitas, primo conuenit animali, qa est eo inferior. Vnde superiora & inferiora vniuersaliter, primo nõ possunt conuenire subiecto. Quæ autem conuertuntur cum subiecto, vt differentia essentialis, & diffinitio, primo conueniunt vniuersali, vt rõnale, qđ est differentia hoïs, & animal rationale, qđ est eius diffinitio, ipsi homini, primo conueniunt. Idem dicimus de passione non tam prima, quã secunda, & tertia, dummodo conuertantur cum subiecto, vnde risibile, mortale, &c. primo conueniunt homini. Et quamuis secunda passio non conueniat subiecto nisi mediante prima, tamen non dicitur prius ei inesse, sed proximius. Vel secundo dicendum, quod secunda passio non

dicitur inesse primę, sed fluere ab illa. Vel tertio, quod secunda passio censetur idem cum subiecto, vt in ea manet virtus subiecti. Vel quarto dicendum, quod omnia illa, quæ conueniunt alicui conuertibiliter vt subiecto, dicuntur ei primò conuenire, siue sint primæ, vel secundæ passiones, vel tertiæ vt supra.

Quarto loco occurrit quędam dubitatio circa regulam cognoscendi vniuersale .s. Quod primo inest, non destruitur, destructis speciebus. Dubium ergo est, triangulo v.g. primo conuenit habere tres; secundo superioribus vt figuræ, & inferiorib. eius, vt Isocheli, & accidentibus eius, v.g. æri, vel albedini triangulari, nam hęc non possunt habere tres, nisi præ habeant figuram trianguli, cui primo conuenit habere tres. Quæro ergo, vtrum hæc ratio formalis possit saluari in aliquo, nisi formaliter, & secundum se habeat eam, & videtur quod sic, quia hic habemus quod nō potest inueniri vniuersale alicuius, si ne eius primo subiecto, v.g. habere tres, sine triangulo, & expositores dicunt consistere in adæquatione subiecti ad prædicatum, & econuerso, ergo vnum non potest inueniri vbi aliud non est.

In contrarium tamē est, quia multę perfectiones sunt in Deo formaliter, & primo, v.g. esse, viuere, scire &c. quæ etiam formaliter sunt in creaturis, & primo, & tñ diuinum esse, viuere, & scire nō est formaliter in creaturis. Respondetur ergo huic difficultati, quod vniuersale primo conuenire alicui potest, quamuis subiectum eius primum in alijs formaliter non sit, sufficit .n. vt sit ibi participatiue, vel formaliter. Formaliter vt dictum est de triangulo respectu figuræ triangularis: participatiue, vt dictum est de esse participato a creaturis. Sed notandum, quod quamuis non sit necessarium vt vniuersale primo alicui conueniat, q subiectum eius primo in alijs inueniatur, sed vel formaliter, vel participatiue, tamen semper sunt necessariæ duæ conditiones. Prima, vt formaliter prædicatum saluetur in vtroque, sicut esse formaliter saluatur in Deo, & creaturis. Secunda est, vt in vno saluetur per aliud, sicut esse non saluatur in creaturis, nisi vt participant diuinum esse, & per diuinum esse.

Caput sextum.

LECTIO XX. S.D.13.

Si igitur est demonstratiua scientia.

HOc est 6. cap. in quo Philosoph. ostendit, quomodo demonstratio sit ex necessarijs. Vnde tria agemus circa hoc. Primo adnotabimus omnia, quę habentur ex textu, & etiā faciunt ad explicationem rei. Secundo eliciemus ex textu vnam conclusionem, & eam probabimus. Tertio dubitabimus.

Quoad primum, primo sciendum est, quod est dissensio inter expositores circa modum procedendi, & probandi conclusionem. Nam S. D. Caietanus, & cæteri veri Thomistæ tenent, Aristotel. velle hic probare, quod demonstratio est ex necessarijs, quia est ex his quæ sunt per se. Toletus vero, & Soto dicunt potius Arist. probare, quod demonstratio est ex his quæ sunt per se, quia est ex necessarijs, & Soto hoc probat his rationibus. Prima, hoc est quod Arist. intendit in his quatuor capitibus. Secundo, quia infra Arist. probabit quod demonstratio est ex his quæ sunt per se, quia est ex necessarijs, quare si modo probaret quod sit ex necessarijs, quia ex his quæ sunt per se, vteretur circulo. Tertio, quia videtur hoc significa-

te litera Argiropoli.

Arist probat demonstrationem esse ex necessarijs.

Sed oppositum suadetur istis rationibus. Primo, quia est autoritas S. D. cui non debet contradicere Soto, Sed ipse respondet, hoc non esse inconueniens in re parui momenti sicut ista; Sed profecto iste reduplicat errorem, quia tenet S, D. non curasse de omnibus. Secundo, quia est disputatio de intentione textus, & Arist. igitur nō de re parui momēti. Tertio quia est fundamentum totius capitis. Quarto quia Arist. tenet quod demō stratio est ex necessarijs, vbi ergo probauit hoc, si non hic? Nec rationes eius aliquid valent, nam ad primam dicimus, non solum Arist intendere in his capitibus demonstrationem esse ex his quæ sunt per se, sed etiam ex necessarijs, & forsan magis, quia magis naturam demonstrationis explicanr. Nec secunda vrget, quia dum ipse vult euitare circulum, commisit superfluitatem; si enim hic Arist. probauit, quod demōstratio est ex his q̄ per se sunt, quia ex necessarijs, cur postea idem replicauit, vt ait Soto? Signum ergo est, quod aliud medium intendebat Arist. hic, & aliud ibi, nec circulus est tollendus in ijs, quæ se inferunt, & idem sunt, vt necessarium, & per se. Ad literam Argiropoli dicimus satis bonum esse textū veterē & a pluribus acceptatum.

Posteriori stice.

Secundo ergo notandum, Arist. ponere hanc conclusionem in tex. Demonstratio est ex necessarijs, quā probabimus infra in conclusione. Notandum tamen est, quod dicit cōtingere ex falsis, & ex contingentib. syllogizare, i. componere argumentum, non tū demonstrare .i. facere demonstrationem, quæ concludat rē ita esse, sicuti est.

Probatur a signo.

Tertio notandum circa tertiam rationem Arist. (argumentatur enim ibi a signo, quod demonstratio sit ex necessarijs,) quod non ferimus instantias contra aliquē, nisi dum vult probare aliquam conclusionem, & non assumit media necessaria, hæc uero, argumenta a signo adducuntur propter duo. Primo quia demonstratur ueritas tunc etiam ex concessis ab aduersarijs, eiusmodi .n. signa ita euidentia sunt, ut etiam a proteruis negari non possint. Secundo, qa demonstrator debet sumere etiam a signis argumentum, dum a priori iam rem demonstrauit, ut omnibus modis uideatur uerum, quod dicitur.

Propositiones necessariæ dupliciter.

Quarto notandum, quod propositiones quæ inferunt necessariam cō clusionem sunt in duplici differētia. Quædam enim assumunt necessitatē conclusionis quam probant, & etiam ostendunt simul causam necessitatis, & hæc est demonstratio potissima de qua præcipue, & directe hic loquimur. Quædam uero demonstrationes procedunt ex necessarijs propositionibus, sed simul non ostendūt causam necessitatis, & eiusmodi procedunt per causas remotas, ut Omne animal rationale est vegetatiuum, homo est animal rationale, ergo est vegetatiuus, & ista demonstratio tripliciter fieri potest. Primo, quando conclusio habetur per causas, sed remotas, ut exemplificauimus. Secundo procedendo ab inferioribus ad superiora, ut dicendo, omne animal est substantia, homo est animal, ergo est substantia. Tertio, quando demonstrationes procedunt ab effectu, uocantur enim istæ demonstrationes, sed non potissimæ, quia non procedunt ex immediatis causis, nec simul necessitatem conclusionis ostendūt, de quibus in præsenti sermo non est.

Demōstratio procedit ex signis quomodo.

Quinto notandum, (quia quandoque in demonstratiua scientia argumētamur ex signis.) Quod duplex est signum. Quoddam uocatur certum, & necessarinm, & infallibile, ut quod ignis fuerit, quia sunt cineres,

Quod-

Quoddam uero est fallibile, nec mul tum certum, sicut quod aliquis sit rubeus ex uerecundia, potest enim esse quod ex uerecundia, & a natura, uel ex calore, rubeus sit. Demonstratio non procedit ex signis secūdo modo. sed si aliqua scia ex his procedit erit Topica, ergo procedit ex primis Hoc autem potest accidere dupliciter. Vel argumentando per principia contingentia, vel per principia necessaria solum; secundo modo in arte demonstratiua, sed non in demonstratione potissima vtimur signis.

Scientia quatuor modis am mittitur. Sexto notandum est, quod Arist. in vna ratione assumit quatuor modos quibus ammittitur scientia, & in quibus non cognoscimus conclusionem; Primus est, quando homo moritur, qui habebat scientiam. Secūdus, quando corrumpitur non sciens, sed res scita. Tertius, quando sciens ammittit rationem sciendi, & scientiam. Quartus quando obliuiscitur, & ex omnib. rationib. positis, subdit quod hinc colligimus quam stulti sint sophystæ, qui arbitrantur aliquid demonstrare, & tamen non assumunt causas necessarias.

Conclusio probatur. Quoad secundum ponitur hæc cō clusio; Demonstratio est ex necessarijs. Probatur primo. Effectus necessarius non pendet nisi a causa necessaria. Sed conclusio est necessaria, & est tāquam effectus præmissarum, ergo erit a præmissis tanquam a causis necessarijs.

Secundo (sed erat in Arist. primū argumentum) Demonstratio est ex his quæ sunt per se, ergo ex necessarijs. Probatur consequentia, quia necessarium, & per se idem sunt.

Tertio a signo, Nos non ferimus instantias contra aliquem, nisi ex eo quod putat se demonstrare ex necessarijs, & non demonstrat, ergo signū est, quod demonstratio est ex necessarijs.

Multæ aliæ rationes possent elici ex textu, si adamussim velimus eas expendere, sed etiam addiscentibus aliqua relinquenda sunt, proprio marte addiscenda.

Argum. Quoad tertium argumentatur. Primo, quod demonstratio non procedat ex necessarijs, & si procedit ex necessarijs, nō sit vera demonstratio. Multa probamus, quæ necessario sūt, & tamen non faciunt demonstrationē, p causā sicut qd ignis fuerit, quia cineres sūt, vel qd mulier habeat lac, quia peperit, & de similibus.

Secundo argumētatur circa illam rationem, quod contingens non potest esse causa necessarij, contra, Vulnus infigatur homini, hoc vulnus est contingens, & tamen facit necessario, quod homo moriatur, Ergo.

Tertio, contra quatuor modos deperdendi scientiam; Non habere rationem, & oblitum esse idem sunt, ergo diuisio Philosophi est superuacanea, quia membra coincidunt.

Quarto. Arist. secundo. Post. tenet per falsum deduci verum, & hic oppositum ait.

Quinto, contra illum modum deperdendi scientiam, quia deperditur res scita, Cōtingit quod rosa non sit, & tamen quod habeam de rosa sciētiam, ergo corrupta re scita, non corrumpitur scientia.

Soluūtur. Ad primū dicimus, quod duplex est demōstratio. Prima dr̄ a priori, q̄ datur per causam necessariam. Secunda dicitur a posteriori, quæ datur vel p causas remotas, vel ab effectibus; nos loquimur de prima, argumentū procedit de secunda.

Ad secundum multa adducit Aegidius superflua, nec omnino vera. Ad argumētum ergo dico, quod causa necessaria dicatur, stat dupliciter. Primo a seipsa, i. quia natura sua, est natura causę necessariæ respectu huius effectus producti, vel producendi.

di. Secundo ex conditione aliqua, sicut est adducta, nam vulnus contingens est ex sua natura, sed ex conditione trahit necessitatem, quia fuit lethale, nā dū res est, necesse est esse.

Ad tertium respondetur aliqui, qd quis potest habere rationem conclusionis, & esse oblitus conclusionē, sicut dum habeo maiorem extremitatem alicuius conclusionis, non tum habeo conclusionem. Sed ego iudicarem, quod per non habere rationē Arist. intellexerit, nón habere cognitionem alicuius conclusionis, vel principij, & per esse oblitum intelligat quod postquam habuerit cognitionem, non amplius recordetur, hęc enim possunt distincte stare, quod quis habeat conclusionem in habitu, & postea obliuiscatur, & quod ignoret & principia, & conclusiones. Habeas autem quod corrupto sciente hoc, corrumpitur eius scientia, & si non omnis aliorum sciētia. Et corruptis instrumētis internis scientiæ, & ipsa corrumpitur: Et data totali obliuione rei scitæ s in actu primo, & secundo deperditur scientia, non vero data tm obliuione in actu scdo.

Ad quartum dicitur, quod Arist. intelligebat in secundo, quod quoad illationem ex contingentib. & falsis verum cognoscitur, hic autem quoad necessitatem materiæ loquitur: Vnde non est ad propositum.

Ad quintum respōdebimus in sequenti lectione ex dictis Caietani.

Caput VI.

LECTIO XXI.

ex Caietano.

IN explicatione huius capitis tria agenda erunt. Primo sunt adducēda omnia quæ fere per modum compendij eliciuntur ex textu. Secundo aliqua erunt notanda. Tertio aliqua dubia soluenda.

Quoad primū in vniuerso ex hoc cap. eliciuntur quinque conclusiones, & duo corrolaria.

Prima conclusio est. Demonstratio est ex necessarijs. Probatur quadrupliciter. Primo. Demonstratio est ex his quæ non possunt aliter se habere. Ergo est ex necessarijs.

Secundo. Demonstratio est ex his quæ sunt per se, ergo ex necessarijs. Probatur, quia non fit nisi in secūdo, & primo modo, s. si prædicatum est de diffinitione subiecti, vel econuerso.

Tertio. Quia necessarium non concluditur, nec demonstratur, nisi ex necessarijs. At conclusio demonstrationis est necessaria, igitur ex necessarijs.

Quarto probatur a signo, quia nō facimus instātias cōtra aliquē, nisi ex eo quod non procedit ex necessarijs.

Secūnda conclusio. Conclusio nō necessaria non infert medium non necessarium, sed necessarium.

Tertia. Conclusio necessaria pendet a medio necessario, sicut & vera a veris.

Quarta. Conclusio contingens est a medio contingenti.

Corrolarium primum. Stulti sunt qui opinantur aliquid demonstrare necessario, & non assumunt necessarias propositiones.

Secundum corrolarium est. Per medium non necessarium, non concluditur demonstratiue.

Quoad secundum. Primo notandum est, quod expositio S. D. a quibusdā impugnatur, s. quod demonstratio sit ex necessarijs, quia est ex his quæ aliter se habere non possunt. Argumētantur igitur sic. Ly si, quod ponitur in textu non cadit supra consequens, ita vt sit sensus, ergo si ex necessarijs, sed supra antecedens, vt sit sensus. Si est demonstratiua scientia ex his quæ non possunt aliter se habe-

habere, igitur ex necessarijs, sic enim valeret argumentum secūdum. S. D. sed econuerso procedit, igitur probat quod sit ex his quæ sunt per se, quia ex necessarijs. Inquit Caiet. quod pudet respondere, quia non est antecedens, quod ipsi asserunt, sed hoc, si est demonstratiua scientia, igitur ex necessarijs. Probatur sequela, quia demonstratio non procedit nisi ex his, quæ aliter se habere non possunt.

Secundo notandū est circa secundam probationem primæ conclusionis, in qua habetur, quæ non insunt primo, vel secundo modo dicendi p se, per accidens insunt, quod ex hoc, conuincitur, propositiones quæ sunt in primo, vel secundo modo dicendi per se esse necessarias, & etiam qd omnis propositio necessaria est in primo, vel secundo modo, & consequenter quod propositio non necessaria, & per accidens conuertuntur.

Tertio tamen notandum, quod solum propositiones in primo, & secūdo modo sint necessariæ potest dupliciter intelligi. Primo loquendo solum de propositionibus quæ proprie ponuntur in primo, & secundo modo, nempe in quibus, vel prædicatum est de diffinitione subiecti in recto, & secundum exigentiam rei, vel econuerso, Vel secundo loquendo de omnibus propositionibus quæ, vel proprie, vel improprie, vel per se primo, vel per se secundo, vel per se directe, vel reductiue ponantur in primo, & secundo modo secundum doctrinā superius traditam, & hoc verum est. Illæ ergo propositiones sunt per accidens, quæ nullo modo ponuntur in primo, & secundo modo, & non solum erunt per se, & necessariæ, quæ proprie in illis modis ponantur.

Quarto notandæ essent, & adducendæ aliquæ auctoritates, contra quosdam opinatores, qui tenēt quod propositio necessaria in plus se habeat quam per se, quæ omittuntur quoniam non sunt alicuius ponderis.

Quoad tertium, Primum dubium est, vtrum omnis propositio per se sit necessaria: Videtur enim quod non, quia hæc propositio est per se, Sortes est homo, sed nō est necessaria, ergo. Maior patet, quia si diffiniretur Sor tes non posset diffiniri sine rationalitate, & humana natura, quas significat ly homo. Minor probatur, quia alterum extremū est temporaneum, & corruptibile. v. Sortes.

Secundum dubium est circa eandem propositionem, quod per se, sit necessarium. Quia propositiones, & conclusiones de coniunctionibus planetarum, & aspectibus eorum, sunt per se, sed hæc non sunt necessariæ, igitur. Maior patet, quia demōstratiue concludunt. Minor probatur, quia eorum significata possunt se aliter habere, quia eiusmodi planetis non semper insunt.

Tertium dubium est circa illam propositionē, Corrupta re scita, corrumpitur & scientia. Contra. Philosophi habentes scientiam de Rosa non perdunt eam hyemali tempore, in quo desinit rosa: Ergo.

Pro solutione primi dubij tria agemus. Primo ponemus aliqua fundamenta. Secundo respōdebimus quæsito. Tertio probabimus veritatem rei.

Quoad primum. Primo notandū est, quod in propositione de tertio adiacente, duo sunt consideranda. Primum est subiectum, & prædicatum. Secundum est coniunctio prædicati cum subiecto. In propositione ergo non consideramus vtrum prædicatum, & subiectum existant, sed vtrum coniunctio prædicati cum subiecto per copulam sit necessaria, & hoc ad differentiam propositionis

tionis de secundo adiacente, in qua importatur esse. In propositione ergo de tertio adiacente nō est cōsiderā dū vtrū subiectum sit corruptibile, vel non necessarium, vel non, sed vtrum cōiunctio prædicati cum subiecto sit necessaria, & per se, vel contingens, & per accidens.

Secundum fundamentum est, qd in propositione considerata quoad coniunctionem, duo spectare possumus. Pimum, vtrum prędicatum sit de ratione subiecti taliter, quod sine subiecto nec esse, nec intelligi possit. Secundum econuerso, vtrum subiectum ita necessario includat prædicatum, vt sine ipso nec esse, nec intelligi valeat. Secundum considerandum est præcipue, quia tunc prædicatum est de ratione, & diffinitione subiecti, & se habet vt præstantius.

Ad argumentum ergo respondetur formaliter, Ad minorem dico, quod hæc propositio est necessaria, Sortes est homo, etsi non quoad existentiam, quo ad cōiunctionem terminorum, seruata vnitate vniuoca hominis, s. quod quandoque non sumatur pro vero homine & quandoque pro cadauere, quod non est verus homo nisi equiuoce. Hæc ergo quoad connexionem est necessaria, Sortes est homo, quia est de eius diffinitione, hæc non, Sortes est albus, quia hæc non est necessaria connexio.

Quoad tertiū probatur, quod propositio, quoad connexionem terminorum sit necessaria. Primo. Coniunctio, nec secundum esse, nec secundum intelligi desinere potest, igitur erit incorruptibilis. Probatur antecedens, quia impossibile est quod sit Sortes, vel intelligatur absque hoc, quod sit homo. Secundo, quia est au ctoritas Arist. in diffinitione de omni, quod quando verificatur aliquid de subiecto, dicitur etiam verificari de prædicato. Modo hæc coniunctio verificatur de subiecto, ergo. Tertio. Non minus est vera hæc, Sortes est Sortes, quam Sortes est homo. Sed prima est propositio perpetuę veritatis, igitur. Maior patet, quia dicendo Sortes est Sortes, nihil aliud dicimus, nisi quod sit homo. Quarto, quia per Aristot. in pdicamentis. Ab eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa; quæ sic exponitur (ab eo quod res est, vel non est significata, non enim intelligitur quoad existentiam, sed quoad significatū.) Sed sic est quod significatum est propositio perpetuæ veritatis, quia Sortes semper est homo, & non belua. Igitur.

Pro solutione secundi dubij tria similiter agemus. Primo recitabimus aliorum responsiones. Secundo eas improbabimus. Tertio respondebimus secundum veritatem.

Quoad primum aliqui negarunt, quod huiusmodi propositiones assumptæ essent per se. Alij inter quos fuit Aegidius, dicebant huiusmodi propositiones posse dupliciter considerari. Primum secundum se ipsas, idest, inquantum sunt de rebus contingentib, & sic non sunt necessariæ. Secundo vt relat. ad suas causas, & sic sunt perpetuæ veritatis, quia dum terra interponitur inter Solem, & Lunam, necessario fit ecclipsis Lunę, &c.

Quoad secundum, prima opinio improbata fuit in quarto capitulo, ideo hic non est replicanda eius improbatio. Secunda vero opinio primo reprehenditur, quia realiter in conclusione ponitur Luna, vel planeta, idest, subiectum, quod quidem nō est necessarium, sed nec causa quę dicitur vt sic necessaria. Secūdo, quia non esset minor disputatio de existentia huius causæ, quam de coniunctione,

ne, puta, scito quod Luna ecclipsatur, quando interponitur terra inter Solē, & ipsam, remanet adhuc vidēdum quomodo terra interponatur, & sic non videbitur vltimate necessitas. Tertio, quia non esset magis necessaria hæc propositio. Album est disgregatiuum visus, quā ista, terra interposita inter Solem, & Lunam, causat ecclipsim. Probatur, quia vtraque est necessaria in ordine ad suam causam. Quarto, quia necessarium in ordine ad causam suam est necessarium ex suppositione, modo taliter omnes propositiones possunt esse necessariæ, vnde non erit discrimen inter vnam rem, & aliam.

Ad argumentum ergo respondetur, quod esse necessarium stat dupliciter. Primo absolute, & sic non sunt necessariæ illę propositiones, nec eorum significata, quia non semper Luna ecclipsatur, &c. Secundo suo tpe, & sic verū est, q̄a in determinato tempore & ecclipsis fit, & verum est dicere, ecclipsis est, sed de his superius in quarto capitulo dictum est.

Ad tertium respondendo tria agemus. Primo probabimus quod re scita corrupta, corrumpitur & scientia. Secundo adducemus aliqua fundamenta, ex quibus dabimus responsum ad quæsitum. Tertio adducemus replicam, & eam soluemus.

Primum sic absoluitur. Ab eo q̄d res est, vel non est, dicitur oratio vera vel falsa, igitur corrupta re scita, corrumpitur & scientia.

Quoad secundum, primum fundamentum est, quod res scita potest intelligi bifariam. Primo intelligendo pro re scita, vel subiectum, vel prędicatum, taliter quod ex existentia subiecti, vel prædicati, nascatur sciētia, & ex eorum destruatur corruptio ne. Secundo, quod res scita sit coniunctio rei facta inter subiectum, & prædicatū, puta quod rosa sit flos odore scatens suauissimo. Res scita est coniunctio subiecti cum prædicato, & non est subiectum, vel prædicatum. Ex hoc ergo. Primo potest responderi ad argumentum, quod subiectum quidem, idest, rosa corrumpitur tempore hiemali, coniūctio tn̄ perpetua, & sempiterna est.

Secundum fundamentum ex quo elicitur secunda responsio est, quod rosa potest considerari dupliciter. Primo in particulari pro hac, & illa rosa. Secundo in vniuersali, idest pro rosa absolute. Primo modo corrumpitur, sed hoc est per accidens. Secundo modo non, & hoc intendimus per se.

Quoad tertium posset quis, arguere. Rosa destruitur tempore hyemali, Rosa est res scita, ergo corrumpitur res scita.

Ad hoc dicēdū, q̄d hæc est fallacia, quia in maiori stat pro hac vel illa rosa, in minori pro rosa in vniuersali.

Corrolarie Illustriss. Caietanus reprehendit illos, qui dixerūt rosam remanere in causis suis, quia hoc est per accidens.

Caput VII.

LECTIO XXII. S.D. 14.

Accidendum autem non per se, &c.

DEmonstrauerat Arist. superius, demonstrationē esse ex necessarijs, hic aūt nititur probare eam esse ex propositionibus de per se. In hac igitur lectione tria tractabimus. Primo adducemus consuetas annotationes examinantes textum, & quæ dicuntur circa ipsum. Secundo ponenemus hanc conclusionem, quod demonstratio est ex his quæ per se dicuntur. Tertio adducemus aliqua dubia.

Quoad primum, primo notandū

Demõstratio est ex his quæ sũt per se.

venit, quod alicui posset accidere dubium, quomodo Arist. superius probando, quod demonstratio est ex necessarijs assumpserit medium hoc, quia est ex propositionibus de per se, & hic probando quod sit ex his, quæ per se sunt ait, hoc prouenit, quia est ex necessarijs, videtur.n. Arist. commisisse circulum. Cui quidem obiectioni possumus occurrere vt supra, tamen ad vberiorem doctrinam magis rem explicabo. D. Tho. ergo inquit, Arist. non solum probasse demonstrationem procedere ex necessarijs, quia procedit ex his quæ sunt per se, verum etiam per diffinitionem ipsius scire. Vnde ex his verbis duas possumus elicere responsiones. Prima, quod circulus est duplex, scilicet difformis, in quo aliquid noui acquirimus, & vniformis, in quo quidem eisdem verbis procedimus. Primus admitti potest. Secundus nequaquam. Arist. igitur, primo modo procedit, & hoc est quod inquit S. D. non solum probasse esse demõstrationes ex propositionibus per se, verum etiam ex his, quæ aliter se habere non possunt. Secundo possumus respondere, negando quod aliquem circulum committat, quia circulo vti, est vti similib. terminis, modo his non vtitur Philosophus, hic enim esset circulus, ex necessarijs est, quia ex his quæ sunt per se est, & per se est, quia ex necessarijs, non autem hic discursus est circularis, est per se, quia ex necessarijs, & est ex necessarijs, quia est ex per se, quæ aliter se habere non possunt. Sed ego etiã dico, quod in his quæ realiter idem sunt, ex eorum identitate admittitur conuersio, quæ circulus non est nominanda, quia circulus dicitur nugationem, & conuersio ostendit identitatem, & vnitatem realem naturæ.

Secundo notandum, quod Philosophus in textu mouet dubium, quo modo conclusio syllogizata ex præmissis contingentibus, deducatur necessario, & tamen demonstratio sit solum ex necessarijs. Cui obiectioni satisfacit dicendo, quod conclusio necessario deducitur ex præmissis, sed non est in se necessaria. Differentia ergo est inter inferre necessariã propositionem, & inferre necessario: nã secundum requirit solum quod fiat argumentum in debita forma, & quod ex debita forma syllogizandi deducatur conclusio, nihil curando de diuersitate materiæ. Primum vero requirit vlterius materiã, de qua demonstratur conclusionem esse veram, & necessariam, & deductam a principijs veris, & necessarijs. Veritas ergo stat, quod ex propositionib. cõtingẽtib. infertur qnq; necessario cõclusio, sed nõ necessaria, seu necessaria necessitate consequentię, sed non consequentis, seu prioristice secundum formam, non posterioristice, secundum materiam. *Posteriorẽ stice.*

Tertio notandum est, quod Philosophus inducendo argumentum, cur de accidente non sit demonstratio, adducit hæc verba. Accidens enim contingit non esse, de tali enim dico accidente, quæ verba diuersimode exponi possunt, sed communiter exponuntur ab omnibus distinguendo duplex accidens, scilicet commune, & proprium. Proprium emanat ex principijs speciei, vt risibilitas. Cõmune tale est, quod vel secundum rem, vel secundum intellectum potest adesse, & abesse præter subiecti corruptionem, & hoc etiam accidens commune duplex est. Quoddam fluens ex principijs indiuidui, quod vocatur indiuidualiter inseparabile, vt nigredo in coruo, & albedo in cigno. Quoddam vero commune, quod contigit adesse, & abesse. Tunc omnes fere vno *Nõ de his quæ sunt per accidens.*

ore

ore confitentur, quod de accidente proprio datur demonstratio, non de communi, de quo intellexit Aristot. dicendo de tali accidente. Sed ego, aliter dico accidens posse dupliciter considerari. Primo in particulari, seu secundum suam naturam, & fm suum esse. Scdo fm quod habet tales passiones, & necessario, tale esse requirit. Primo modo de eo non est scientia, quia est contingens, &c. sed secundo modo sic, quia habet rationem necessarij, nam non minus est vera, & necessaria in esse naturali hæc propositio Homo est substantia, quæ per se existit, quam hæc: Accidens debet alteri inhærere, quia impossibile est reperiri accidēs, quod alteri non inhereat, & hoc credo Aristot. voluisse inferre dicendo, de tali enim dico accidente, idest, de accidēte secundum se considerato, & secundum suam naturam in particulari, & non secundum veritatem propositionis.

Quarto notandum est, quod Arist. hic sumit per se inquantum conuertitur cum necessario, & propositiones sumuntur ex primo, vel secundo, vel quarto modo dicēdi per se, & hoc est quod aiebat in textu, non ex accidentibus, sed ex per se est, quomodo determinatum est per se .u. in quarto, quinto, & sexto capite.

Quoad secundum ponitur conclusio negatiua. Demonstratio non est accidentium. Probatur primo. Demonstratio procedit ex necessarijs, quę aliter se habere non possunt. Sed accidentia aliter se habere possunt, cum modo inhęreant, modo non. Igitur.

Secundo. Demonstratio est ex per se, & secundum quod ipsum. Accidentia autem neque per se sunt, neque secundum quod ipsum, ergo.

Tertio. Demōstratio potissima de qua loquimur facit scire propter q̄d, At accidētia nō, igitur. Omnia clara.

Quoad tertium est argumentum. Arist. demonstrat multa de accidentibus. v. in 2. Phys. de casu, & fortuna & in 2. de celo demonstrat multa de motu cęli, & de quiete terrę, & tamen ista sunt accidentia communia omnibus corporibus.

Ad hoc respondetur breuiter, quod naturæ accidentales, vel quæ per accidens conueniunt, dupliciter considerari possunt. Primo vt tales naturæ, & sic dicuntur accidentales, ad differentiam substātialium. Secundo secundum quod tales naturæ tale esse requirunt, substantiales per se, accidentales in alio, taliter quod accidentales naturę non possunt habere rationem per se existendi, & sic in ordine ad rationes suas, & suas passiones de eis datur scientia, & formantur necessariæ propositiones, sicut adductum est de fortuna &c. Et aduerte quod dixi tale esse requirūt, q̄a potest esse, quod vna ratio pluribus conueniat, sicut motus & quies omnib. corporibus, sed non sub eadem ratione, sed sub diuersis, prout congruit diuersis eorum naturis.

Caput septimum.

LECTIO XXIII.

Ex Caietano.

HOc capitulū diuidemus in duas lectiones. In prima tractabimus aliqua dubia, & notabilia circa aliqua dicta Arist. & S.D. In altera vero quatuor dubia mota circa indiuiduum dilucidabimus. In hac ergo lectione tria agemus. Primo cōpilabimus textum. Secundo aliqua notabimus. Tertio adducemus dubitationes, & solutiones.

Quoad primum, ex tex. eliciuntur tres conclusiones, vnum dubium cũ sua responsione, & vnum corrolariũ.

Prima conclusio est, Scientia demonstratiua non est accidentium non per se. Probatur a priori. Quia demonstratio est ex necessarijs, quæ non contingunt aliter se habere, accidentia autem aliter se habent.

Secunda conclusio. Demonstratio est ex his quæ sũt per se, & ſm quod ipsum. Probatur, quia est ex necessarijs circa vnumquodque genus, accidentia autem non sunt necessaria.

Tertia cõclusio, quæ est potius probatio principalis conclusionis, sicut & aliæ probationes, est. Demonstratio propter quid, sicut est ista, non ex accidentibus est.

Dubitatio est. De accidentibus per se fiunt interrogationes, igitur sunt per se.

Respondetur. Interrogationes fiunt per se necessitate consequentię, & non consequentis.

Quoad secundum, primo notandum venit, quod Aristot. superius in tex. inquiebat omne accidens, quod non per se, inest, de eo non esse demõstrationem, Vnde ex hac propositione tria elicimus. Primum est, quod Arist. hic sumit per se, eo modo, quo determinatum est præcipue in 4. cap. .s. quod demonstratio fit ex aliquo determinatorum modorum dicendi per se. Secundo, quod non intelligit absolute, de nullo accidente posse fieri demonstrationem, sed de accidente solum, quod non inest necessario. Tertium, quod sequitur ex hoc, est, per se, & necessarium esse idem, ita vt quæ per se erunt, necessaria erunt, & quæ necessaria, per se erunt.

Secundo notandum venit, quod (vt superius dicebamus) accidens triplex est .s. proprium emanans a principijs speciei, inseparabile emanans a principijs indiuidui, & separabile nõ habens aliquo modo esse fixum in subiecto. Tertio hoc reiecto, quia nullo modo habet veram causam in subiecto, necesse est fateri, accidens tam separabile, quam proprium cadere sub demonstratione, quod quidem sic potest probari. Habens causam necessariam in subiecto, sine quo diffiniri non potest, est in secundo modo dicendi per se, sed sic est vtrunque accidens, igitur. Maior patet per diffinitionem secundi modi dicendi per se. Minor probatur, quia proprium causatur ex principijs speciei; inseparabile a principijs indiuidui, vnde vnũ habet speciem pro subiecto, aliud indiuiduum, & qui vult videre longiorem rationem legat Caier.

Quoad tertium, primum dubium est contra primam conclusionem, quia videtur quod conclusio demonstrata possit esse per accidẽs. Nam, omnis conclusio, in qua passio inferioris prędicatur de superiori est per accidens, sed multę tales demonstrationes fiũt, ergo. Maior nota, quia inferius superiori accidit. Minor probatur autoritate Arist. 5. cap. quo in loco asserebat, quod vniuersale trianguli .i. habere tres non demonstratur primo nisi de triangulo, per ipsum triangulum tamen contingit demonstrare de figura.

Secundo dubitatur circa aliqua dicta S D. Nam assignãdo rationes, cur Arist. non committat circulum demõstrando quod demonstratio est ex necessarijs, quia est ex eis quæ sunt per se, & nunc procedat ex conuerso, asserit quatuor, quæ omnia faciunt difficultatem. Primum est, quod ostendere demonstrationem esse necessariorum per hãc rationem, quia quod scitur est necessarium, est vera demõstratio. Secundum est, quod demonstratio sit necessariorum, quia est ex his quæ sunt per se, est ostensio ad hominem, apud quem notum est demõstra-

strationem procedere ex his quæ per se sunt. Tertium implicite dictum est, quod demõstrare demonstrationẽ esse eorum quæ per se sunt, quia est necessariorũ, est vera demonstratio. Quartum, quod est respõsio, est, quod quando demonstrauit demonstrationem esse necessariorum, quia ex his quæ aliter se habere non possunt, nõ commisit circulum, in alijs modis sic, sed quando dixit eam esse ex his, qa est per se, fuit demonstratio ad hominem.

Circa primum ergo, secundo dubitatur, quia dictum fuit, quod hæc est vera demonstratio, Demonstratio est necessariorum, quia quod scitur, est necessarium, & non potest aliter se habere. Contra. Procedere ab effectu ad causam, non est procedere demonstratiuo discursu a priori. Sed scire ex cuius diffinitione procedimus, est effectus demonstrationis, igitur non erit hoc probare per demonstrationem potissimam.

Tertio argumentatur contra illud dictum. Quod hæc non est vera demonstratio, sed ostensio ad hominem. Demonstratio est necessariorũ; quia est ex per se. Contra probo, quod sit vera demonstratio a priori, quia per se, prius est necessario, ergo est argumentari a priori, &c.

Quarto arguitur contra quartum dictum. Quia circulus difformis admitti potest.

Quinto. Instatur contra tertiam conclusionem, in qua dicitur. Quod si præmissæ essent semper, & necessariæ, non tamẽ essent per se, quia cognitio propter quid ignoraret. Cõtra dupliciter. Primo. Per se, & necessariũ conuertuntur, ergo impossibile est aliq̃ propositionẽ necessariã reperiri, quæ non sit per se. Secundo, sic sequitur, quod in demonstratione a posteriori, non procedamus ex per se, & necessarijs.

Pro solutione primi argumenti duo agemus. Primo notabimus aliqua fundamenta. Secundo probabimus intẽtum, cum distinctionibus & responsionibus.

Quoad primum, primum fundamentum est, quod passio inferioris concludatur de superiori potest intelligi dupliciter. Primo absolute, & simpliciter, vt si habere tres concludatur vt sic de figura. Secundo non sumendo superius absolute, sed determinate ad hanc figuram, & similiter sumendo passionem contracte, & particulariter, vt inest huic. Tunc dicimus ad argumentum, quod passio inferioris (accidit superiori absolute considerato, accidit enim figuræ habere tres vt sic, quia potest habere duas lineas &c.) tamen hanc figuram in particulari, habere tres, est per se, & necessarium.

Secundum fundamentũ est, quod passio inferioris particulariter sumpti concludatur de superiori per se, potest intelligi dupliciter. Primo per se primo, & sic non concluditur, nisi de suo adæquato subiecto. Secundo reductiue, siue per se secundo, secundum doctrinam traditam in 4. & 5. cap. & hoc verum est.

Quoad secundum probatur, quod particulariter sumptum vniuersale, per se secundo possit concludi de superiori, sicut quod hæc sit per se secundo, aliqua figura habet tres angulos æquales duobus rectis. Probatur in primo tertiæ, sic, in qua per se passio inferioris prædicatur de superiori &c. Omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis. Omnis triangulus est figura, ergo aliqua figura habet tres angulos, æquales duobus rectis. Sed tamẽ adhuc remanet difficultas, quia indiffinita particulari æquiualet, vnde sicut in conclusione conclusio est, ergo aliqua figura habet tres, ita possumus dicere figura

gura habet tres,& consequentur hæc vniuersaliter sump. a concluditur de superiori. Respondetur quod hæc propositio, figura habet tres, sit vniuersalis, quia & si non apponatur ei signum vniuersale, res tamen significata vniuersaliter sic prolata, posterioristice,& si nō prioristice, tenetur. Duo ergo elicimus. Primum, quod passio inferioris particulariter sumpti, potest taliter concludi de superiori. Secundo, quod propositio Arist. 5. cap. Quando aliquid conuenit alicui primo per illud subiectū, potest do quolibet alio cui inest a priori demōstrari, intelligitur quando coniunctio est per se,& necessaria.

Ad secundum breuiter dicēdum, quod cū causæ sibi inuicem sint causæ, scire potest dupliciter cōsiderari. Primo modo vt effectus præmissarū, sicut de eo procedit argumentum. Secundo vt finis est demonstrationis, quæ se habet vt instrumentum intellectus ad causandum scire,& sic habet rationem causæ finalis, quæ dicitur causa causarum: vnde Arist. procedendo ab hac causa, vere procedit a priori, sicut testabatur Doctor noster Angelicus.

Ad tertium responsio consistit in negatione antecedentis, quia tenemus necessariū esse prius, per se, Probatur. Aliqua enim propositio dicitur per se, quia est necessaria, & non e conuerso; nam 5. Metaph. necessarium se habet vt causa, per se vt ratio, seu modus causandi, vel prædicandi. Sed prior est causa, quam modus. Secundo dicitur, quod si per se esset prius necessario absolute, non tamen in ordine ad demonstrationē.

Ad quartum dicendū erit in duodecimo cap. & dictum est supra in tertio.

Ad quintum, antequam formaliter respondeamus, duo supponenda sunt. Primum, quod aliud est loqui de perseitate propositionis, inquantum propositio est quædam enunciatio, vnius de alio per se: Et aliud de perseitate propositionis, vt est præmissa ad demonstrandum aliquid. Si primo modo loquamur, dicimus aliquas esse propositiones per se. i. secundum prædicationem, quæ non sunt per se secundum causalitatem, vt quando ex tertia passione infertur secunda, & ex secunda, prima. Propositiones autem quæ sunt per se secundum causalitatem, sunt etiam per se secundum prædicationem.

Secundum fundamentum est, qđ quædam sunt propositiones, & præmissæ ex quibus fit demonstratio a priori,& istę necessario si sunt per se, necessariæ sunt,& e conuerso conuertibiliter; Quædam vero sunt propositiones necessarię, ex quibus concluditur conclusio a posteriori,& sic istę poterunt esse necessariæ, sed non per se, non in ratione causæ, sed tantum effectus.

Ad argumentum ergo formaliter. Primo respondetur, quod omnis propositio necessaria est per se, si sit secundum prædicationem, & causalitatem, non autem si sit tantum per se secundum prædicationē, vel ennunciationē. Secūdo dr, qđ valet propositio S.D in diuerso genere demōstrationis, s. cōparādo demōstrationem a priori, ad demonstrationē a posteriori, nā aliqua propositio erit necessaria, ex qua deducetur demonstratio a posteriori, quia s. effectus est necessarius, ex quo deducimus causam, non tamen talis propositio est per se, sicut hic loquitur Phil. 5. ex qua propositione per se deducatur demonstratio a priori.

Caput

Caput VII.

LECTIO XXIV. ex Caietano.

IN hac lectione supersunt quatuor illa dubia mota a Caiet. circa indiuiduum, quod sibi vendicat accidés inseparabile, examinanda. Duo ergo faciemus in hac lectione, primo adducemus illa dubia, secundo ea soluemus.

Quoad primum, Primo dubitatur circa illud quod supponitur, s. quod accidens inseparabile necessario insit. Contra. Primo, quia est côtra Porph. diffinientem accidés commune, quod sub se continet separabile, & inseparabile p hoc, quod adest, & abest, præter subiecti corruptionem, ergo si potest abesse, inseparabile non est.

Secundo ad idem. Quod est inseparabile semper inest. Sed accidens inseparabile non semper inest, ergo. Maior nota. Minor probatur, quia pulli coruorum dicuntur nasci albi, & postea fiunt nigri.

Secundo principaliter dubitatur circa illud, quod dictû est, s. tam accidens proprium, quam inseparabile necessario inesse. Videtur enim commissa æquiuocatio. Nam dum dicimus accidens inseparabile inesse, intelligimus secundum rem, & non secundum intellectum. At sumere hoc modo, hoc inseparabile, & mô alio modo illud, est æquiuocare, Ergo.

Tertio principaliter dubitatur, dû dicitur, quod in diffinitione accidentis inseparabilis cadit indiuiduum. Contra. Inter accidens, & proprium subiectum cadit talis adæquatio, qđ ei soli primo conuenit, & si alteri cônuenit, ratione illius conuenire dicitur. Sed inter coruû, & nigredinem non reperitur talis adæquatio, quia albedo reperitur extra naturâ cigni, sicut & nigredo extra naturam corui, neque alijs conuenire dicitur, quia conuenit cignis, vel coruis.

Quarto principaliter arguitur contra conclusionem principalem .i. qđ accidens inseparabile sit accidens per se, Quia ex regula data in 5. cap. Qđ conuenit pluribus, & non vni ratione alterius, conuenit illis ratione alicuius communis inuenti in ipsis, Sed nigredo puta in coruis, conuenit omnibus coruis, & non vni ratione alterius, ergo per aliquod commune. Sed hoc non est dabile, igitur non per se. Probatur minor, quia si conueniret respectu alicuius côiunis, esset propter principia indiuiduantia. Sed talia principia sunt particularia, nam si non essent particularia, essent vel genus, vel species, vel differentia, vel proprium quod est falsum.

Secûdo. Quia illud commune aut est substantia, aut accidens. Non substantia, quia non est fingere gradum substantialem inter speciem, & indiuidua. Si accidens iterum redit quæstio de illo, cum non per se inhęreat.

Tertio. Quia dicere quod accidens inseparabile est accidens per se, est contra communem opinionem Phil. dicentium esse discrimen inter accidens proprium, & commune, qđ hoc separabile, illud inseparabile dicitur.

Ad primû respondendo duo agemus, primo ponemus fundamenta, secundo respondebimus argumentis.

Primum fundamentum est, de accidente inseparabili bifariam loqui possumus. Primo in ordine ad speciem, & ita omne accidens inseparabile indiuiduale. in ordine ad speciem, separabile dr, pôt .n. intelligi species coruina absq; nigredine, q: nigredine species coruina nô substitit, neq; nigredine ponitur in esse, neq; nigredo emanat à principijs speciei.

ciei. Si vero secundo modo sumatur, put sumi potest.s. in ordine ad indiuidua, tunc dicitur inseparabile accidens, quia emanat a principijs indiuidui.

Secundum fundamētum est, quod accidens inseparabile sumptum in ordine ad indiuiduum habet rationem principij, vnde reductiue ponitur in quarto prædicabili, quia nigredo v. g. conuenit omnibus coruis, solis coruis (vt dicemus) & semper (vt explicabimus)

Ad primum ergo respondetur, qd Porp. sumebat accidens inseparabile in ordine ad speciem, non vero in ordine ad indiuiduum, vnde dixit S.D. quod sic necessario inest. Secūdo dr, quod vt sic se habet vt proprium, & non est accidens commune.

Ad secundum dicitur, quod per se duplex est, sicut & de omni, & necessarium; Quoddam sic dictum physice .i. quod aptū natum est fieri suo tempore, Quoddā vero dr̄ continuū, & regale & vtroq; mō illud dicitur per se &c. Ad probationem ergo minoris dicitur, nihil officere, si corui nascantur albi (quod tamen ab expertis putatur fabulosum,) quia erūt nigri suo tempore, sicut etiam solemus dicere, quod catuli videant, quamuis non videant, ante nonum diem.

Ad tertium dicitur, quod corui possint fieri albi, sicut & quod quælibet res possit moueri a suo naturali accidente, potest dupliciter intelligi, Primo a natura bene disposita, & non impedita. Secundo ex aliquo impedimento oblato naturæ, ex quo non potest producere suum effectū. Primo modo falsum est assumptum in argumento, quo pacto loquimur Secundo non, sed non est ad propositum, quia hoc est per accidens, sicut & quod homo nascatur cæcus, & viuat cæcus.

Ad secundum principale respōdetur tribus fundamentis. Primum est, quod nulla est æquiuocatio in his, quia dum dicimus accidens inseparabile inesse subiecto, intelligimus & quoad rem, & quoad intellectum componentem, & diuidentem.

Secundum fundamētum est, quod hoc potest intelligi dupliciter. Primo logice, & hoc est falsum, quia saltem per primā operationem intellectus, in qua solum rei essentiam apprehendimus, potest intelligi coruus albus, & Aethiops candore nitens. Secundo physice .i. realiter, prout conuenit rei in rerum natura suo tempore, etsi non semper, & sic verum est qd dicebamus, quia & coruus niger est, etsi debeat intelligi prout existit, necesse est ipsum intelligere vt nigrum.

Tertium fundamentum est circa responsionem ad autoritatem Porp. quæ consistit in hoc, quod accidens inseparabile duobus modis considerari potest. Primo in ordine ad speciem, & sic separabile dicitur, vt superius explicuimus. Secundo in ordine ad proprium indiuiduum, & hoc quidem falsum est, nec vnq̄ somniatum ab Arist. vel Porph. vnde diuersimode intellecta hæc dicta, possunt saluari.

Ad argumentum ergo negatur quod coruus possit intelligi albus physice, & secundum intellectum componentem, & diuidentem.

Ad auctoritatem Porphy. super quam innitebatur argumentum. satis dictum est.

Ad quartum prius respondere oportet quam ad tertium, quia respōsio tertij multa supponit. Dicimus igitur admittendo regulam, & etiam significatum regulæ. v. quod inest pluribus &c. oportet quod cōueniat illi ratione alicuius communis sciendum esse primo, quod principia rei dupli-

duplicia sunt s. formalia, quæ etiam vocantur principia speciei sicut rationalitas, & risibilitas: & & alia vocantur principia materialia, v. individualia, ex quibus individuum constituitur.

Secundo sciendum est, quod principia materialia dupliciter sumi possunt. Primo particulariter, pro particularibus principijs, puta pro principijs constitutiuis, & diuisiuis huius indiuidui, quod non alterius. Secundo modo absolute, & vniuersaliter, pro principijs in quibus communiter assimilantur indiuidua. V.G. masculineitas & femineitas, dupliciter sumi possunt. Primo vt causantur ex principijs generalibus, vnde vt sic sunt, in quibus omnes masculi, & omnes feminæ conueniant. Secundo vt hic masculus habet talem sexum masculinum, quod non alius, & hæc femina, quod non alia. Vnde primum vocatur ratio, seu commune quoddam, quo quidem omnes masculi dicuntur, seu feminæ.

Ad primum ergo argumentum contra hoc respondetur, quod hoc commune non conuenit participantibus, neque vt genus, neque vt species, neque vt proprium, sed vt principium materiale illorum, sine quo illa participantia si diffinirētur, non possent diffiniri. Vnde elicitur quod conuenit ei in primo modo dicendi per se, quia est de eorum diffinitione, tanquam commune prædicatum.

Ad secundum dicitur, quod illud commune est substantia. Ad improbationem respondetur, quod inter indiuiduum, & speciem dari gradus substantialis, potest bifariam intelligi. Primo tanquam gradus formalis. Et sic sequeretur argumentum. Secundo tanquam pars, seu principium substantiale indiuidui, & hoc verum est, nec impugnatum, & hoc conuenit indiuiduis in primo modo perseitatis.

Ad tertium respondetur, quod verum est, & intentum a Philosophis, quod accidens commune etiam inseparabile, proprie non vocatur inseparabile in ordine ad speciem: ad indiuiduum tamen ordinem habens dicitur inseparabile, nec hoc negauerunt Philosophi, sic enim formaliter in ordine ad speciem dicitur commune accidēs, in ordine ad indiuiduum potius dicitur proprium prædicabile large.

Ad tertium argumentum principale respondemus cōcedendo, quod accidens inseparabile neque fluit a principijs speciei, quia sic haberet rationem propriæ passionis, neque a principijs materialib. huius, inquantum cōstituunt hoc, quia non essent nisi in hoc, sed a principio vniuersali materiali, quo omnia indiuidua talia dicuntur, & sine quo indiuidua diffiniri non possunt.

Caput octauum.

LECTIO XXV.

S. D. 15.

Hoc igitur ex alio genere &c.

HOc est octauum capitulum in quo Arist. probat, demonstrationem non esse ex extraneis. Vnde quia capitulū breue est, vnica lectione absoluemus, & quæ a S. D. & quæ a D. Caiet. assumūtur. In hac lectione igitur: tria agam. Primo explicabo rem solitis adnotationibus. Secundo eliciam conclusionem cum suis probationibus. Tertio dubitabo.

Quoad primum, primo notandū est, inter cæteras conditiones demonstrationis, vnam ex præcipuis esse, qd demonstratio non est ex extraneis *Demonstratio nō est ex extraneis.*

principijs, sed ex proprijs, & hoc est quod intendit probare Arist. hoc in loco, in quo ait oportere vt extrema, & media sint eiusdem generis, & quod non licet transcendere de genere ad genus, vnde vna scientia non probat principia, & conclusiones alterius scientiæ, sicut Geometria non demonstrat cõtrariorum eãdem esse scientiam, nec similiter Geometria demonstrat de numero cubo aliqd, sed hoc ptinet ad Arithmeticum, Arithmeticus enim absolute tractat de numero.

Secundo notandum, quod tribus modis possumus imaginari demonstrationem esse ex extraneis. Primo modo si vellet probare passionem extraneam a suo subiecto, vt si demonstret de linea pulchritudinem, vel caliditatem, vel frigiditatem; Geometra enim de linea tractat, sed vtrum sit pulchra, hoc ad Perspectiuum, vel sit calida, aut frigida, ad naturalem spectat. Secundo modo quando vna scientia aliquid probat de subiecto alterius scientiæ, vt si Geometria aliquid probaret de ente mobili, quod est subiectum scientiæ naturalis, vel de ente commune Deo, & creaturis, quod est subiectum Metaph. Tertio modo accidit, quando conclusio probatur nõ ex proprijs principijs illius scientiæ, sed ex extraneis, vt si conclusio Mathematica probaretur per medium physicum. His enim tribus modis contingit demonstrantem procedere ex extraneis, tamẽ tertius modus magis est de intentione Arist. qa hic loquitur de demonstratione inquantum est ex talibus præmissis.

Tertio sciendum, quod tria concurrunt ad demonstrationem. Primum est passio quæ concluditur, & de qua demonstratur inhærentia ad subiectum. Secundum est subiectum quod sustentat hanc passionem, & in quo hæc passio inhæret. Tertium sũt dignitates ex quibus conclusio syllogizatur. Horum trium neque passio, neque subiectum commune esse potest pluribus scientijs, dignitates vero cõmunes esse possunt, quia sunt principia communia ad plures scientias. Per dignitates enim non intelligo principia propria alicuius scientię particularis, sed communia, sicut sũt prima principia, quę non formaliter, sed virtualiter ingrediuntur demonstrationem. Non autem fecit Auctor mentionem de proprijs principijs, ex quibus est conclusio, quia continentur sub nomine dignitatis.

Quarto notandum, quod scĩetiæ quædam vocantur particulares, & quædam communes. Particulares sunt, quæ particulares conclusiones habent; Vniuersales quæ vagantur circa omnes scientias. Particulares scientiæ sunt Physica, Mathematica, Geometria &c. quia habent peculiare subiectum, propria principia &c. Communes sunt Dialectica, & Metaph. quæ cum generalissimæ scientiæ sint, disputant de principijs omnium aliarum scientiarum. Quando ergo Arist. dixit quod non licet transcendere de vna scientia in aliam, intellexit de scientijs particularibus, non de communibus.

Quinto notandum, quod scientiæ particulares adhuc sunt in duplici discrimine. Quædam enim sunt totaliter diuersæ, quæ in nullo conueniũt, quæ saltem differunt essentialiter genere subiecti, vt Naturalis, q̃ est circa ens mobile, & Mathematica, quæ est circa quantum. Aliæ sunt scientię quæ subalternantur, quarum vna accipit a subiecto alterius, & addit ei differentiam accidentalem, sicut Prospectiua, & Geometria dicuntur sciẽtiæ subalternatæ, nam vtraque de linea cõsiderat, sed Prospectiua in hoc differt a Geometria, qđ Geometria tractat de linea absolute, Prospectiua ve-

ua vero de linea visuali. Quomodo autem vna scientia alteri subalternetur, & quomodo differant, & conueniant, quotque sint earum conditiones, infra videndū erit, pro nunc sufficiat scire, quod propositio Arist. nẽpe quod non licet de genere in genus transcendere, valet de scientijs non subalternatis, non autem de subalternatis.

Conclusio probatur. Quoad secundum ponitur conclusio negatiua .v. Demonstratio non est ex extraneis. Probatur tripliciter. Primo demonstratio est ex his quæ primo, & necessario insunt, & secundum quod ipsum. Sed talia non possunt esse communia pluribus scientijs, igitur. Maior est euidens, Minor probatur, quia impossibile est, quod idem respectu diuersorum sit per se necessarium, & secūdum quod ipsū.

Secundo. Si liceret transcendere de genere in genus ex parte subiecti, ergo liceret puta Arithmetico demõstrare aliquid contentum sub geometria. Hoc est falsum, Igitur. Probatur maior, quia quantitas continua quæ est subiectum Geometriæ vt linea, differt a quantitate discreta, quæ est subiectū Arithmeticę .v. numero, & vnum horum subiectorum, non sumitur sub alio.

Tertio. Quælibet passio prædicatur de suo ꝓprio subiecto per se. Sed passio vnius scientiæ differt a passione alterius, ergo impossibile est, quod vna verificetur de alia, & consequenter quod liceat transcendere de genere in genus.

Quoad tertium principale, dubitat Illustrissimus Caietanus, quid nā per genus intelligat Arist. Aut enim per genus intelligit vnum ex quinque vniuersalibus, aut aliquid aliud sic vocatū genus. Si primū intelligit, quomodo verum est quod medium, & extremum sint eiusdem generis, cum quandoque medium sit de genere substantię, & extremum de genere qualitatis, vel alterius accidentis? Si autem secūdo modo intelligit, videntur oppositum sonare verba S.D. quæ significant, quod de eo genere loquitur, quod contrahitur ad speciem per differentiam, tale aut est genus de numero quinque vniuersalium.

Secunda dubitatio est, cur Aristot. enumerans ea q̃ in demonstratione cadunt, non loquitur, nec vllam mentionem facit de medio.

Ad primum respondendo secundum Caiet. ponemus aliqua fundamenta. quorum primum est, quod genus tripliciter sumit͛ apud Porph. Primo pro eo cui subijcit͛ species: Secundo pro principio cuiuscunque generationis. Tertio pro collectione multorum ordinem ad se inuicem habentium, & ad vnū aliquod, & his tribus modis verificatur dictum Arist. Sumit͛ ergo primo modo sum pto in argumento.

Secundum fundamentum est, qđ si ly genus denominat subiectum sciẽtiæ, sumitur genus tertio modo, pro eo cui subijcitur species, & prædicatur de pluribus &c. sed hoc dupliciter sumi potest. Primo strićte pro vero genere vniuoco, & sic non sumitur hic. Secundo large, pro genere analogo, secundum quod etiam species specialissima genus nūcupari potest, & sic videtur hic sumi.

Tertium fundamentum est circa responsionem ad auctoritatẽ Arist. quod oportet mediū & extrema esse vnius generis nā dupliciter intelligi potest. Primo in recto, ita vt in recto participent, & æque eandem rationem. Secundo in recto, & in obliquo .i. se habeant vt causa, & effectus, ita vt vnum extremum se habeat vt causa, aliud vt per se accidens, seu vt eius effectus.

Ad argumentum ergo secundum

hoc fundamentũ respondetur, quod non licet transcendere de genere in genus, de genere .s. quod neque in recto, neque in obliquo dicitur de vtroque medio, sed negatur de vtroque extremo, quando vnum se habet vt substantia, aliud vt qualitas de substantia enim dicitur in recto, de qualitate in obliquo.

Secundo etiam modo inquit Caiet. potest verificari sumendo genus pro principio cuiuscunque generationis, ratione primorum principiorum, quæ sibi proprie, & vt propria vendicant subiectum, quomodo ergo hoc pacto verificetur quomodoque sumendo genus primo modo, videat lector. Caiet. Ego autem aliam forsan tutiorem responsionem dabo, quæ est, quod subiectum duplex est. Quoddam vocatur materiale, quod est quod consideratur in scientia. Quoddam vero vocatur formale .i. ratio sub qua consideratur omnia in scientia. Tunc dico, quod substantia, & accidens nõ possunt esse vnius generis subiecti materialiter, sed bene formaliter, quia substantia, & accidens possunt sub vnica ratione sub qua considerari, sicut Deus, Angeli, &c. continentur sub ratione sub qua subiecti Theologiæ .i. sub Deitate, vel lumine reuelato, & sic discurrere licet de cæteris scientijs. Propositio ergo Aristot. quod non licet transcendere de genere in genus, intelligitur, & quoad subiectum materiale, & formale, secus autem si intelligatur solum de materiali.

Ad secundum dicitur, quod implicite nominauit medium, nominando subiectum, & passionem.

Caput nonum.

LECTIO XXVI. S.D.16.

Manifestum est autem &c.

HOc est nonum capitulum, in quo Phil. intendit probare sempiternorum solum esse scientiam, & demonstrationem. Vnde in hac lectione tria agemus. Primo explicabimus ea, quæ faciunt ad textum. Secundo eliciemus duas conclusiones. Tertio dubitabimus.

Quoad primum, primo notandũ est, manifestum esse demonstrationẽ esse ex perpetuis, & incorruptibilibus. Vnde notandum, quod aliquid est manifestum tripliciter. Primo ex terminis, & hoc pacto prima principia dicuntur manifesta, nam conclusio manifestatur per principia, & per terminos principia. Secundo modo aliquid dicitur manifestum secundũ sensum, vel intellectũ, vt quod ignis sit calidus, aqua frigida, nix alba, & homo rationalis. Tertio modo aliqd dicitur manifestum ex cognitione præcedentis vel propositionis, vel signi &c. & hoc pacto Arist. ait, quod manifestum est demonstrationem esse perpetuorum, nempe ex diffinitione de omni, de vniuersali &c. *Manifestum est demonstrationem esse sempiternorum.*

Secundo notandum, quod perpetuum duplex est. Quoddam naturale .v. quod in suo esse, non includit materiam, neque aliquod principiũ corruptionis, & hoc proprie vocatur perpetuum secundum rem, & secundum rationem. Aliud vocatur perpetuum secundum rationem solum, quamuis secundum rem corruptibile sit, sicut accidens in se desinere potest, & desinit, tamẽ sua ratio vniuersalis, sicut & quælibet diffinitio rei corruptibilis, perpetua nuncupari potest, & sic est verum, & intentum ab Arist. *Dupliciter*

Arist. ꝙ perpetuorũ vtroque modo est scientia,& demonstratio.

In vniuersali. Tertio sciendum, quod de aliqua re corruptibili esse scientiam potest dupliciter intelligi. Primo in particulari; v. g. de hac,& illa rosa, de hoc, & illo homine. Secundo in vniuersali, v. de rosa absolute, de homine vniuersaliter. Quando Arist. ait, quod rerum corruptibilium non est scientia, non loquitur de eis consideratis in vniuersali, sic enim in vniuersali, quælibet res habet,& necessitatem,& perpetuitatẽ, sed intelligit in particulari, vt sit sẽsus, huius,& illius rei corruptibilis non est scientia, neque demonstratio, sed perpetuę & sempiternæ eius rationis.

Idem dicitur de definitione. Quarto sciendum, quod vlterius Phil. ait. Neque diffinitio est rei corruptibilis &c. Pro quo sciendum q́d diffinitio duplex est, s. partialis, quæ rem explicat solum, vel per causam materialem, vel solũ per formalem. Alia vocatur totalis, quæ etiam alio nomine hic ab Arist. demonstratio sola positione differens nuncupatur, quæ. s. explicat totam naturam rei diffinitæ per omnes eius causas; Vt domus potest dupliciter diffiniri. Primo partialiter per causam materialẽ, & sic dicimus, domus est quoddam compositum ex cęmento, lapidibus, & ferro. Vel secundo potest diffiniri diffinitione totali sic, Domus est operimentum compositum ex cęmento, lapidibus,& ferro, protegens nos ab æstu,& frigore, & hæc vt dixi vocatur diffinitio, quæ differt a demonstratione sola positione .i. solo ordine, quia ordinari potest secundũ artem demonstratiuam; Vide S. D.

Secundum Arist. Quinto notandum, quod Plato videns indiuidua esse singularia materialia, & corruptibilia, conatus est ponere ideas, ad hoc vt rerum corruptibilium esset scientia, respectu illarũ vniuersaliũ idearum. Sed Phil. hic aliter opinatur, & asserit, quod, & si de his singularibus non esset sciẽtia, sufficit tamen quod de eorum rationibus vniuersalibus esse potuisset, & quod si ista corruptibilia singularia nõ habeant diffinitionem, neque de eis sit demonstratio, nisi per accidens, quod sit sempiternorum per se.

Sexto, & vltimo Phil. vlterius progreditur, & mouet dubium de his, quæ vt in pluribus accidunt, an de his demonstratio esse possit. Videtur enim quod non, quia puta ecclipsis lunæ non est semper, neque perpetuo, igitur de ipsa non erit demonstratio. Cui obiectioni respondet Aristot. quod ecclipsis,& omnia alia, quæ vt in pluribus accidunt, possunt dupliciter considerari. Primo in particulari, quoad esse existentiæ, & sic de ipsis non est scientia. Secundo in vniuersali, quoad essentiam,& necessariam connexionem terminorum, & sic de ipsis est diffinitio,& demonstratio. *In his etiã quæ vt in pluribus sunt.*

Quoad secundum ponitur hæc conclusio negatiua. Rerum corruptibilium non est scientia, neq; demonstratio, sed solum sempiternorum. Primo probatur. Conclusio est necessaria; & perpetua, Igitur erit ex præmissis necessarijs, & incorruptibilibus. Probatur consequentia, quia non contingit syllogizari verum, nisi ex vero,& necessarium nisi ex necessarijs,& perpetuum nisi ex sempiternis.

Secundo. Demonstratio est ex his, quæ sunt de omni, & secũdum quod ipsum,& per se. Sed hæc nõ sunt nisi vniuersales propositiones, & necessariæ. Igitur rerum corruptibilium non erit demonstratio.

Secunda conclusio. Sicut rerum corruptibiliũ non est demonstratio, ita nec diffinitio. Probatur. Diffinitio totalis nihil aliud est nisi demonstratio sola positione differens: Ergo si de-

demonstratio, non erit ex corruptibilibus, ergo nec diffinitio. Antecedens est notum ex superiori declaratione.

Tertia conclusio. De his quæ vt in pluribus eueniunt est demonstratio, Probatur. De ecclipsi Solis, & Lunæ est demonstratio, & de pluribus alijs Meteorolgicis impressionibus est scientia,& demonstratio, sicut patet in libris de his agentibus. Sed hæc sunt de illis quæ vt in pluribus eueniunt: Ergo.

Quoad tertium plura possunt fieri argumenta quæ nec difficillima sunt, nec aliquid magni præseferunt, ideo videat qui vult Aegidiũ,& Flādriensem. Nos in sequentib. lectionibus habitis ex Caietano disseremus de omnibus, quæ aliquam difficultatem pati possunt.

Caput IX.

LECTIO XVII.

ex Caietano.

PRæsens capitulum diuidemus in duas lectiones, vt iure merito possit quoad omnia, saltem necessaria explicari, sicut explicuit Illustrissimus Caietanus. In hac igitur lectione tria faciemus. Primo compilabimus tex. Secundus adducemus aliqua notabilia. Tertio vnum dubium.

Quoad primum ex hoc capite eliciuntur duæ conclusiones, & duæ propositiones.

Prima conclusio est, Necesse est quod conclusio demonstrationis simpliciter sit necessaria.

Secunda. Nec scientia, neque demonstratio est corruptilium simpliciter. Probatur prima, & secunda conclusio simul, Demonstratio, & conclusio sunt ex vniuersalibus, Igitur ex incorruptibilibus. Probatur consequentia, quia vniuersalia perpetua sunt.

Prima propositio est. Sciētia est de rebus corruptibilibus per accidens, & non per se.

Secunda quæ & conclusio est, Diffinitio est perpetuorum, & non corruptibilium. Probatur a posteriori. Quia diffinitio aut est principium demōstrationis .i. præmissa, aut conclusio deducta ex præmissis, aut tota demonstratio sola positione differens.

Tertia. Eorum quæ vt in pluribus eueniunt potest esse scientia, & demonstratio, Probatur, quia vt in pluribus sunt.

Quoad secundū primo venit notandum circa expositionem literæ S. D. quod aliqua verba omittuntur in nouis codicibus, quæ in antiquis reperit Caiet. Verba autem illa faciunt sensum, quod conclusio vniuersalis, & incorruptibilis, ex vniuersalibus, & incorruptibilibus est; legat qui vult D. Caiet.

Secundo notandum circa illam propositionem, Scientia non est corruptibilium per se, sed per accidens, notanda .n. causa est, ex qua secundum S.D. motus videtur fuisse Arist. ad proponendam hanc propositionem. Causa ergo fuit diuersitas opinionum inter ipsum, & Platonem: Nam Plato tenuit de his corruptibilibus scientiam habere nos non posse, & ideo ponendæ essent ideæ singularum specierum, de quib. solum dabantur demonstrationes, & diffinitiones. Vnde (vt optime Arist. deducit 7. diuinorum) sic sequebatur, qd de indiuiduis corruptibilibus nō haberemus scientiam. Arist. autem sequens naturam rerum sensibilium putauit has ideas esse quoddam figmentum, affirmauitque quod præter omnia singularia, non dabantur ideæ per se subsistentes, &

tamen

tamen saluauit de rebus corruptibilibus esse scientiam, non per se, sed per accidens.

Tertio, igitur animaduertēdum est, quomodo possit saluari quod de rebus corruptibilib. habeamus scientiam, sed per accidens. Duo ergo cōsideranda sunt in indiuiduo, seu in re corruptibili. s. natura, seu essentia, & cōditiones indiuiduātes, puta in Sorte duo sunt, est enim in eo humanitas, & rationalitas, quæ faciunt & constituunt essētiam Sortis, & sūt in eo eius carnes, & ossa, quæ principia indiuiduantia dicuntur. Inter essentiam autem, & principia indiuiduantia datur talis ordo, quod essentia potest considerari absque materialibus conditionibus. & hinc deducitur quod si natura cōsideretur per se de illis est scientia per se, sed in ordine ad conditiones materiales per accidens.

Quarto sciendum, quod natura puta Sortis consideretur absque conditionibus materialibus, & corruptibilibus dupliciter potest intelligi. Primo secundum abstractionem intellectus, & sic verum est, quod Sortes potest considerari absque principijs materialib*, & corruptibilib*, & hoc pacto dicitur eius ratio incorruptibilis, qa vt sic denudata est ab oī materia, vnde indiuidua corruptibilia sic dicuntur sumpta incorruptibiliter. Secundo vt istæ rationes indiuiduorum incorruptibiles, coniunctæ sunt cum conditionibus materialibus, & corruptibilibus, & hoc pacto, quia cui cōiungitur corruptibile est, quatenus in ipso sunt, sic dicuntur corruptibiles per accidens, vnde ipsę incorruptibiles sunt, & cui inhęrent, corruptibile est.

Quinto notandum est circa sensum prędictæ propositionis. v. scientia est corruptibilium per accidens, quod dupliciter intelligi potest. Primo, vt determinat ly corruptibiliū, vt sit sensus, scientia est illorum vniuersalium, quæ sunt corruptibilia per accidens. Pro quo sensu sciendū est, duplex esse vniuersale. Quoddam omnino separatum a materia, sicut sunt intelligentiæ: Quoddam vero est vniuersale per intellectum abstractum a singularibus, quod tamen secundum rem habet esse in singularibus generabilib. & corruptibilibus, respectu quorum, dicitur vniuersale corrumpi per accidens, & de his intendit Arist. vt sit sensus. Scientia est illorum abstractorum secundum rem, & rationem a corruptibilibus, sed de his quæ fundantur in singularibus, vnde de ipsis etiam habetur scientia per accidens. Secundo modo potest intelligi vt ly per accidens determinet ly est, vt sit sensus, Scientia terminatur ad indiuidua, corruptibilia per se, sed tamē scibilia secundum accidens. Pro quo sciendum quod corruptibilia dupliciter considerari possunt. Primo vt sunt in vniuersalibus, vel vniuersalia in ipsis, & sic considerantur in primo sensu. Secundo inquantum per se sunt, & sic dicitur secundum hunc secundum sensum, quod vt per se corruptibilia sunt, & sic scibilia per accidens sunt.

Sexto sciendum, qđ secundus sensus magis placet Caiet. q̄uis primus non sit omnino reijciendus, sed eius rationes omittam, ne multum immorari videar, vbi necessitas non est immorandi. Duo tamen eius dicta non sunt silētio inuoluenda. Primū, quod vniuersali dupliciter vti possumus. Primo tanquam obiecto, dum eius passiones & principia quęrimus, neque extra naturam vniuersalis vagamur. Secundo tanquam medio, dum percipere volumus singularia & per ipsum, & tunc ipso tanquam medio vtimur, quia scientia nostra

est

est de vniuersalibus applicatis, & non separatis, quemadmodum Plato posuit illas suas ideas separatas. Sed sciendum vlterius, quod dum intellectus vniuersali tanquam medio ad cognoscendum singularia vtitur, hoc non facit intellectus solus, quia vt sic cognoscit solū vniuersalia, sed hoc facit vt est coniunctus sensibus, qui percipiunt per se singularia, & reflectendo se supra sensus, per accidens cognoscit singularia. Secundum dictum est, quod secundus sensus admittit actualem cognitionem corruptibilium, primus solum virtualem.

Septimo notandum, dum diximus naturas rerum corruptibilium, si secundum se sumantur, incorruptibiles esse, quod hoc duobus modis pōt intelligi. Primo intelligendo hoc positiue. s. quoad esse actuale in rerum natura, vt sit sensus, quod si rerum naturæ sumantur secundum se, prout existunt in singularibus, incorruptibiles dicuntur, quia quāuis deficiat hoc, & illud indiuiduum, tamen natura illa successiue saluatur in indiuiduis. Secundo modo potest intelligi negatiue, vt sit sensus, quod si naturæ rerum corruptibilium sumantur non vt sunt in hoc, & in illo indiuiduo corruptibili, sed prout abstracte intelligūtur, sic incorruptibiles dicuntur, quia vt sic abstracte non admiscētur tempori, vel motui, vel conditionibus corruptiuis, & hoc secundo modo magis intelligitur, quia sic non minus est vera hæc propositio, quod Sortes sit rationalis ipso non existente, quam existente, & quia secundum primum sensum secundum ponentes æternitatem mundi in pluribus saluari posset, non autem in omnibus, & etiam quia sequeretur, ꝙ destructa aliqua specie quoad existentiam suorum singulariū, non esset amplius de ea scientia.

Quoad tertium, dubitatur circa dictum S. D. quod conclusio vniuersalis syllogizatur ex vniuersalibus. Contra. Per argumentum in primo modo tertiæ figuræ. Omnis homo est risibilis: Omnis homo est animal. Ergo quoddam aīal est risibile, in quo modo syllogizandi constat, quod conclusio est singularis, & etiam præmissę erant vniuersales.

Ad hoc dubium. Primo respondetur quod dictum S. D. valet solū in prima figura, in qua medium primo subijcitur, & postea præest, argumentum autem non est confectum in prima figura.

Secundo respondetur, quod conclusio est de omni posterioristico, & si sit particularis prioristice, quia nihil est subsumere sub quodam animali rationali, quod non sit risibile, neque aliquod tempus reperiri potest, in quo non habeat rationem risibilitatis.

Sed contra de omni posterioristico supponit de omni prioristicum, si igitur hæc non est de omni prioristico, ergo nec posterioristico.

Respondetur, quod est de omni prioristico virtualiter, & non formaliter.

Caput IX.

LECTIO XXVIII.

Ex Caietano.

IN residuo huius capitis duo agenda erunt. Primo adducentur aliqua notabilia. Secundo adducetur dubium vnum, & soluetur.

Quoad primum, primo notandum est circa hanc propositionem. Scientia est vniuersalium, quod duo sunt in vniuersali. Primum est res. Secundum est vniuersalitas, & idcirco sciendum vniuersale quadrupliciter

ter sumi. Primo pro re. Secundo pro vniuersalitate, Tertio pro aggregato ex re, & vniuersalitate, tanquam ex duabus partibus. Quarto pro coniuncto ex re, & vniuersalitate, sed non tanquam ex duab. partibus, sed sicut ex re, & rei conditione. Secundum ergo hos quatuor modos sumendo vniuersale, quadrupliciter formare possumus propositionem. Vnde primo modo sensus erit, scientia est rerum. Secũdo, scientia est vniuersalitatum. Tertio, scientia est rerum vniuersalium. Quarto, scientia est rerum quæ habent vniuersalitatem tanquam conditionem sine qua non, quis autem horum modorum proprior sit opere pretium est videre, ideo.

Secundo sciendum, quod dum dicimus scientia est de homine, de boue, de cęlo, &c. nihil aliud inferimus, nisi scientiam terminari tanquam ad obiectum cognitum ad hominem, ad bouem, ad cœlum. Vnde secundum hunc sensum dicimus Mathematicam agere de quãtitate, Physicam de ente mobili, &c. Vnde stante hoc fundamento, dicendum est, quod primus sensus non est intentus, & si sit aliquo modo verus. Non est inquam intẽtus, quia si scientia esset solum rerum, ad quid ponere vocabulum vniuersalis? Est tamen aliquo modo verus, ideo sciendũ quod scientia ad res terminatur, tanquam ad subiecta materialia, & tanquam ad res cognitas, sed non formaliter, quia intellectus non cognoscit res materiales, materialiter, nec singulares, singulariter.

Tertio notandum, quod similiter secundus sensus non est intentus, licet aliquo modo verus sit. Non est intentus; quia non est de intentione Philosophantiũ dum dicũt scientiam esse de vniuersalibus, velle inferre, quod sit de vniuersalitatibus. Est vero aliquo modo verus, quia de scientia dupliciter loqui possumus. Primo in particulari v. de tali scientia; & sic verum est particulariter de Logica, quia Logica est de secundis intentionibus, & de vniuersalitatibus. Secundo modo loquendo de scientia in cõi, & sic falsum est, quod oĩs scientia sit de vniuersalitatibus.

Quarto notandum, quod tertius sensus v. scientiam esse de rebus vniuersalibus, tanquam de duabus partibus, nec est intentus, nec verus. Non est intentus, quia nũquam intellexerunt Philosophi ponere scientiam esse aggregatorum. Non est verus, quia aggregatorũ non est scientia nisi per accidens, & hic loquimur de scientia per se, igitur. Secundo, quia scientia est de rebus existentibus, sed tale aggregatum numquam existit in rerum natura, ergo. Nec valet dicere, quod etsi hoc verum nõ sit in scientijs realibus, verum est tamen in scientijs intentionalibus, v. Logica, quæ dicitur de secundis intentionibus adiunctis primis, hoc inquam verum non est, quia Logica est de intentionibus per se, & principaliter, de rebus vero secundario, & ferè per accidens, inquantũ secundæ intentiones fundantur in primis.

Quinto ergo notandum, quod quartus sensus verus erit, germanus, & intentus, scilicet, quod scientia sit rerum non absolute, sed inquantum habent hanc conditionem sine qua non scirentur, nec cognoscerentur, scilicet vniuersalitatem. Hic inquã sensus verus est, quia scientiæ reales, (de quibus hic loquimur) sunt de rebus, non tamen absolute, quia res absolute sumptæ, neque immateriales sunt, neque spoliatæ a conditionibus materialibus, & indiuiduantibus, vnde necesse est fateri, quod si intellectus debeat intelligere has res, eas intelligat sub conditione vniuersalitatis.

tatis. Est etiam intentus. Primo, quia dum Peripatetici affirmant, scientiã esse de rebus vniuersalibus, volunt inferre, quod noster intellectus si debeat cognoscere res singulares, cum sint corruptibiles, oportet, vt eas intelligat sub ratione vniuersalitatis. Vnde vniuersalitas, neq; est res, neque pars rei, neque causa cognitionis, sed est conditio sine qua res non cognoscuntur, sicut approximatio ad ignem, non est ignis, neque pars ignis, neque causa caloris, sed est conditio sine qua ignis non calefaceret. Vnde hinc elicimus regulam vniuersalem multa intelligendi.

Sexto notandum ad euelendam tacitam obiectionem, quæ potest esse, quod si scientia est de rebus vniuersalibus, vt stant sub conditione vniuersalitatis, igitur verum erit dicere, quod scientia non est de rebus, in rerum natura existentibus. Probatur sequela, quia sic res in intellectu sunt. Respondetur hanc esse fallaciam a simpliciter ad secundum quid, quia dicimus quidem scientiã, esse de rebus ad extra existentibus, sed non absolute, vt ad extra sunt, (quia sic materiales, singulares, & corruptibiles dicuntur) sed vt fultæ sunt vniuersalitate, tanquam conditione sine qua non.

Septimo notandum circa illã propositionem, de his quæ vt in pluribus eueniunt datur scientia, quod sempiternitas duplex est. Quædam simpliciter, vnde illud dicitur simpliciter sempiternum, quod nunquam deficit, & inuariabile est. Aliud dicitur simpliciter sempiternũ, sed tale, idest, tali tempore, v. quod in tali tempore semper euenit, vt Solem oriri in mane, & quicunque terra interponitur inter Solem, & Lunã fieri eclipsim. Vel etiam loquendo de his quæ vt in pluribus producunt similes effectus, quamuis quandoque deficere possint, vt sub cane esse siccitatem, & sub capricorno frigiditatem.

Octauo notandum, quod ea, quæ vt in pluribus eueniunt, dupliciter possunt considerari in ordine ad suũ subiectum. Primo absolute in ordine solum ad subiectum, vt sic. Secundo, inquantum tale subiectum est in vltima dispositione ad producendum effectum, puta eclipsis Lunæ primo potest referri ad Lunam absolute. Secundo inquantum est in tali situ, in quo terra mediat inter ipsam, & Solem; tunc dicimus, quod illa, quæ habent necessitatem talem in ordine ad suum subiectum absolute, non habent simpliciter necessitatem, sed si considerentur, vt sunt in tali dispositione, simpliciter, omnia nota.

Nono necesse est ostendere sempiternitatem eorum, quæ vt in pluribus eueniunt sufficientem esse ad demonstrationem. Primo ergo probatur. Eo modo quo aliqua res necessaria dicitur, eo modo sempiterna est. Sed res dicitur necessaria quando suo tempore producit, &c. effectum, vt superius explicatum est, igitur. Maior nota, & minor ẽt. Secundo, quia sicut se habet necessitas simpliciter respectu sui effectus infallibiliter euenientis, ita se habet necessitas Physica; respectu effectus tali tẽpore producendi. Sed prima sufficit ad demonstrationem, igitur &. secunda. Minor nota, Maior ẽt, quia proportionalitas tenet, quia sicut simpliciter necessaria infallibiliter, & semper suum producunt effectum, ita Physica infallibiliter tali tempore.

Decimo animaduertendum, quod aliqui conati sunt reducere necessitatem Physicam ad necessitatem simpliciter, vnde dixerunt, quod in ordine ad suas causas necessaria simpliciter dicuntur, quia tali tempore impossi-

possibile est ea non euenire. Sed hoc dupliciter intelligi potest. Primo in ordine ad suas causas precise, præscindendo dispositionem subiecti, quam in tali tempore habent, & hoc improbatum est in 6. cap. contra Ægidium. Vel secundo in ordine ad suas causas, sed cum tali dispositione subiecti, puta quod Luna sit in tali situ, & hoc verum est, & intentum a Philosophis.

Vndecimo notandum, quod tribus modis aliqua dicuntur euenire. Primo simpliciter, & semper. Secundo regulariter, idest in tali tempore. Tertio vt in pluribus, deductis impedimentis. Vnde si demonstratio procedat de his, quæ simpliciter sunt necessaria, sufficit sub vniuersali subsumere particulare, vt dicendo. Omnis dualitas est par, hæc est dualitas, ergo est par. Sub his, quæ necessaria sunt regulariter, oportet subsumere particulare quidem, sed particularizatum, vt dicendo. Quando interponitur terra inter Solem, & Lunam fit ecclipsis. Nunc interponitur, ergo. Sub his, quæ vt in pluribus producunt suum effectũ deductis impedimentis, oportet subsumere causas cum exclusione impedimentorum. Omnia clara in Caietano.

Quoad tertium, dubium est circa conclusiones. Verum prædicationes illæ in quibus prædicantur prædicata essentialia, & quidditatiua sint sempiternæ veritatis. Quod non, probatur dupliciter. Primo, quia dicitur in 2. Periher. quod homo mortuus non est verus homo, tunc sic. Nõ magis opponitur homini mors, quam non esse, sed homine mortuo nõ est vera hæc propositio, Sortes est homo, igitur non existente re nulla prædicatio erit vera.

Secundo, quia ab eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa, ergo si res perpetuo non est, oratio non erit perpetuæ veritatis.

Ad primum breuiter dicitur, quod aliud est dicere, qđ homo mortuus non est, & quod homo, vt homo nõ sit, seu existat: Nam primum est loqui de homine prout significatur existere, vel non existere. Secundum vero est loqui de homine vt abstrahit ab actuali existentia: nam homo vt homo, secundum significatum suum formale nõ significat hoiem esse, sed necessariam esse connexionem prædicati cum subiecto, vnde destructis singulis hominibus, adhuc remanet hominis ratio. Ideo formaliter dicitur, quod magis opponitur homini mors, quam non existere, quia mors cadit super existentiam, quam intelligit tollere, non existere vero nõ tollit necessariam connexionem, & prædicationem prædicati de subiecto. Secundo respondetur, qđ Sorte mortuo, falsa redditur ista, Sortes mortuus est homo, non vero redditur falsa ista, Sortes est homo, quia (vt diximus,) primum respicit existentiam, secundum essentiam & significatum formale.

Ad secundum dicendum, quod oratio potest fundari in terminis, scilicet esse, & nõ esse, & significato propositionis complexe, scilicet esse hominem, vel non esse hominem, quando ergo Aristot. habet, quod ab eo, quod res est, vel non est oratio dicitur vera, vel falsa, non intelligit de re sumpta incomplexe, idest, quoad existentiam, sed complexe, idest, quoad significatum, ita vt sit sensus, ab eo quod res significatur sic esse, vel non, oratio dicitur vera, vel falsa, nam hæc oratio erit falsa, homo est animal irrationale, quia prædicatum repugnat subiecto.

Caput X.

LECTIO XXIX.

S. D. 17, Et Caiet.

Quoniam autem manifestum est, &c.

HOc est 10. cap. secundum diuisionem Caietani. Tria ergo in hac lectione vobis promitto. Primo adducam aliquas adnotationes, deducendas ex textu. Secundo ponam conclusionem, & probabo. Tertio adducam duo dubia ex Caietano, & ea soluam.

Demõstratio non est ex extraneis.

Quoad primum. Primo notandum est, quod Philosophus hic intendit probare, demonstrationem non esse ex communibus principijs, sed ex proprijs. At alicui posset esse dubium, quomodo hoc capitulum aliud sit ab octauo, in quo similiter Aristot. probat, demonstrationem non esse ex extraneis. Ideo sciendum, quod extraneum, & commune distinguuntur in duobus. Primo, quia extraneũ idem significat quod non conueniens, seu non habens aliquam similitudinem cum alio; vnde dicebat secundum hunc sensum Aristot. quod non licet transcendere de genere in genus, idest de genere differenti, ad genus differens arguere. Principium autem commune significat aliquam conuenientiam, sed remotam. Secundo, quia principia communia probant propria, extranea autem, non extranea.

Principijs.

Secundo notandum, quod principia sunt in multiplici differentia. Quædam enim vocantur principia essendi, vnde Aristot. 1. Physic. tria dicit esse principia essendi rerũ naturalium, duo per se, & vnum per accidens. Per se sunt materia, & forma, & per accidẽs priuatio. Quędam vero dicuntur principia cognoscendi, & hæc sunt in duplici discrimine. Nam quædam sunt principia communia, & vniuersalia, quæ etiam vocãtur dignitates, vt. Omne totum maius est sua parte. Idem non potest simul esse, & non esse. Quædam vero sunt principia propria alicui scientiæ, vt motum esse, & naturam esse in Physica. Iste autem est ordo inter hæc principia, quod principia propria alicui scientiæ non probantur, sed supponũtur tanquam per se nota in illa scientia. Sed tamen probari possunt simpliciter per principia vniuersalia, & hoc est qđ dicit Arist. demonstrationẽ alicuius scientię particularis, non procedere ex principijs communibus, sed proprijs illius scientiæ.

Metaphys. pbat principia aliarum scientiarum.

Tertio notandum, quod Philosophus hic deducit tria corrolaria, quorum primum est. Ad Metaphys. spectat probare principia aliarum scientiarum, & ratio est, quia est sciẽtia vniuersalissima, sicut etiam est Dialectica. Sed quod Metaphys. probet principia aliarum scientiarum, de eisque differat, potest dupliciter intelligi. Primo effectiue, idest quo ad eorum notitiam, & veritatem, & sic hoc pertinet ad intellectum, intellectus enim est, qui rimatur cognitionem principiorum particularium scientiarum. Secundo arguitiue, defensiue, i. inquantum principia particularia, & propria, quæ supponuntur in particulari scientia, probantur contra negantes, a Metaph. & sic vt probata, & vera ea tradit Metaphysicus omnibus scientijs, nam scientiæ particulares accipiunt sua principia a Metaphysica, tanquam nota, & vt examinata, & defensata ab impugnantibus ab ea, & hoc est quod intendit Philosoph. in hoc primo corrolario. Secundum corrolarium fere idem videtur.

Nō eas si bi subalter nat. Quarto notādum circa tertiū corolarium, v. quod descendere de Metaph. ad scientias particulares non est descendere de genere in genus, quod ex hoc alicui potest oriri dubium. Vtrum cæteræ scientiæ Metap. subalternent, cum maxime Phil. subinferat, sicut descendere de Arithmetica ad Musicam non est transire de genere ad genus, Musicam autem subalternari Arithmeticæ constat. Huic dubitationi et si hoc loco non sit plene satisfaciendum, sed in sexto Metaphy. sufficit tamen pro nunc scire, quod aliæ scientiæ proprie Metap. non subalternant, quia inter cæteras conditiones scientiæ subalternatæ & hæc vna est, vt subiectū inferioris scientiæ addat differentiam extraneam subiecto scientiæ subalternantis, modo enti subiecto Metaph. non potest addi differentia extranea, cum nihil entis naturam subterfugiat. Vnde dicere possum, quod duplex est subalternatio, Quædam simpliciter, quæ habet omnes considerationes requisitas ad veram subalterationem, Quędam secundum quid, verbi gratia solum respectu principiorum, & sic cæteræ scientiæ Metaph. subalternantur, vnde non est descendere de genere in genus, descendendo de Metap. in alias scientias.

Conclusio probatur. Quoad secundum ponitur conclusio negatiua. v. Demōstratio non est ex principijs cōmunibus. Probatur primo. Communia principia non faciunt cognoscere rē per se, distincte, & perfecte, sed solum confuse, At demonstratio procedit ex his, quæ faciunt cognoscere distincte rem, Igitur Minor nota, Maior probatur. Quia commune pluribus non facit scire particularia plurium, vnde quanto aliquid vniuersalius est, tanto magis est confusum, teste Arist. primo Physicorum.

Secundo, quia si demonstratio procederet ex communibus, igitur Brison sufficienter demonstrasset per hoc commune principium, quod vbi reperitur maius, & maius ibi reperitur æquale, equalitatem cum circulo describendo, & aliud quadratum intra circulum, At hoc est impossibile, ergo hæc patent in textu.

Tertio, quia demōstratio non est ex principijs extraneis, Igitur &c.

Quoad tertium, primo dubitatur contra id quod auctor dixit circa tertiū corrolarium, quod passio non per se inest subiecto, & tamen fiat demōstratio, hæc enim adinuicem pugnant, si enim passio per se non inhæret subiecto, demonstratio erit per accidens.

Secundū dubium est. An Metap. sit vere scientia, videtur, n. quod nō. Primo, quia sciētia procedit ex veris causis in essendo, Metap. non, Ergo.

Secundo, quia Metap. est sapientia, Igitur non est scientia. Probatur, quia sunt habitus distincti.

Argu. soluuntur. Ad primum dicitur, quod cum sermo sit de scientia subalternante, & subaltetnata, notandum venit, duo esse in scientia subalternata. Primum est subiectum, ex quo conuenit cum subalternante, & ei necessario, & per se subijcitur, & ideo spectat ad subalternātē probare principia eius, q́ principia in subalternante sunt cōclusiones. v. g. Arithmetica, et Musica subalternantur, & per se connectuntur ratione subiecti. s. numeri. Secundum quod est in subalternata, est differentia extranea subiecto superioris scientiæ addita. v. g. sonorum additum numero, & respectu huius, medium scientiæ superioris non est per se medium ad probandam illam differentiam extraneam, Hinc ratione huius tantum differentiæ extraneæ, & non ratione subiecti dictum est, quod passio, seu differentia hæc

extranea non inest subiecto, s. superioris scientiæ, vt sonorum numero vt sic.

Contra tamen hanc responsionem potest esse scrupulus, quia demonstrationes scientiæ superioris idest subalternantis sunt de toto aggregato sciẽtiæ subalternatæ, & consequẽter de quoddam toto aggregato per accidens, ex quo non videtur, quod nec medium sit per se.

Respondetur tamen, qđ differentia est inter propositionem per se, quando prædicatum dicitur esse de ratione subiecti, & dicitur per se, ex parte prædicati, & quando aliquid per se, se tenet ex parte subiecti. Nã primo mõ nullum prædicatum accidentale seu extraneum admittitur ex parte prædicati ad prædicandum per se, vnde hęc non est per se; Sortes est hõ albus. Secundo vero mõ, aliquid quod est prædicato accidens, & extraneum, erit subiecto per se, & ratione huius, prædicatum demonstrabitur de eo per se, vnde hæc est per se, Sortes alb. est homo, & sic homo vere demonstrari potest de Sorte albo, quoniam album potest esse passio Sortis, & sic in proposito, quoniã differentia illa accidentalis se tenet per se ex parte subiecti, ideo demõstrationes scientiæ superioris per se fieri possunt de aggregato se tenente vt subiectum inferioris.

Ad secundum dubium singulariter erit respondendum in Metaph. pro nunc. Primo dicitur, quod scientia dupliciter sumi potest. Primo communiter pro quocunque habitu deducto ex demostratione, & sic sapientia est scientia, quia etiam cognitio sapientiæ deducta est per demonstrationem ex suis principijs, quamuis altissimis. Secundo proprie in ordine ad intellectum, vt scientia est habitus deductus ex causis inferioribus, & sapientia ex altissimis, & sic distinguunt & Arist. distinxit eas sic in 6. Ethicorum, quia secundo modo eas considerauit, hic autem communiter accipit scientiam, & sapientiã.

Caput XI.

LECTIO XXX.

S. D. 18.

Difficile autem est cognoscere, &c.

HOc est vndecimum cap. in quo Phil. tractat de principijs communibus, & proprijs scientiarum, quod in tres lectiones diuidemus. In primis duab. ea, quæ ab alijs habẽtur explicabo. In tertia, quæ a Caiet. In hac ergo prima lectione duo faciemus. Primo adnotabimus aliqua circa textum. Secundo adducemus aliqua dubia.

Quoad primum, primo sciendum est Philos. dicere difficile esse scire, si quis vere sciuit, quia difficile est adinuenire propria principia, cuius difficultatis duas assignare possumus causas. Prima, quia principia q̃to particulariora sunt, tanto sunt occultiora, vniuersalia enim citius cognoscuntur (teste Arist. primo phys.) Igitur nõ est mirum si inquiat, difficile est scires si quis vere sciuit, quia vera scientia pendet ex proximis principijs. Secunda causa est, quia particularia principia multa supponunt scienda, antequã ipsa sciri possint, v. prima principia, & multa alia ex quibus contra impugnantes defenduntur.

Difficile est scire si quis vere sciuit.

Secundo notandum, quod vlterius ait prima principia, siue communia, siue cuiuslibet scientiæ non contingit demonstrare. Pro quo sciendum, principia vt sæpe dictum est, quædam esse communia, quę etiã vocantur dignitates; & quædam par-

Principia cõmunia non demõstrantur.

particularia. Si loquamur de principijs communibus quod non demonstrentur dupliciter intelligi pôt. Primo demõstratione simpliciter, a priori, & ex notioribus, & hoc verum est, quia principijs primis non sunt aliqua priora principia. Secundo demostratione ad hominem, i. apud quem vel non sunt termini noti, vel vult proterue ea negare, & hoc quidem possibile est, non ex causa, sed per accidens, ex ignorantia terminorum. Si vero loquamur de principijs specialibus, hoc potest adhuc bifariam intelligi. Primo simpliciter, & sic possunt probari, sed per Metap. Scdo in scientia in qua supponuntur vt principia per se nota, & hoc falsum, sed hoc potest adhuc dupliciter intelligi, Primo loquendo de demonstratione ostensiua, quæ est vera demonstratio, & hoc verum est. Secundo de demonstratione ducente ad impossibile, & hoc falsum; Quid sit autem demõstratio ducens ad impossibile infra videbitur.

Scientiæ his utuntur. Tertio notandum, quod scientiæ speciales vtantur principijs communibus dupliciter intelligi potest. Primo in sua vniuersalitate, & hoc falsum est, nã talib. principijs si vtitur aliqua scientia erit Metap. Scdo loquendo de principijs communibus, sed non in sua communitate remanẽtibus, sed applicatis, & hoc modo scientiæ particulares vtuntur principijs cõibus, vt si supponamus qd hoc sit principium cõmune, si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia, vtetur eo Geometra, sic, Si ab æqualibus lineis, æqualia demas, quæ remanent, æqualia erunt, Arithmeticus sic, Si ab æqualibus numeris, æquales numeros demas, &c.

Hæc supponunt. Quarto notandum, quod principia communia supponuntur in omni scientia, & necessum est illa supponere, cum constent ex terminis generalissimis, quibus cognitis, simul etiam cognoscitur veritas totius principij, vt cognito quid sit totum, quid pars scimus, quod omne totum maius est sua parte. Principia autem particularia non est necesse quod in omni sciẽtia supponãtur, sed solũ in illa in qua principia ponuntur, vt in Geometria necesse est supponere, quod linea sit longitudo sine latitudine, & profunditate, & in Arithmetica quod numerus sit quantitas discreta.

Cõclusiones. Quinto notãdũ, qd ex dictis Phil. duæ eliciũtur cõclusiones. Prima est. Principia non possunt demonstrari, Probatur. Demostratio debet esse ex prioribus, & notioribus; Sed principijs vt principia sunt, non sunt aliqua priora, & notiora, aliter non essent principia in cognoscendo, nec dicerent quia. s. quia vera sunt, ergo principia non possunt probari.

Secunda conclusio est. Principia quędam sunt communia, & quędam propria, Probatur. Principia communia pluribus scientijs, vere distinguuntur a principijs proprijs, & applicatis tantum vni scientiæ. Sed prima sicut vocantur communia, ita secunda propria, & particularia, ergo est duplex genus principiorum.

Quoad secundum arguitur contra primam conclusionem. Primo. Triãgulũ habere tres angulos ęquales duobus rectis est principium in Mathematica, vnde probatur per ipsum, quod Isosceles, & aliæ figuræ triangulares habeant tres. Sed hoc principium probatur in primo Euclidis. Ergo.

Secundo. Hoc verum principium est, prima causa est, & tamen probatur 8. Phy. & 12. Metap.

Tertio. Materiam esse, motum, & similia sunt principia in Phy. & tamen probantur esse, materia in primo

mo Phy. natura in secundo, motus in tertio.

Quarto. Quæ habent causam probari possunt. Sed principia etiam cōmunia habent causam, s. notitiam terminorum ex quibus componuntur, ergo.

Contra secundam conclusionem primo arguitur. De ratione principiorum est, quod non probentur, sed supponantur. At hoc conuenit omnibus principijs, ergo nulla est distinctio inter propria, particularia, & cōmunia principia.

Secundo. Principia tam communia, quam particularia possunt negari, ergo nulla differentia est inter ipsa.

Argumenta soluuntur. Ad primum respondetur, quod habere tres potest dupliciter sumi. Primo vt principium, & sic non probatur. Secundo vt conclusio, inquantum habere tres prouenit ex concursu trium linearum facientium trian gulum, & sic potest probari.

Ad 2m dicendū, quod duplex est demonstratio. Prima dicitur propter quid, quæ procedit per causam, & hac demonstratione non potest demonstrari prima causa, quia non habet causam priorem se. Secunda dicitur quia. s. per effectus, & sic demonstratur, sed hoc est respectu nostri.

Ad tertium dicendum, quod quædam dicuntur principia essendi, & quædam cognoscendi. Secunda non probantur in illa scientia, in qua ponuntur principia. Prima vero quod probentur, potest dupliciter intelligi. Primo quoad existentiam, & sic generaliter non probantur. Secundo quoad essentiam, vel talem, & talem rationem, & sic particulariter quandoque probantur, sed de his in Physica erit agendum.

Ad quartum dicitur, quod cognitio principiorum dependet a cognitione terminorum per simplicem apprehensionem intellectus, non per discursum, sicut loquimur.

Ad primum contra secundam cōclusionem dicitur, quod principia cōmunia supponūtur in omni scientia, & in nulla probantur, sed particularia supponuntur tantum in particulari, & in superiori vniuersali probantur.

Ad secundum dicitur, quod prima principia, quæ dicuntur communia nullus potest corde ea negare, sed tantum voce, dummodo cognoscat terminos, sed particularia possūt etiam corde negari, & sic probantur per scientiam superiorem.

Caput vndecimum.

LECTIO XXXI.

S. D 19.

IN hac lectione tria agemus. Primo eliciemus adnotationes ex textu. Secundo adducemus aliquas conclusiones. Tertio circa dicta dubitabimus.

Quoad primum, primo notandū est, Arist. in his textibus intendere ponere discrimen inter communes animi conceptiones, & inter suppositionem, positionem, quæstionem, & diffinitionem. *Intentio Phil.* Vnde notandum, quod postquam tractauit de principijs cōmunibus, & proprijs, hic tractat de istis, cuius ordinis duas rationes assignare possumus. Prima, quia necesse erat scire quæ sint communia, & quę particularia principia, hoc autem cōmode fieri nō poterat, nisi sciremus, quæ habent vim communis principij, & particularis, & quomodo conueniāt, differantque, ideo de his hoc loco agit. Secundo, quia scientia hæc fere est gubernatrix principiorum, & conclusionum omnium scientiarum,

quia recte demonstrare non possumus, nisi habeamus cognitionem huius scientiæ. Vnde cum aliquæ scientiæ magis versentur circa quęstiones, quam circa suppositiones &c. hæc omnia erunt scienda, vt iudicare valeamus de conditione omniũ scientiarum.

Explicatur. Secundo notandum, quid sint omnia ista principia, vt postea circa particularia eorum aliqualiter immoremur. Communis ergo animi conceptio est principium ita ratum, vt mẽte impossibile sit ipsũ negare vt hoc. Idem non potest simul esse, & non esse. Suppositio est propositio quidem secundum se demonstrabilis, quia secundum se habet causam, non tamẽ demonstratur, sed acceptatur tanquam vera, vt hæc apud Geometrã est suppositio, A puncto ad punctum ducitur linea, hanc enim propositionem supponit tanquam veram Geometra, & si possit probari per hoc medium, quia duo puncta, quæ sunt indiuisibilia, non possunt se tangere. Petitio autem est propositio demonstrabilis, sed non demonstrata, sed nec acceptata a disputante, sed concessa in hoc, quod dicit pro nunc transeat, quia nolo de hac propositione pro nunc disputare. Quæstio est propositio demonstrabilis, quam nec acceptat disputans, nec admittit, sed super eam habet differentiam cum disputante. Diffinitio autem est oratio indicans rei essentiam, & naturam.

Cõmunis animi conceptio quæ, & qualis. Tertio sciendum, quod communis animi conceptio differt a suppositione, petitione, &c. quia communis animi cõceptio hæc tria habet, quod sit vera, quod non sit demonstrabilis, & quod sit per se nota, & etiam quoad nos; Suppositio vero, & petitio in hoc conueniunt cũ cõmuni animi conceptione, quod sunt veræ, sed in hoc differunt, quia possunt demonstrari, & aliquando secundum se notæ non sunt, quia secundum se habet medium, non quoad nos, quia supponuntur vt notæ, & si non sint. Aduerte tamen quod communis animi conceptio quoad se, & quoad nos nota dicatur, dupliciter intelligi potest. Primo corde, & hoc verum est. Secundo ore, sed nõ corde, quia aliquis posset proteruire, & eam negare, qui in tali casu non ratione, sed baculo indigeret.

Suppositiones, & petitiones. Quarto sciendum, quod suppositiones, & petitiones sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt demonstratiuæ, quæ supponuntur, vel petuntur de his, quę vera sunt per se, & necessaria. Aliæ vocantur dialeticæ, quæ possunt esse de falsis, vel de non ita necessarijs, sed probabilibus. Arist. dum hic loquitur de suppositione, & petitione, loquitur de demõstratiuis, & non de dialecticis, vel cõmuniter sumptis.

Differunt. Quinto sciendum, quod suppositio, & petitio differunt formaliter, & si non materialiter, quia suppositio dupliciter sumi potest; Primo generaliter, vt est nomen commune omnibus principijs. Secundo vt distinguitur contra petitionem, quia suppositio, & si sit propositio secundum se demonstrabilis, tamen supponitur tanq̃ nota a disputante, vel de facili si probanda esset, probari posset. Sed petitio est propositio secundum se demonstrabilis, & etiam non supposita a disputante simpliciter, sed pro illo tunc, quæ & si esset demonstranda, non tñ faciliter demonstraretur, sicut suppositio; & hoc modo considerat hic Arist. suppositionem, & non primo.

Sunt propositiones demõstrabiles. Sexto notandum, dum dicimus quod suppositio, & petitio sunt propositiones demonstrabiles, hoc bifariam potest intelligi. Primo de omnibus suppositionibus, & de demõstratione, & hoc falsum est, nam sunt aliquæ

quæ suppositiones ita immediatæ, vt secundum se non possint demonstrari. Secundo modo hoc potest intelligi generaliter,& saltem de aliqua demonstratione, & sic verum esse constat, quod suppositio,& petitio, vt distinctæ a communi animi conceptione probari possunt, saltem demonstratione signi, siue effectus.

Differunt a communi animi conceptione. Septimo notandum, quod communis animi conceptio quatuor modis differt a suppositione, petitione, & quæstione. Primo, quia communis animi conceptio, quæ & dignitas nūcupatur, per se est necessaria, suppositio vero &c. per aliud .i. per dignitates. Secundo, quia dignitas est per se nota,& secundum se,& quoad nos, suppositio vero &c. nequaquam, sed per dignitates, vel quia admittūtur vt notæ,&si non sint. Tertio, quia dignitas cognoscitur ex notitia terminorum, suppositio &c. ex aliqua propositione, vnde dignitates solum lumine intellectus agentis cognitæ sunt, non suppositiones &c. Quarto, quia nullo modo dignitas potest demonstrari, suppositio vero &c. vel a priori, vel a posteriori demonstrantur, vel respectu sui, vel nostri.

A definitione. Octauo notandum, quod diffinitio differt a supradictis tripliciter. Primo quia suppositio, petitio, & q̄stio sunt propositiones, diffinitio autem non est propositio secundum se, vt diffinitio est; &si quandoque vt est diffinitio per se de diffinito p̄dicetur. Secundo, quia diffinitio spectat ad primam operationem intellectus, nā diffinitio solum essentiam explicat, suppositio autem &c. ad secundam operationem intellectus .v. ad compositionem,& diuisionem spectant. Tertio differunt, quia diffinitio nec est vniuersalis, nec particularis, sed abstrahit ab vniuersalitate, & particularitate, suppositio aūt &c. cū sint propositiones,& omnis propositio sit aut vniuersalis, aut particularis, aut īdefinita, vel singularis necesse est cōfiteri, ꝙ vel sint vniuersales vel &c.

Corollaria Nono notādū, quod vltimo Phil. deducit aliqua in textu, quorum primum est, quod Geometria non supponit falsum dicendo, aliquam lineā esse bicubitam, & sit tricubita, quia Geometra non considerat lineam in particulari v. hanc, vel illam lineam, sed absolute, modo linea vniuersalis potest esse bicubita,& tricubita. Secūdū est, quod Plato posuit ideas absque necessitate .v. ad hoc vt saluaret de incorruptibilibus solum,& nō corruptibilibus esse scientiam, quia sufficit ponere vniuersale, quod sit in pluribus,& de pluribus prædicabile.

Conclusiones. Quoad secundum, prima conclusio erit, Communis animi conceptio differt a suppositione &c. vide septimum notabile.

Secunda est, Suppositio, petitio,& quæstio etiam inter se differunt, pro quo vide secundum notabile.

Tertia est. Diffinitio differt a petitione, suppositione, & quæstione, vide octauum notabile.

Quoad tertium, duo sunt argumēta facillima, primum contra assignationem dignitatis, s. esse necesse, vt ab omnibus videatur. Contra. Nihil est tam notum, quod per aliud non videatur. Igitur nullum erit principiū quod per se videatur. Probatur antecedēs. Quia omnia principia fiunt nota lumine intellectus agentis.

Secundo arguitur contra id quod dictum est, nempe diffinitionem non significare esse. Contra. Quia diffinitio explicat quod quid erat esse rei, vnde, id dicitur quod ad esse conducit, igitur significat esse, consequentia nota, antecedens est Philosophi.

Argumenta soluuntur. Ad primum respondent aliqui, quod per se videri duobus modis cōtingit. Primo, quia per nullum medium videtur, & hoc non est intelligen-

gendum. Secundo, quia non videtur vt notum per demonstrationem, & hoc verum est, & intentum, vnde argumentum procedit primo modo. Sed formalius dicendum est, quod videri stat dupliciter. Primo effectiue, & sic omnia nota sunt ex lumine intellectus agentis. Secundo formaliter, secundum naturam rei considerate, & sic prima principia per se nota dicuntur, quia formaliter non pendent ex cognitione alicuius alterius propositionis notioris.

Ad secundum respondent aliqui, quod esse triplex est. Quoddam existentiæ, quoddam veritatis propositionis, & quoddam essentiæ. Diffinitio non explicat esse duobus primis modis, sed tertio modo. Sed melius puto dicendum, quod diffinitio pōt considerari dupliciter. Primo vt dicit simplicē intellectus apprehensionē, abstrahens ab esse, & non esse. Secūdo inquantum includit differētiam, ex qua conducit rem ad esse rei, & facit ipsam explicare, quod quid erat esse rei. Diffinitio ergo, vt diffinitio non explicat esse rei, sed diffinitio ratione suarum partium vtique. Nec est mirabile partes habere, quod non habet totum, quia partes secum trahunt compositionem; & diuisionem, quod non totum, vt sic consideratum.

Caput XI.

LECTIO XXXII.

Ex Caietano.

Pro vltimo complemento cap. expediendo ea quæ dicuntur a Caiet. tria faciemus. Primo compilabimus maiori breuitate textum. Secundo adducemus aliquas adnotationes. Tertio satisfacimus quibusdam dubijs.

Quo ad primum tres conclusiones eliciuntur ex textu, quinque diffinitiones, aliquę conuenientiæ, & differentiæ, & exclusiones.

Prima conclusio est. Difficile est scire, si quis veram habet scientiam, aut nō. Probatur. Quia difficile est cognoscere distinctionem principiorum cōmunium a particularibus, & quæ sint communia, & quæ particularia. Secundo a signo, quia quandoque nos credimus habere propria principia alicuius conclusionis, si scimus illam conclusionem ex principijs, & veris, & tamen hoc nō est verū scire.

Secunda conclusio. Sufficit, quod scientificus sciat ex principijs communibus, non tamen communiter sumptis, sed applicatis, & contractis. Probatur, quia sic contingit in Geometria.

Tertia conclusio est. Diffinitio nō est suppositio Probatur. Quia est propositio, diffinitio vero non. Secundo, quia diffinitio non dicit esse, vel non esse.

Prima diffinitio est. Principia cuiuscunque scientiæ, si prima sunt, sunt indemonstrabilia.

Secunda. Communia principia dicuntur secundum analogiam.

Tertia. Principia particularia sunt, quæ considerantur per se in scientia particulari.

Quarta. Omne principium demōstrabile si est probabile addiscenti vocatur suppositio, si neutrale petitio, si contrarium quæstio. Omnia habes clara in textu, & sunt a nobis in superioribus explicata, ideo sufficiat, & tu vide Caietanum.

Quoad sc̄dm circa id quod asserit S. D. cēs scientias accipere quid a Metaph. Scias hoc dic ūposse habere multas difficultates, quæ hic, recēsenda non sunt, cū nō liceat hoc loco exire limites logicæ regionis. Vñ hoc loco sat erit considerare hoc modo

modo sit verũ, Metaph. non accipere quid sui subiecti, & quod omnes alię scientiæ accipiant a Metaphysica. Nam aliud est dicere, quod Metaphysica non præcognoscat quid,& quia sui subiecti, & aliud quod ab alia scientia non accipiat, sed omnes scientiæ accipiant ab ipsa. Nam primum falsum est, cum omnis scientia præsupponat quid,& quia sui subiecti, vt in 1. cap. habitum est. Secundum verum est, quia Metaphysica, cum consideret ens vniuersalissimũ, omnes scientiæ particulares contrahentes ens accipiunt a Metaphysica esse limitatum sui subiecti, & ipsa non.

Secundo notandum circa descriptionem principiorum propriorum, dum inquit Aristot. de subiecto præsupponitur esse, & hoc esse, per esse intelligit quid nominis, & per hoc esse quid rei, ad hoc vt sciamus, q̄d de subiecto non præsupponitur solũ, quid nominis,verum etiam quid rei. Secundo etiam notandum est circa eandem descriptionem, quid nominis de passione præsuppositum, Aristot. vel non connumerasse inter principia, vel latentur posuisse, quia tale quid minimum est, & non sine difficultate cognoscibile, quomodo sit principium.

Tertio notandum est circa descriptionem dignitatis, quod supponere vel præsupponere dupliciter sumi potest. Primo large, & communiter, secundum quod pręsupponere,idem sonat, quod non quærere, vel habere per demonstrationem, vt superius dicebamus, de subiecto præsupponi quid, & quia; de principijs q̄a, de passione quid nōis. Secũdo sumitur, vt idem sonat q̄ non euidentur proponi, & hoc pacto dictũ est suppositiones non esse dignitates, q̄a dignitates euidētur,& per se cognoscũtur,suppositiones vero non,nisi rōne communium principiorum, seu inquantum sciens supponit, non quærendo euidentiam.

Quarto notandum est circa eandem descriptionem dignitatis, v. q̄d non acquirat euidentiam a ratione exteriori (pro nunc inquam sciendum) quod ratio duplex est. Quædam interior, quæ est lumen intellectus agentis, & quædam exterior, quæ est medium demonstrationis, vel demonstratio ipsa. Aliquæ ergo propositiones non acquirunt euidentiam a ratione exteriori, sed solum a lumine intellectus agentis cognoscũtur ex cognitione terminorum, & hæ vocātur dignitates, & prima principia. Quædã vero propositiones nō solum indigēt lumine intellectus ad hoc vt notæ fiant, verum etiam secundum se habent medium,quo demonstrari possunt, & hæ vocantur suppositiones petitiones, &c. & hæ dnr habere rationem exteriorem, & ratio exterior est illa, quam negat Phil. a dignitatibus.

Quinto notandum circa id quod dicitur de diffinitione, quod terminos intelligimus, idest diffinitiones, intelligere dupliciter sumi posse. Primo vt distinguitur contra sentire, prout aliqua dicuntur sentiri, & aliqua dicuntur intelligi, & hoc pacto intelligere verificatur de prima, secũda, & tertia operatione intellectus, quia omnibus his operationibus intelligimus, & non sentimus. Secundo modo sumitur intelligere prout distinguitur contra ratiocinari, & sic verificatur solum de simplici operatione intellectus, idest, de prima, hoc enim pacto conuenimus cum intelligentijs, inquantũ vocantur substātię intelligentes, & non discurrentes, & hoc quia secundum Dionysiũ, infimum supremi, attingit supremũ infimi. In duobus autem solum communicamus cum intelligentijs. Primo

imo in cognitione principiorum complexorum, quia cum principia complexa vt sic nota sint ex notitia terminorum, non est necesse, vt discurramus circa ipsa, sed quod prima intellectus attentione intelligantur. Secundo in cognitione diffinitionis rei, quia diffinitio vt sic nec esse, nec verum dicit, nec præsefert compositionem, nec diuisionem, ideo dicimus intelligere ipsam, & non ratiocinari circa ipsam. Vnde intellectũ habitum principiorum vocamus intelligere diffinitionum, & sic conuenimus cum substantijs separatis, quę intelligentes nuncupantur.

Sexto quæritur, cur diffinitio vocetur terminus. Respondetur, quia de ratione termini sunt duo, quæ diffinitioni conueniunt. Primum est, vt terminet rem. Secundum, quod adæquate terminet, ita vt non relinquat nec totum, nec partem interminatam, quæ duo maxime diffinitioni conueniunt, nam diffinitio & terminat intellectum, & rem in cognitione, & explicat naturã diffinitæ rei adęquate, idest, a primo actu, vsque ad vltimam potentiam, vnde merito terminus nuncupatur.

Quoad tertium sunt duo dubia soluenda. Primum est, quia Arist. & S. D. assignando diuisionem principiorũ ponunt quid passionis inter principia, in principio autem capituli, assignando differentiam inter principia, & ea quæ sunt ex principijs, inquit Aristot. quod passio est in numero eorum, quæ sunt ex principijs, modo hæc simul opponuntur, nec simul stare possunt, vt sit principium, & ex principijs.

Secundum dubium est, quia inquiebat Phylos. q̃d diffinito nec vniuersalis, nec particularis est, & similiter in hoc videtur sibi contrarius, quia superius inquiebat, diffinitionem esse vniuersalium.

Ad primum respondetur, quod passio dupliciter considerari potest. Primo in ordine ad genus subiectũ in aliqua scientia, idest inquantum est res considerata, vt sub vno genere contenta, & sic ponitur inter principiata illius generis. Secundo modo potest considerari in ordine ad scientiam, quam acquirimus de illo genere subiecto, & sic passio quoad suum quid, cum aliqualiter præcognitum sit, connumeratur inter principia scientię, quamuis non quoad suum quia, hoc enim quæritur per demonstrationem. vnde in principio capituli Aristot. considerabat passionem in ordine ad genus subiectum, & sic inter principia ponebatur; hic autem considerat eam in ordine ad scientiã, sicque inter principia constituitur. Secundo respondere quis pôt, quod passio dupliciter considerari potest. Primo vt passio, & sic ponitur inter principiata. Secundo quo ad suum quid, & sic collocatur inter principia, & ad hoc verificandum sufficit distinctio rationis, sicut etiam inter diffinitionem, & diffinitum.

Ad secundum respondetur, quod aliud est dicere diffinitionem esse vniuersalium, & aliud quod sit vniuersalis. Primum enim significat quod diffinitio est abstractorum, habentium vniuersalitem tanquam cõditionem sine qua non sciuntur, nec diffiniuntur. Secundum significat necesse esse, vt admittat signum vniuersale, vel particulare, & hoc est q̃d negat hic, & superius affirmabat, volebat enim inferre, quod etiam diffiniendo non debemus eam limitare ad singulare, neque vniuersale. Vnde diffiniendo hominem, non dicimus quidam homo, vel quoddam animal est rationale, nec omnis homo, &c.

Ca-

Caput XII.

LECTIO XXXIIII. S. D. 20.

Non contingere autem simul affirmare, & negare, &c.

HOc est duodecimum cap. in quo Philosophus agit de principijs communibus, quod diuidetur in quinque lectiones, tres circa textum, & duæ erunt circa dicta Caietan. In hac prima lectione tria de more agam. Primo enucleabo rem consuetis adnotationibus. Secundo eliciam aliquas conclusiones. Tertio dubitabo.

Summa textus. Quoad primum. Primo sciendũ est, quod Philos. in text. dicit, duo sunt principia vniuersalissima, vnum negatiuum, & alterum affirmatiuũ, omnes autem scientiæ conueniunt in principijs communibus, & disconueniunt in proprijs, & quod principia generalissima non ingrediuntur demonstrationem, & insuper quod Logica, & Metaphisica versantur circa prima principia, & etiam circa omnes alias scientias, & hæc sunt summarie, quæ mihi dicta videntur ab Aristot.

Principia communia quomodo scita. Secundo ergo notandum, quod tripliciter quęlibet scientia se potest habere circa communia principia. Primo probando per ipsa aliquam conclusionem, & hoc verum est, quia tandem non scimus perfectam rei naturam ex demonstratione habitam, nisi resoluamus eam in prima principia. Secundo demonstrando aliquid de ipsis, vt quod sint per se nota, quod cognitis terminis cognoscantur, quod eorum termini sint vniuersalissimi, quod corde non possint negari, etsi ore, & hoc ad Metaphisicũ spectat, qui disputat de veritate primorum principiorum, & ea defendit ab impugnantibus. Tertio probando prima principia demõstratione non ostensiua, quæ vocatur demonstratio a priori, & per notiora, sed ad impossibile, idest reducendo negantem ad veritatem rei ex contradictione, & hoc etiam modo de principijs generalissimis tractat Metaphisica.

Tertio notandum, quod principia generalissima duo sunt, vnum negatiuum s. v. Non conuenit idẽ simul affirmare, & negare, Alterũ affirmatiuũ videlicet. De quolibet est vera affirmatio, vel negatio, de nullo vero ambo simul; & tunc Phil. ait, quod nulla scientia, vel demonstratio vtitur primo principio negatiuo, sed aliqua affirmatiuo. Vnde notandum, quod propter tres causas vtimur affirmatiuo principio, & non negatiuo. Prima, quia res cognoscitur p affirmationem iure naturæ, non autem per negationem. Secunda, quia quamuis materialiter idem significet hoc principium, Non contingit idem simul affirmare, & negare, & hoc. Quod de quolibet est vera affirmatio, vel negatio, tamen distinguuntur formaliter, ex hoc quod secundum magis explicat rem. Tertia, quia hoc principium negatiuum. Idem non contingit simul affirmare, & negare reducitur ad hoc, De eodem verificatur affirmatio, vel negatio, quia negatio reducitur ad affirmationem. *Quæ.*

Quarto notandum, quod aliqua scientia vtatur principio affirmatiuo supradicto dupliciter intelligi põt. Primo, vt vtatur eo formaliter, ita vt formaliter ex eo deducat conclusionem. Secundo virtualiter, vt ex quo principia propria demanãt, & eo roborantur. Si loquamur secundo modo, sic omnis scientia eo vtitur, quia non habet euidentiam in suis principijs, nisi ex generalissimis. Si loquamur primo modo, adhuc dupliciter *Vsus.*

con-

contingit de eo habere sermonem; Primo, quod omnis sciẽtia eo vtatur in sua communitate manente. Secundo, vt applicato ad speciales terminos. Primo modo nulla scientia particularis ipso vtitur, sed secundo modo. Sed adhuc dupliciter hoc potest intelligi, vel quod eo vtatur ad veritatem manifestandam, & hoc quidem falsum est, quia principia cuiuslibet scientiæ sunt immediata, & per se nota, vel secundo ad contradictionem concludendam, & hoc notum est.

In qua demonstratione. Quinto notandum igitur pro nũc, quod duplex est demõstratio. Prima dicitur ostẽsiua de qua superius mẽtionem fecimus, quæ procedit ex primis, veris, &c. quæ de omni est, per se, & vniuersalib. non ex his quę p accidens, non ex extraneis, non ex corruptibilibus, nec ex communibus Secunda nuncupatur demonstratio, seu melius ostensio ducens ad impossibile, vt fit quando concludimus conclusionem falsam, admissa aliqua propositione aduersantis: Vt si deducamus ad impossibile per demonstrationem, quod homo sit risibilis, dicemus. Nullus homo per te est risibilis. Sed per veritatem, omne rationale est risibile, ergo nullus homo est rationalis. Sed conclusio est falsa, ergo vna ex præmissis, non minor, ergo maior, ergo homo est risibilis. Hæc itaque vocatur demonstratio ducens ad impossibile, & in hac demonstratione pręcipue vtimur hoc principio, de aliquo simul non est affirmatio, & negatio, vt constat.

Conuenientia. Sexto notandum pro maiori intelligentia principiorum communium, quod principia communia sunt in triplici differentia. Quædam enim vocantur communissima omnibus scientijs, vt sunt illa duo de quibus supra, quorum vnum affirmatiuum, & aliud negatiuum est. Alia sunt principia communia non omnibus scientijs, sed multis, vt hoc, Omne totum est maius sua parte, Si ab ęqualibus æqualia demas, quæ remanent erunt æqualia, quæ sunt principia vniuersalia Mathematica, & verificantur applicata de omnib. scientijs Mathematicis, v. de Geometria, Arithmetica, Musica &c. Quædam vero vocantur principia communia pluribus demõstrationibus, sed propria vni scientiæ, vt in Physica motum esse, nam applicatur ad plura, & tamen principium est scientiæ naturalis solum. In communissimis principijs tantum omnes scientiæ conueniunt, de quibus pro nunc solum sermonem habemus.

Logica, & Metaphy. sunt communissima scientia. Septimo notãdum, quod Metap. & Logica dicuntur vagari circa omnes scientias, sed diuersimode tamen Primo enim differunt ratione subiecti, quia Metaph. vagatur circa omnes scientias ratione entis communiter sumpti, quod circuit omnes scientias; Logica vero ex secundis intentionibus, quæ omnibus scientijs attribui possunt. Secundo, quia Metaph. ratione suorum principiorum vniuersalium circuit omnes sciẽtias; Logica vero non potest habere hanc rationem. Tertio, quia logica (sumendo logicam pro dialectica) se habet ad vtrunque, cum rationes probabiles adducantur ab ea, ad vtramque partem; Metaph. vero versatur solum determinate circa vnam partem contradictionis, & procedit vero, & demonstratiuo discursu. Conueniunt autem, quia sicut Metaph. versatur circa prima principia, ita & Logica. Secundo, quia vna considerat ens, alia ens. Tertio, quia sunt de omnibus, Logica ratiocinatiue, Metaph. subiectiue.

Conclusiones. Quoad secundum quamuis ex lectione S.D. possent elici multæ conclusiones, tamen secundum intentio-

tionem Phil. tres sunt. Prima. Nulla scientia vtitur isto principio, Non contingit idem simul affirmare, & negare. Probatur, In demonstratione vitāda est superfluitas, & quęrenda certitudo, & notitia rei. Sed ex supradicto principio nulla generatur certitudo maior, vel notitia, & est ibi maxima superfluitas, nam tan tum est dicere. Omnis homo est animal rationale, quantum dicere homo non est non animal rationale, ergo nulla scientia eo vtitur.

Secunda conclusio. Aliqua scientia vtitur isto principio, De quolibet est vera affirmatio, vel negatio. Probatur. Per demōstrationē deducūtur aduersarij ad impossibile sic, Nullus hō per te est risibilis. Sed oē animal rationale est homo, ergo nullum animal rationale est homo. Sed conclusio est falsa, ergo aliqua præmissarū. Non minor, quia in ea diffinitū prædicatur de diffinitione, ergo erit maior. s. ista, nullus homo est risibilis.

Tertia conclusio. Dialectica, Logica, & Metaphysica sunt de omnibus. Probatur, Scientiæ communes de omnibus agunt, tales sunt enumeratę, ergo.

Quoad tertium, contra primam conclusionem videtur esse argumentum. Quia principia prima virtualiter ingrediuntur demonstrationem, Tale est istud. Non contingit idem simul affirmare, &c.

Contra secundam. Quia idem videtur esse principium primum positum in prima conclusione, & secundum positum in secunda. Vnde non erat ponendum discrimen.

Contra tertiam. Primo. Logica est tantum de ente rationis, ergo non tractabit de ente reali, & consequenter non erit communis.

Secundo. Dialectica est solum de probabilibus, sed aliqua sunt demonstratiua, & necessaria, ergo.

Tertio Metaph. cum sit realissima est tantum de ente reali, ergo non de omni ente.

Quarto. Quia nulla scientia est singularium, ergo non dantur quædam scientię, quę agant de omnibus.

Ad primum respondemus, quod loquimur de vsu illius principij formalis, & in sua generalitate, sicuti declaratum est.

Ad secundum diximus quod distinguuntur.

Ad primum contra tertiam dicitur, quod logica primo tantum est de ente rationis, quod vero sit de omni ente multipliciter intelligi potest, Primo, quia est de operationibus intellectus, quæ se extendunt ad omnia scibilia. Secundo, quia est de secundis intentionibus, quæ possunt fundari in quolibet ente reali. Tertio, quia agit de decem prædicamentis, de demonstratione &c. quæ inseruiunt omni scientiæ. *Argum. soluuntur.*

Ad secundum dicitur, quod probabile dupliciter sumi potest. Primo communiter, pro probabili vt sic, siue dialectice, siue demonstratiue, & sic hic sumitur. Secundo pro probabili tantum dialectice, & sic cōstituit singularem partem Logicæ. Sic etiam dici potest, scientia communis, quia illa quæ demonstrātur per veram causam, possunt etiam probari per aliquas probabiles rationes, secundum alios respectus.

Ad tertium dicitur, quod Metap. primo est de ente reali, ex quo dicitur realissima, generaliter tamen siue primo, siue secundo agere potest de omni ente; Vnde nobis placet illa opinio, quod ens commune Deo, & creaturis, enti reali, & rationis, per se, & per accidens, sit subiectum in Metap.

Ad quartū dicendum, quod nulla scientia agit de singularibus, vt singularia sunt quo ad existentiam

sin-

singularem, sed vt habent aliquas rationes vniuersales, sempiternas, & necessarias, sicut in primo Physicorum videbitur.

Caput XII.
LECTIO XXXIV.
S. D. 21.

IN hac lectione agemus de principijs proprijs cuiuslibet scientiæ, vnde tria agenda sunt. Primo ponendæ erunt aliquæ adnotationes. Secundo aliquæ conclusiones. Tertio quædam dubia.

Scientia qlibet hēt propria. Quoad primū inquit Philos. qd in qualibet scientia sunt suę interrogationes, responsiones &c. Vnde Geometra non respondet ad Physicum de interrogationibus Physicis &c. Vnde notandum est, quod principia particularia alicuius sciētiæ sunt propriæ interrogationes, id est, interrogat solum de his, quæ spectant ad suam scientiam. Secundo, propriæ responsiones, quæ non egrediuntur limites suæ facultatis, & etiam propriæ sunt in omni scientia disputationes, quod sequitur, si in omni scientia sunt propriæ interrogationes, & responsiones.

Quæ. Secundo notandum, quod interrogatio, responsio, & disputatio idem sunt realiter, & differunt formaliter. Idem enim sunt realiter, quia eadem propositio, vocatur interogatio, & conclusio, seu responsio. Nam arguens si mihi proponeret hanc propositionem, Homo est risibilis, & sciscitaretur, num eam concedam, vocaretur hæc, interrogatio; si ego eam concederem, & ipse acquiesceret. Si non, demonstrabit mihi hanc propositionem esse veram conficiendo hunc syllogismum, Omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergo homo est risibilis, nam tunc hæc propositio homo est risibilis vocatur conclusio, quia habita est per demonstrationem. Propositio vero est, quę habet subiectum, prædicatum, & copulam, & potest esse interrogatio, & conclusio.

Tertio notandum, quod Aristot. ponendo superius differentiam inter Dialecticum, & Demōstratorem inquit, dialecticus interrogat, demonstrator non. Pro quo sciēdum, quod interrogatio dupliciter fieri potest. Primo de præmissis, disputando de eorum veritate, & adducendo rationes pro utraque parte, & istæ interrogationes sūt proprie dialecticę, & de his solum superius loquebatur Arist. Alię sūt interrogationes de cōclusione, qn̄ conclusio probari potest a priori, & istæ interrogationes fiunt ēt in arte demōstratiua, vnde nulla est repugnantia in dictis Arist. & hęc est sententia D. S. Ægidij, & fere omnium expositorum. *Dialecticus interrogat. demonstrator non.*

Quarto tamen notandum, quod hæc differentia, & responsio non placet Toleto, vnde eam dupliciter impugnat. Primo, quia absolute Arist. nuncupat interrogationes propositiones. Secundo, quia etiam Plato interrogabat sæpius de necessarijs propositionib. non vt ostenderet necessitatem, sed vt simul in cōsensum traheret respondentem. Sed profecto iste multum errat, nam ad quid interrogamus de necessarijs? ad qd trahere in consensum respōdentem absque ratione? Vnde ad primam rationem iam satis responsum est, quod absolute propositiones, interrogationes vocat, quia materialiter idem sunt, sed tamen formaliter distinguuntur, vt superius adnotauimus. Secundo dico, quod conclusio quando de ea fit interrogatio, fit non vt conclusio est (quia vt sic nota est ex demonstratione) sed vt sumitur vt propositio sumpta, quæ debet concludi, & fieri conclusio, vnde eam sic *Defenditur.*

vocat propositionem, cum sub hac ratione sumatur. Ad secundum dico, quod Arist. contrarius fuit Platoni, & præcipue in hoc, quia scientia non procedit ex interrogatione, sed ex demonstratione.

Corrollaria. Quinto notandum, quod Arist. in textu deducit tria corrolaria, quorũ primum est. Determinata scientia, habet determinatas interrogationes: Vnde Geometra non interrogat de scientia medicinali, nec de Arithmetica, & si interrogaret, non tenentur respondere.

Secundum est. Aliqua dicitur propositio dupliciter. Primo, quia per eã aliquid probatur in sciẽtia subalternante. Secundo, quia probatur aliquid in scientia subalternata.

Tertium est. Quilibet artifex reddit rationem suarum interrogationum per sua principia. Quod autem reddat rationem suorum principiorum, dupliciter intelligi potest. Primo, vt talis artifex, & hoc non est verum, cum supponat ea per se nota esse: Secundo, vt indutus habitu Metaph. & sic etiam potest reddere rationem suorum principiorum.

Quoad secundum prima conclusio est; Quælibet scientia habet proprias interrogationes. Probatur. Interrogatio, propositio, & conclusio idem sunt realiter. Sed quælibet sciẽtia habet proprias conclusiones, igitur. Maior nota, Minor probatur, *Conclusiones.* quia quælibet scientia habet determinatas conclusiones, de quibus aliquid demonstrat, vt notum est in omnibus scientijs.

Secunda conclusio est: Quælibet scientia habet proprias respõsiones. Probatur. Quæ habet determinatas interrogationes, habet etiam determinatas responsiones, quia ad propriam interrogationem respondetur determinata, & propria responsione, Sed quælibet scientia habet determinatas interrogationes, vt supra, ergo.

Tertia est. In qualibet sciẽtia sunt propriæ disputationes. Probatur. Vbi sunt propriæ interrogationes, & responsiones, sunt etiam propriæ disputationes. Sed in qualibet sciẽtia sunt determinatæ interrogationes, & responsiones (vt declaratum est) igitur. Manifestatur etiam exemplo, quia chirurgus non reddet rationem cur graue deorsum moueatur, sed hoc pertinet ad Physicum, seu naturalem.

Quoad tertium argumentatur qd in omni scientia non sint propriæ interrogationes, Vbi est maxima certitudo, ibi nulla accidit dubitatio. Sed in scientia saltem demonstratiua est maxima certitudo cum procedat ex principijs per se notis, ergo in omni scientia non sunt propriæ interrogationes.

Secundo. Metaph. respondet ad omnes quæstiones, ergo superflue aliæ scientiæ potiuntur proprijs responsionibus, & interrogationibus.

Arg. soluuntur. Ad primum respõdetur facillime, quod conclusio post demonstrationẽ est certissima, sed ante non.

Ad secundum dicitur quod respõsiones Metap. communes sunt, hæ propriæ, de quibus loquimur modo.

Eiusdem Cap.

LECTIO XXXV.

S. D. 22.

POstquam ostendit Phil. in qualibet scientia esse proprias interrogationes responsiones, & disputationes, vult deinde ostendere, quod etiam in qualibet scientia sint proprię deceptiones, & ignorantiæ, & hoc facit mouendo tres quæstiones, & eis respondendo. In quarum explicatione per adnotationes ponemus quæstiones

ſtiones,reſpōſiones,& explicationes.

Deceptiones fiunt in forma, & materia. Primo ergo notandum venit ante quam proponatur quæſtiones, quod deceptiones fiant ſecundum aliquē ſyllogiſmum poteſt dupliciter intelligi. Primo ſecundum formam, quando ſyllogiſmus non fit in debita forma,& modo, & hic non vocatur vere ſyllogiſmus, ſed paralogyſmus .i. non verus ſyllogiſmus, ſed apparens ſyllogiſmus. Secundo ſecundum materiam; quia in eo ſeruatur vera forma arguendi, & verus modus, ſed peccatur in materia, quia aſſumitur falſum in materia ipſa,& ſic vocatur verus ſyllogiſmus prioriſtice, ſed nō poſterioriſtice, quia ſyllogiſmus verus poſterioriſticus .i. demonſtratio debet habere veram formam, & veram materiam.

Quomodo. Secundo ergo notandum Ariſtot. mouere primam quæſtionem .v. An ſicut dictum eſt,quod ſunt aliquę demonſtrationes Geometricæ, ita etiā verum ſit quod aliquæ non ſint Geometricæ, & ſimiliter in alijs ſcientijs v.g. quęri poteſt in Geometria, Vtrū poſſit ſonus diuidi in duos ſemitinos; Huic quæſtioni reſpondet affirmatiue,v. quod in Geometria ſunt aliquę ageometricæ quæſtiones, ſ. quæ non ſpectant ad Geometriam. Notādum eſt autem Ariſt.non dubitaſſe abſolute, an dentur aliquæ interrogationes non Geometricæ, cum ex præcedentibus hoc apertum fuerit,oſtendendo quod in qualibet ſcientia ſunt propriæ interrogationes, vnde intendit quærere, an aliqua ſit interrogatio in Geometria,quæ nullo modo ad Geometriam pertineat, vel aliqua appareat Geometrica, & non ſit.

Interrogationes qua falſæ. Tertio loco notandum, quod ſecunda quæſtio mota a Phil.eſt. Vtrū interrogationes, quæ fiunt in Geometria,ex ignorātia Geometriæ, poſſint dici Geometricæ. Huic reſpondet, quod; talis interogatio aliquo modo eſt Geometrica,& aliquo modo non, quia quod aliqua interrogatio non ſit Geometrica bifariam intelligi poteſt. Primo nullo modo; ſicut lana nullo modo dicitur habere ſonum. Secūndo, quia eſt Geometrica ſecundū rem,& materialiter,tamen eſt praue intellecta, & contra principia Geometriæ, ſicuti campana fracta ſecundum rem habet ſonum; ſed malum. Primo modo interrogatio nullo modo eſt Geometrica, ſecundo modo vtique, ſicut interrogatio an lineæ equæ diſtantes concurrant, eſt Geometrica ſecundo modo, quia praue habet Geometriam,ſ. vt lineæ equæ diſtantes poſſint concurrere.

Quomodo ſe habeāt. Quarto notandum pro explicatione ſupradictorum, quod interrogationes ad Geometram quatuor modis ſe poſſunt habere, & conſequenter ad alias ſcientias. Primo,quia interrogationes procedunt ex principijs Geometriæ, & ſunt in Geometria, v.g. ſuper lineam rectam conuenit ęquilaterem collocare, & iſtæ proprie ſunt interrogationes Geometricæ. Secundo, quia procedunt ex principijs Geometriæ, ſed tamen nō ſunt in Geometria, ſed in alia ſcientia etiam v.g. in Proſpectiua an oculus videat dextrum magnitudinis, per hoc quod ab ipſo egrediuntur lineæ cauſantes angulum rectilineum in partem dextram oculi, & ſic vna ſcientia, ſaltem quoad vnum principium alteri ſubalternari poteſt. Tertio,quia nec ſunt in Geometria, nec ſequuntur ex principijs Geometriæ, ſed videntur tales eſſe,propter quandam affinitatē ad ſuas ſcientias ſubalternātes,ſicut ſex ad quatuor eſt,proportio ſex quialtera. Aliæ vero ſunt omnino alienæ a Geometria, & ſecūdum rem, & ſecundum apparentiā, vt quod graue cadat deorſum, quod ſpectat ad Phyſicum.

Quinto notandum, quod aliqua in-

Dupliciter interrogatio sit Geometrica potest dupliciter intelligi,& ita in alijs scientijs. Primo simpliciter, et sic oportet vt sit talis,& secundum terminos, & secundum veritatem. Secundo secundum quid,& sic interrogatio, quæ fit per ignorantiam Geometriæ potest dici Geometrica secundum quid, i. secundum aliquid, sed non simpliciter .i. quoad omnia sicuti prima.

Paralogismus in quibus accidat. Sexto notandum, quod tertia questio proposita a Philosopho est. Vtrũ in demonstratiuis scientijs accidat paralogismus, i. syllogismus ex falsis, peccans in forma, vel tantum in materia, qui dicitur syllogismus verus, quamuis non vere syllogismus demonstrationis simpliciter. Huic respondet, quod in scientijs doctrinalibus .i. Mathematicis non accidit, in Dialecticis quandoque. Probat; Quia in Mathematicis medium est verum voce,& re,& ideo non potest fieri in illis æquiuocatio, nec extra dictionem, nec in dictione.

Demõstrationes non augentur per media. Septimo ergo deducitur, quod demonstrationes non augentur per media, quia vnius rei vna tantum est essentia propter quam res est, medium autem in demonstratione nõ differt ab essentia in concludendo eam. Glossa tamen vt sit vera. Primo in doctrinalibus .i. Mathematicis, quia Mathematica procedit per causam formalem, quæ vna tantum est. Secundo in physicis, loquendo de demonstratione potissima, quę assumitur ex perfecta natura rei naturalis, explicata per omnes causas, quia aliter cum res naturales habeant quatuor genera causarum, poterunt etiam habere quatuor media desumpta ex quolibet suo genere causæ, ad probãdum rem naturalem esse.

Caput XII.

LECTIO XXXVI.

ex Caietano.

IN hac lectione solum duo dubia tangam, omittam que compilationem textus, quia satis eam explicaui. Tria ergo faciam in præsenti actu. Primo proponam duo dubia. Secundo supponam aliqua fundamenta. Tertio respondebo argumentis.

Quoad primum, primo dubitatur circa hanc conclusionem, quod prima principia ingrediuntur demonstrationem. Quæritur enim, num formaliter ingrediantur demonstrationem ostensiuam, quæ est demonstratio simpliciter; arguitur ergo quod sic.

Primo, quia experientia testatur, quod iste processus bonus est. Idem simul esse,& nõ esse ẽ impossibile. Materiã esse sine forma est idem esse & nõ esse, ergo materiã esse absque forma est impossibile. Sed principiũ primum fuit in hac argumentatione maior extremitas, igitur principia prima in sua communitate sumpta ingrediuntur formaliter demonstrationem.

Secundo, quia expresse Arist. affirmat in tex. primum principium ponendum esse in maiori extremitate; neque hoc esse impossibile, vt patet in exemplo, homo est animal, & non est non animal, Callias est homo, ergo Callias est animal, & non est non animal.

Interrog. Tertio. Si prima principia non ingrediuntur formaliter demonstrationem, vnum duorum inconuenientium sequitur, aut quod inter conclusionem demonstrabilem, & prima principia sit distantia infinita, aut qd demonstratio ad impossibile sit prior

de-

demonstratione ostensiua. Sed vtrunque inconueniens est, igitur. Assumptum probatur. Sit A conclusio, quæ per B, quod est principium demonstretur, & B per C, & C per D, aut tunc deueniemus ad illud, quod immediate concluditur ex primis principijs, & tunc habemus intentum; quia scilicet primum principium formaliter ingrediatur demonstrationem, aut nō. Si nō, aut deueniet ad aliquid quod immediate concluditur ex demonstratione ducente ad impossibile, & tunc habetur intentum .v. quod demonstratio ad impossibile prior sit demonstratione ostensiua, aut nunquam deuenietur ad aliquam demōstrationem; & tunc erit processus in infinitum.

Secunda dubitatio est circa declarationem eiusdem conclusionis. Nā multum ista differunt, est animal, & non est animal, & ista homo, & non homo, Callias, & non Callias; ergo non vtitur vniformiter affirmatione in maiori, & in minori.

Secundo, quia vti medio, vel tertio sic affirmato, vel negato, non est vti primo principio, quia primum principium non significat, quod de animali, & non animali prædicetur, B v.g. sensibile, aut nō, sed potius quod de A, & nō A verificatur B sensibile.

Quoad secundum ergo, primo notandum venit, quod dupliciter potest intelligi principia prima non ingredi demonstrationem. Primo virtualiter quoad vim, & virtutem suā, quæ remanet in principijs immediatis, nam sicut virtus primæ causæ cōcurrit ad effectus secundæ causæ virtualiter, quia secunda causa accipit virtutem a prima; ita principia immediata cum recipiant suam virtutem a principijs primis, ideo virtualiter dicuntur ingredi demonstrationem, nec de hoc est difficultas. Secundo modo intelligitur formaliter. Formaliter autem ingredi demonstrationem est secundum seipsa, & secundum proprios terminos ingredi immediate demonstrationem, & de hoc est dubium.

Secundo ergo notandum, quod prima principia ingrediantur formaliter demonstrationem, bifariam intelligi potest. Primo in terminis suis communissimis sumpta, v.g. Idem non potest simul esse, & non esse. Secundo vt sunt contracta ad terminos speciales, v.g. triangulus non potest habere tres, & non habere tres, sed ...

Tertio notandum, quod principia prima tam in terminis generalissimis sumpta, quam in terminis contractis, adhuc dupliciter cōsiderari possunt. Primo in actu signato. Secundo in actu exercito. Primo modo considerantur, quando saluantur termini tātum sub affirmatione, & negatione, v.g. non contingit simul esse, & non esse, moueri, & non moueri. Secundo modo sumuntur cum exercent affirmationem, vel negationem circa aliquam rem, v.g. homo non potest esse simul animal, & non animal, corpus non potest simul moueri, & non moueri. His stantibus dicitur, quod quadrupliciter potest intelligi, quod prīcipia prima ingrediantur formaliter demonstrationem ostensiuam. Primo loquendo de principijs primis in sua generalitate. Secundo loquendo de illis vt sunt principia contracta, & in actu signato, & sic ingrediuntur, vt patet in hoc argumēto. Idem non potest esse simul in actu, & non esse in actu. Materiam primam esse sine forma, est idem esse, & non esse in actu; ergo materiam sine forma non contingit esse. Tertio loquendo de pricipijs in sua communitate in actu exercito, puta homo est animal, & non est non animal. Quarto loquendo de his contractis in actu exercito, puta corpus est mobile, & nō, & non mo-

mobile & sic his duobus modis non ingrediuntur, aliter esset demonstratio superflua, quia tantum est dicere, homo est animal, quantum homo non est non animal, & quia Arist. loquebatur de demonstratione secundum suum vsum, & in actu exercito, ideo dixit, quod nō ingrediuntur demonstrationem formaliter.

Ad primum ergo respondetur, quod prima principia ingrediuntur formaliter demonstrationem in actu signato, & vt contracta, non in actu exercito, neque in sua generalitate, neque in sua contractione.

2 Ad secundum dicitur, quod aliud est dicere contingere, exercere illud principium in maiori. Idem non potest simul esse, & non esse, & aliud est dicere contingere exercere, sed superflue, ita vt non possit inseruire demonstrationi ostensiuæ, quæ facit scire necessaria, & non admittit superflua. Primum quidem non negamus, nam patet, quod dicimus homo est animal, & non est non animal, sed secundum etiam verum est, & ita reijcitur, vt vel non faciens scire, vel continens superfluitatem.

Contra tamen hanc responsionē sunt duo argumenta. Primum, quia possum ostēdere vnam rationem esse de essentia vnius subiecti, & oppositum ei nō conuenire, verbi gratia mundum esse finitum, & non infinitum. Sed hoc deducere non valeo nisi vtendo illo principio, & dicendo, Corpus finitum est, & non infinitum, Mundus est corpus, ergo erit finitus, & non infinitus.

Secundo. Quando additio tollit dubium, nō est superflua. Sed aliqd affirmatum de aliquo absolute adhuc stat sub dubio, an eius oppositū ei conueniat, & addita illa negatione tollitur dubitatio, verbi gratia dicēdo, corpus est animal, adhuc ignoratur negatiua, scilicet & non est nō animal, quod potest esse verum, quia non omne corpus est animal, ergo.

1 Ad primum dicitur, quod aliud est loqui de forma syllogistica prioristica, & aliud de forma posterioristica demonstratiua, quæ datur ad faciendum scire per causam. Primo modo argumentatio bona est, sed nō secundo, quia tantum scimus dicendo omne corpus est finitum, quantū addendo, & non est infinitum, scito enim quod aliquid sit finitum, necessario deducimus non esse infinitum. Aristot. autem loquebatur. Secundo modo.

Secundo dicitur, quod si explicite, & formaliter deberet concludi in conclusione hoc totum, ergo mundus est finitus, & non infinitus, assumeretur minor sub affirmatione, & negatione, sed quia virtualiter per affirmationem deducimus negationem, ideo dicendo mundus est finitus, virtualiter etiam dicimus non est infinitus.

Ad secundum de facili dicitur, qd quando dicimus de eodem non verificari affirmationem, & negationem loquimur sumendo idem vniformiter, secundum idem, & non secūdum diuersa, modò corpus non sumitur in argumento secundum idem, sed in vna sumitur, vt est corpus tale, scilicet sensibile, hoc enim est animal, in alia sumitur corpus vt abstrahit a sensibili, & tantum significat trinam dimensionem, & ideo videtur necessaria illa negatio, quæ tamen iure non est necessaria, si affirmatio, & negatio sumantur vniformiter respectu vnius, & eiusdem.

Ad tertiū principale dicitur, quod in actu exercito dictum est assumi tale principium, sed superflue. Quo ad actum vero signatum dicimus, quod forsan nunquam deuenietur

ad

ad illud, quod immediate deducitur ex illo principio, quia in scientijs sufficit deuenire ad illa principia per se nota, quæ ingrediuntur demonstrationem. Vel dicendum, quod duplex est ressolutio. Quædam deseruiens necessario demonstrationi, & hęc tantum fundatur in principijs immediatis. Alia quæ deseruit euidentiæ illorum principiorum, non discursiua, sed incomplexa, & apprehensiua, & sic potest fieri ressolutio ad illa prima principia, quæ non ex discursu ex ipsis deducto, sed ex simplici apprehensione suorum terminorum verificabunt propositionem immediatam, per se notam, ad causandam demonstrationem.

Antequam autem secunda dubitatio soluatur, primo sciendum est, qd vti negatione, & affirmatione simul, stat dupliciter. Primo contradictorie, non respectu eiusdem, sed respectu vnius, & sui oppositi contradictorij, vt dicendo animal, & non animal. Secundo viendo affirmatione, & negatione eiusdem, vt animal & non animal.

Secundo notandum, quod propositiones demonstrationis ostensiuæ sunt in duplici differentia. Nam aliquæ sunt ex terminis conuertibilibus, vt istæ. Omne animal rationale est risibile. Omne risibile est animal rationale. Quædam vero sunt ex prædicato non conuertibili, sed superiori, & maiori, vt hęc. Homo est animal; nam animal non solum dicitur de homine, sed etiam de leone, boue, &c. cum enim propositiones ex quibus constat demonstratio ostensiua sint de omni, & per se, oportet vt sint vel æquæ de æquis, aut maiores de minoribus, quia tales solum sunt per se, & de omni.

Tertio, ergo notandum, quod tota vis ratio nis Arist. consistit in hoc, si demonstratio indiget affirmatione, & negatione simul in demonstrationibus ostensiuis, aut indiget ex parte subiecti, aut ex parte prædicati, sed nec primo modo, nec secundo eget, ergo nullo modo. Probatur minor, quod non egeat ex parte prædicati. Quia aut hoc prędicatum erit maioris de minori, aut æqualis de æquali. Si primum, affirmatio est vera, & negatio falsa, scilicet verum est dicere, homo est aīal, falsum dicere, homo est nō aīal. Si sēm, bene negatio exprimitur per negationem oppositi, non respectu eiusdem, sed sui oppositi cōtradictorij, vt dicendo homo est animal, & non est non animal. Probatur secundo, quod non egeat ex parte subiecti, qa q̄uis verum esse possit, vt dicendo homo est non homo, verbi gratia, leo est animal, tamen hoc superfluum est ad concludendū, quod homo sit animal, vt dicatur, quod leo etiam est animal.

Ad primum ergo dicitur, quod quamuis differant, quia vna probatio facit sensum pro prædicato, & alia pro subiecto, tamen quia apparet eadem ratio superfluitatis etiam in subiecto, mira breuitate, & non æquiuocatione vtendo vtrunque exposuit.

Ad secundum dicitur, quod primum principium affirmatum, & negatum de aliquo tam ex parte subiecti, quam prædicati, vel astruit falsitatem, vel ponit superfluitatem, quia demonstratio vnum de vno concludit, vnde superflua est similis argumentatio ad concludendum Calliam esse hominem, & non Callias, verbi gratia leonem non esse hominem sic formando demonstrationem. Homo, & non homo est animal, Callias, & non Callias est homo, & non homo, ergo Callias, & non callias est animal.

LECTIO XXXVII.

Ex Caietano.

IN præsenti lectione reliquum est vt absoluamus, quæ dicuntur a Caiet. pro complemento huius capitis, & ea omnia complectemur sub dubitationibus, tria faciendo. Primo proponendo dubia. Secundo pro eorum solutione ponendo aliqua fundamenta. Tertio respondendo formaliter dubijs.

Quoad primum. Primum dubium est, vtrum hoc principio. Non contingit idem simul esse, & non esse, vtatur etiam demonstratio ad impossibile. Videtur enim quod indistincte accipiendum sit quod dicitur, & non tantum de hoc omne affirmate, aut negare verum est, vnde videtur quod demonstratio ad impossibile vtatur isto etiã principio, scilicet, non contingit idem simul esse, & non esse. Nã per vtrumque principium potest fieri demonstratio ducens ad impossibile, nam in primo pet he. probatur hæc propositio, Vnumquodque dum est, necesse est esse, ducendo ad impossibile hoc, quia .s. aliter contingeret idem simul esse, & non esse, vt clare ibi tradit S. D.

Secundo, quia Aueroes hic, text. com, 26. indistincte loquitur de his duobus principijs.

Pro explicatione huius dubij recolendæ sunt illæ distinctiones de primo principio. .s. Idem non contingit simul affirmare, & negare, quia inseruiunt etiam isti principio, Idem non põt simul esse, & nõ esse. Primo, ergo dicimus, quod ambo ista principia in actu signato ingrediuntur demõstrationem formaliter ostensiuã, & ducẽtẽ ad impossibile. Secũdo dicimus, qđ vtrumq, nõ ingreditur demõstrationẽ vllã in actu exercito ad tollendam superfluitatem vt supra. Dicimus vltimo, quod arguendo non respectu eiusdem, sed diuersorũ hoc principium, de eodem nõ potest verificari affirmatio, & negatio erit aptũ ad demõstrationẽ, sed respectu eiusdem, & idẽ dic de hoc. Idem non põt simul esse, & nõ esse arguendo vt tactũ est in argumẽto, dũ res est, necesse est eam esse, quia idem non potest simul esse, & non esse, vnde breuiter patet ad argumentum.

Secũdo dubitatur circa illud quod dicitur, omnes scientias habere proprias interrogationes, quomodo hoc sit verum in omni scientia, cum texte ipsomet Arist. in eodem capite, demonstratio non interroget.

Ad hoc dicitur, quod duplex est interrogatio, Vna quę proponit vtrãque partem, & vtramque concludit, Alia quæ vnam tantum partem proponit, & illam determinat. Prima est communis alijs scientijs. Secũda est propria scientiæ demonstratiuæ, vnde difformiter Arist. loquutus est.

Tertio dubitatur, an, si ex falsis nõ posset demonstrari verum, validum fieret argumentum a positione consequentis ad antecedentis positionẽ. Videtur enim quod non, quia tũc nõ magis sequeretur verũ ex vero, quam nũc hoc verum sequitur ex hoc alio vero, sed nunc videmus quod postquam verum ex vero deduximus non licet redire a consequenti ad antecedens, possumus enim dicere, Sortes est homo, ergo est animal, non autem Sortes est animal, ergo est hõ.

Ad hoc breuiter respondetur, qđ arguere a positione consequentis fiat dupliciter. Primo in terminis conuertibilib⁹, & sic est verũ posterioristice, & prioristice, quia impossibile est in terminis cõuertibilib. vt vnũ sit, & reliquũ non. In alijs patitur exceptionem posterioristice, quia potest esse consequens sine antecedente, & ex falsis non potest demonstrari verum, sed ista potius ad prioristicam spectant.

stant. Vide tamen Caietanum si placet.

Caput XIII.

LECTIO XXXVIII.

S. D.

Hic Arist. incipit tractare de demonstratione quia. Vnde præsens cap. diuidemus in sex lectiones. In prima hac tria seruanda erunt. Primo ponemus debitas adnotationes. Secundo probationes. Tertio dubia.

Demõstra duplex. Quoad primum. Primo sciendum est, quod duplex est demonstratio. Prima vocatur a priori, quæ procedit per causam immediatam, & fuit superius diffinita c. 2. nempe quod est ex primis, veris, prioribus, notioribus, & causis conclusionis, de qua hucusque propriè disputatum est. Secunda vocatur demonstratio quia, quæ procedit vel per effectum, vel per causam remotã, de qua modo loquuturi sumus, hæc autem demonstratio dicitur etiam demõstratio quia, eo quod ostendit veritatem rei quod hoc sit hoc & nõ reddit propriam causam, sicut facit demõstratio propter quid.

Differunt. Secundo notandum, quod ea quæ superius determinata sunt de demõstratione propter quid, horum quædam conueniunt demõstrationi quia, seu a posteriori, & quædam non. Nã quod demonstratio quia sit ex veris, de omni, per se, necessarijs, non omnino extraneis, sempiternis, & proprijs respectu nostri verum est, nam suo modo demonstratio quia has requirit conditiones, sicut & demonstratio propter quid: Quod vero sit ex primis, immediatis, notioribus, prioribus, & causis conclusionis, & quod tali modo simpliciter, v. g. fiant, hoc demonstrationi quia minime conuenire potest, quia demõstratio quia, dupliciter fit. Primo procedendo ab effectu ad causam. Secundo a causa remota, sicut explicabimus in textu.

Demõstratio, quæ ab effectu procedit. Tertio sciendum, quod Aristot. in tex. adducit exempla huius demonstrationis, nẽpe procedentis ab effectu, & inquit, sicut conijcimus quod planetæ prope sint, quia non scintillant. Sed stellæ fixæ, quæ sunt in firmamento scintillant, quia lõge sunt. Vbi sciendum quod stellarum duplex est ordo. Quædam enim vocantur erraticæ, ea de causa sic vocatę, quia errant a motu primi mobilis, nã duplex est motus cęlestium corporum. Quidã vocatur motus raptus, qui completur spacio vnius diei naturalis, quo motu mouetur primum mobile, & eo rapit omnes inferiores orbes. Alius est motus proprius cuiusque planetæ, qui secundum tarditatem, vel velocitatem orbis completur. Vnde Saturnus suum complet proprium motum spacio 30. annorum, Iupiter duodecim. Mars duorũ Sol, Venus, & Mercurius in vno anno, Luna spatio 29. dierum cum quibusdam horis, & hoc motu mouentur planetę contra motum primi mobilis, quia motus primi mobilis fit ab oriente in occidentem, motus autem stellarum errantium fit ab occidente in orientem, vnde dicitur motus erraticus. Aliæ vero stellæ fixæ sunt in firmamento, quod est octauum cœlum, quod quidem ab Arist. reputatum est primum mobile, & hæ stellæ vocantur fixæ, ex eo, quia non habent proprium motum, vel si habet, est fere imperceptibilis, qui non completur nisi in spacio 36. millium annorum, & istæ stellæ dicuntur scintillare, quia cũ remotissimæ sint, causant in nobis debilissimum visum, planetæ vero cũ propinquius se habeant,

melius videntur, & ideo non videntur scintillare. Hoc etiam comprobari potest in lumine remotissimo, quod videbitur scintillare, & propinquum non. Probare ergo planetas esse prope, & quòd non scintillant, est procedere demonstratione quia, seu ab effectu.

In adæquato. Quarto notandum, quod duplex est effectus, Quidam dicitur adæquatus, & conuertibilis cum causa, & hic sequitur solum ex tali causa, & ex omni tali causa, vt si scintillare ponatur effectus adæquatus stellarum fixarum, solum reperietur in stellis fixis, & non in quibuscunque rebus, & etiam reperietur in omnib. stellis fixis, ita vt nulla erit stella fixa, quæ nõ scintillet, & inter hũc effectũ adequatum, & causam reperitur conuersio, vt dicendo, Omne scintillans est stella fixa, & omnis stella fixa est scintillans. Alius dicitur effectus inadæquatus, qui non adæquat, & complet totam rationem causæ. Sed qd. effectus sit inadæquatus potest dupliciter intelligi. Primo, quia effectus est inferior, & non totam causæ amplitudinem ambit; vel secũdo, quia est superior causa. Demonstratio ergo quia, ab effectu inadæquato erit ad causam.

Vel adæquato reductiue. Quinto notãdum est, quod Arist. in text. docet modum quo reducere possumus demonstrationem quia, ad demostrationem propter quid, sed tamen solum, quando reperitur adæquatio inter causam, & effectum, & tunc id fit, quando id quod accipiebatur pro maiori extremitate, accipitur pro medio, & id quod accipiebatur pro medio, sumitur pro maiori extremitate, vt arguẽdo sic est demonstratio quia, Illud quod orbiculariter crescit est rotundum, Luna orbiculariter, crescit, ergo Luna est rotunda, nam crescere orbiculariter non est causa quod Luna sit rotunda, sed effectus: Vnde conuertetur sic in demõstratione propter qd, Omne rotundum dum orbiculariter crescit, circulariter augetur, Luna orbiculariter crescit, ergo &c. Sed est notandum, quod effectus in demonstratione quia, debet esse notior nobis, vel secundum sensum, vel per experientiam, aut quouis alio modo, quia demonstratio propter quid fit ex notioribus nobis simpliciter, demonstratio autem quia, ex notiorib. nobis, non secũdum suam naturam, sed respectu nostri, notius enim vt superius diximus dupliciter dicitur, & secũdum se, quomodo demonstratio a priori procedit ex notioribus secundum se, & respectu nostri, quomodo demõstratio quia, procedit ex notioribus nobis.

Conclusio. Quoad secundum ponitur hæc cõclusio, Demõstratio qa, differt a demonstratione propter quid in eadem scientia. Probatur, Demõstratio propter quid procedit ex notioribus, & prioribus secundum se in eadẽ scientia. Sed demonstratio quia, procedit ex notioribus, & prioribus nobis, igitur demonstratio quid, & quia differunt in eadem scientia.

Quoad tertium arguitur primo, quod demõstratio quid, & quia non differunt; A causis differentibus specie, non causatur idem effectus, v. g. ab igne, & aqua. Sed assensus scientificus generatur tam ex demõstratione quid, quam quia, v. g. volo scire ignem esse calefectiuum, a priori arguo, quia est talis naturæ. s. ignitiuę, & calefactiuæ: a posteriori vero per experientiam.

Secundo, Nulla est demonstratio quia, ergo non differunt. Antecedens probatur. Quia si daretur, daretur vel per cãm remotã, vel effectũ primum. Nõ primũ, quia nõ semper bonã constituit consequentiam, non. n. valet, est animal, ergo respirat, cum non omnia

musa animalia respirent? & tamen esse animal ponitur causa remota respirationis: Nec per effectum remotum, quia viuere est effectus remotus animalis, & tamẽ non licet arguere, Viuit, ergo est animal, quia plantę viuunt, & non sunt animalia.

Argu. soluuntur. Ad primum dicitur ad maiorem, quod idem effectus potest esse a diuersis causis, specie, & genere differentibus, quando quęlibet habet distinctum modum causandi, sicut est in proposito, quia assensus causatur a priori per causam, & a posteriori, per effectum.

Ad secundum dicendum, quod triplex est cã remota. Prima infert effectum, & necessario infertur ab effectu, vt rationale, & risibile, nã inter hæc duo mediat admiratiuum, & tamen vnum infert aliud, vnde valet. Est rationale, ergo ẽ risibile, ergo est rationale. Secunda non infert necessario effectum, nec ab eo infertur, vt habere concitatũ pulsum est signum febris, non tamen est verum, quod omnis habẽs concitatum pulsum habeat febrem, quia aliquis ex cursu habebit concitatum pulsum, & non habebit febrem, sicut vinum est causa modulandi, nec tamen infert semper effectum .i. modullationẽ, vnde non sequitur, vbi sunt vites, ibi sunt modulationes. Sed tale exẽplum potius positum est vt exemplum ad intelligendum, quam quod in se sit verum. Tertio modo dicitur causa remota, quia est superior ad effectum, & est mediata mediatione pdicationis, & tunc affirmatiue infertur ex effectu, sed nõ infert effectũ affirmatiue, sed solũ negatiue infert negationẽ effectus, vt valet. Quidqd respirat est animal, lapis non respirat, ergo non est animal, sed non valet affirmatiue; est animal, ergo respirat. Similiter dicimus de effectu, nam quando effectus sequitur ex sola causa, non tamen ex omni, sequitur affirmatiue, vt hoc respirat, ergo est animal, non tamen negatiue, sic hoc nõ respirat, ergo nõ est animal, si autẽ sequatur ex omni, sed non ex sola, sequetur negatiue ab effectu ad causam, Vt non viuit, ergo non est animal, non tamen sequitur affirmatiue, viuit, ergo est animal.

Caput XIII.

LECTIO XXXIX.

ex S. D. 24.

IN hac lectione tria agenda sunt. Primo videnda sunt quę ab Arist. afferuntur. Secundo ponenda erit vna conclusio. Tertio dubitandum.

Demõstratio, quia fit p causam remotam. Quoad primũ primo sciendũ est, qđ postq̃ Arist. assignauit primũ modũ, quo demonstramus demõstratione quia, seu a posteriori, hic scdo docet alium modũ dicendo, quod etiam illa vocatur demonstratio quia, quando rei assignamus causam remotam, & non immediatam, vt si vellem probare, parietem non respirare, quia non est animal, nam immediata causa non est esse animal, sed habere pulmonem. Vel quod in Schitia non sint mulieres tibicines, cantantes cantu vendemiantium, quia ibi non sunt vites. Dupliciter ergo fit demonstratio quia, vel probando aliquid de causa per effectus, sicut quod planetę prope sint, quia nõ scintillant, & quod stellæ fixæ longẽ sunt, quia scintillant. Secundo procedendo per causam remotam, vt demonstrando qđ paries non respiret, quia non est animal, vel quod in Schitia nõ sint cantatrices, quia ibi non sunt vites.

Non inferẽtem effectum necessario. Secundo ergo sciendum est, quod duplex est causa. Quædam .n. vocatur vere, & realiter, & proprie causa quæ

posita, ponit effectus,& qua remota, remouetur effectus siue in esse reali, siue in esse cognito; vnde superius diffiniebat Arist. verū scire(quod est effectus veræ causæ,& demōstrationis p has conditiones) nempe, esse rem per cām cognoscere, sed non per quamcunque causam(quia etiam scire a posteriori sic esset simpliciter scire) sed quoniam illius est causa .u. determinata,& immediata,& non contingit aliter se habere, quia a tali causa necessario depēdet. Alia vocat cā remota, q̄ posita, nō necessario ponitur effectus, sicut esse aial nō est cā propria, & immediata respirandi, q a quædā sunt animalia, quæ tñ non respirant; vt sunt illa quæ sanguine carent, vt lōmachræ, ostreæ, conchilia, & similia. Inquit ergo qd ex talib. causis procedit demōstratio q a,& ex primo genere cāturum demonstratio ppter quid.

Cum conditionibus.

Tertio notandum, quod demonstratio quia, seu sit per effectus assignata, seu per causam remotam, debet habere has conditiones. Prima quod sit, effectus veros per vel verā causam, quia hæc non esset demonstratio quia, si quis ostenderet quod ostreæ, & conchilia non essent animalia, quia non respirant, nam tunc assumeret falsum. Secunda conditio est, quod causa sit quidem necessaria, & si remota, effectus tamen simpliciter non sit necessarius, nam quod animal respiret, quia animal est, est causa necessaria, sed non sequitur quod omne animal respiret, sed solum permissiue, quia conchilia animalia sunt, cū habeant naturam sensitiuam, & tamen non respirant, animal ergo respirare necessarium est, sed non omne animal, nisi permissiue. Tertia conditio est, quod talis causa remota, vel effectus respectu rei demonstratæ notior sit ipsa re demonstrata, nam per hoc differt demonstratio quia, a demonstratione propter quid, quod demonstratio quia procedit ex notioribus nobis, demonstratio autem propter quid ex notioribus naturæ.

Explicatur, exemplo.

Quarto notandum circa exemplū Arist. de Anacarside, quod demonstratio quia procedit ex causis remotis, sed causa remota, duplex esse potest. Prima remota per comparationem ad causam immediatam, nam cum effectus A primo dependet a causa B, & secundo a causa C, tunc dicitur C causa remota respectu ipsius A comparati ad B. Quædam vero uocatur causa remota, quia est remotissima, sicut quod A effectus depēdeat a B, C, D, E, tūc E erit causa remotissima respectu A, & C dicetur causa remota: Inquit ergo Arist quod Anacarsidis Scyta dum Athenis vitam degeret, & in quodam conuiuio refectus fuisset, videretq; mulieres bibentes, & canentes, & ex nimio vino saltantes, & vociferantes, interrogatusque, num hęc in Scytia agerentur, respondit minime, quia in Scytia nō sūt vites. Nō esse ergo vites in Scytia non est causa vera non saltandi, sed ibi non esse vinum, & magis non calefieri a vino. Diuus Thomas tamen exponit hos cantus pro cantibus vendemiantium, quod proprius dicitur, quia in multis partibus Germaniæ sunt saltatrices, & saltantes, tamen ibi non sunt vites, sed vinum ab alijs partibus delatum, possunt ergo esse cantus, vbi non sunt vites, sed non cantus vedemiantium, nisi vbi sunt vendemiæ.

Si affirmatio est causa affirmationis, &c.

Quinto notandum, quod illa propositio hic assumpta a Phil. Si affirmatio est causa affirmationis, & negatio erit causa negationis, valet solum in proprijs, & immediatis causis, & non quomodolibet. Nam sicut glossatur hæc propositio, remota causa, remouetur effectus, & posita ponitur, vt solum valeat in causis necessarijs, & pprijs, ita hęc. Si affirma-

matio &c. Vnde valet; Est rõnalis, ergo est risibilis, nõ est risibilis, ergo nec rõnalis, quia rõnalitas est propria, & necessaria causa risibilitatis. Item secunda conditio seruanda ad hoc vt vera sit propositio est, quod affirmata, & negata sint respectu eiusdem rationis, & in eodem genere oppositionis, vnde bene ualet, Albũ disgregat uisum, ergo nigrum congregat, quia album, & nigrũ contraria sunt, sicut & congregare, & disgregare; nõ autem ualet. Album disgregat, ergo non album congregat, quia non album non contrariatur positiue albo, sed contradicitur, potest enim esse uiride, quod non disgregef, nec congreget formaliter, & per se, sicut loquimur: unde deducitur, quod hæc solum tenet in terminis conuertibilibus Sunt ergo duæ cõditiones necessariæ. Prima, quod seruetur in causis necessarijs, proprijs, & immediatis. Secunda in terminis conuertibilibus oppositis eodem genere oppositionis contrarie, & non contradictorie, & Tertia conditio erit, ut talis causa sit specifica, & totalis causa, ita ut non possit effectus esse, nisi ab illa.

Conclusio. Quoad secundum ponitur conclusio. Demonstratio quia procedit per causam remotam. Probatur in secunda figura, in qua medium extra ponitur exemplariter. Quicquid respiratur est animal, sed paries non est animal, ergo non respirat. Argumentum est in secunda figura, in secundo modo.

Quoad tertium, dubium primum emergit, quia Arist. non diffiniuit demonstrationem a posteriori, sicut diffiniuit eam quæ est a priori, sed solũ assignauit differentias quibus differt a demonstratione propter quid, non enim uidetur maior ratio de una quã de alia, si ergo illa est diffinita, cur non hæc?

Secundo arguitur contra suppositum, u. quod duæ sint solum species demonstrationis .i. quid, & quia, Contra. Arist. 2. Phys. text. 22. adiungit tertiam speciẽ .u. simpliciter, ergo sunt tres, & non duæ.

Tertio. Demonstratio ad impossibile est uera demonstratio, & ea sæpe utitur Arist. ergo quatuor sunt species demonstrationis.

Argu. soluuntur. Ad primum primo potest responderi, quod diffinitio demonstrationis, quæ etsi sit omissa explicite, non tamen implicite. Secundo dicere possumus, quod posita est, vbi inquit Phil. demonstratio quia, vel ab effectu ducitur, vel fit per causam remotã, non est autem ita expresse, & collectiue assignata, sicut demonstrationis propter quid, tum quia illa perfectissima est demonstratio, tum etiam quia hęc dabatur per negationem demonstrationis propter quid, nam illa erat per causas, hæc autem per effectus, illa per causas proximas, hæc per remotas.

Ad secundum dicitur, quod ly secundum speciem, intelligendum est secundum rationem, nã realiter duæ sunt tantum species demonstrationis .v. quia, & propter quid, nec realiter demonstratio simpliciter est alia a demonstratione propter quid, sed si differunt, differunt formaliter, inquantum demonstratio quid ostẽdit veritatẽ rei per causas immediatas, sed non per omnes, simpliciter autẽ per omnes, resoluendo vsque ad vltimum actum, & primam potentiam.

Ad tertiũ potest responderi, quod demonstratio ad impossibile reducitur ad demonstrationẽ propter qd, & quia. Sed tutius puto dicendum, quod duplex est demonstratio, quædam quæ generat scientiam, & est ordinata ad gignendam scientiam ex causis, vel effectibus: & quædam quę inuenta est solum ad resipiscendum & obiurgandum tenentem prauam senten-

sententiam. De prima solum principaliter Arist. intelligebat, ideo ex professo solum de ipsa agit, eam diuidendo in demonstratione quid, & quia; de secunda autem indirecte, ideo de ea indirecte agit, non enim esset necessaria, si omnis, veris principijs assentiret.

Caput XIII.

LECTIO XL.

S. D. 25.

IN præsenti lectione cum Phil. assignabimus differentias, quibus differunt quid, & quia in diuersis scientijs. Vnde tria agemus. Primo explicabimus rem consuetis adnotationibus. Secundo ponemus vnam conclusionem. Tertio dubitabimus circa eam.

Demostratio, quid et quia differunt. Quoad primum. Primo sciendũ est ergo, quod demonstratio quid, & quia dupliciter differunt. Primo in eadem scia., quia vna procedit demonstrãdo ex causis, alia ex effectibus. Secundo, quõ vna procedit per causam immediatam, alia per mediatam, sed de his superius loquuti sumus. Secundo differunt in diuersis scientijs, & hoc est quod dicit Philosoph. in tex. vt explicabitur. Deducimus autem has demõstrationes specie differre, quia diuersis modis specificis tendunt in obiectum, & diuerso modo procedunt, & per diuersa vt supra ostensum est.

Scientia subalternans, & subalternata. Secundo notandum ergo, quod sciæ sunt in duplici differẽtia. Quædã.n. sunt essentialiter distinctæ, quarum vna non est alia, nec vna ordinem habet ad aliam. Quædam vero dicuntur accidentaliter distinctę, q̃ essentialiter tamen sunt idem, & sunt illæ scientiæ, quæ subalternantur, v. subalternans, & subalternata, quarum vna, subalternata scilicet addit differentiam accidentalem ad subiectum scientiæ subalternãtis, vt Musica subalternatur Arithmeticæ, nam vtraq. de numero est, sed Arithmetica de numero absolute, Musica autem tractat de numero sonoro, nam Musica nihil aliud addit subiecto scientiæ subalternantis, v. Arithmeticæ, nisi differentiam accidentalem, v. sonorum, & de ijs scientijs loquimur, vnde sic descendere, non est de genere in genus.

Dupliciter Tertio sciendum aliquam scientiã alteri subalternari dupliciter intelligi posse. Primo, quando subiectum inferioris scientiæ continetur sub subiecto superioris, sicut sciẽtia de specie cõtinetur sub scientia de genere, & scia de cęlo cõtinetur sub subiecto sciæ naturalis, vt sic, nam scia naturalis cõsiderat ens mobile quasi genus, & scientia de cęlo ens mobile ad situm, vel locum. Alio modo potest intelligi, non quod proprie subiectum inferioris scientiæ ponatur sub subiecto superioris, sicut scientia de specie, scientiæ de genere, sed sicut materiale sub formali, & sic hic Phil. loquitur de scia subalternãte, & subalternata, nã scia subalternata determinat, & coarctat subiectũ scię subalternantis, vnde dr se habere, vt materiale, & scientia subalternans, vt formale. Verum est tamen, quod in genere scibilis subalternata videtur dicere formale, quia additum subiecto subalternatis se tenet, vt ratio formalis scibilis, vt sonoreitas numeri in Musica. Sed quia subalternans dicit propter quid, & subalternata quia, ideo subalternans dicitur dicere formale, & subalternata materiale, idest in genere demonstrationis, & si non in genere scibilis.

Mathematicæ scientiæ sunt vna sciẽtia. Quarto notandum, quod scientię Mathematicę, vt Arithmetica, Musica, Geometria, Perspectiua, &c. dicuntur scientiæ fere vniuocę. Hoc autem

tem dupliciter potest considerari. Primo vniuocatione specifica, idest, quod sint vnius speciei, & hoc falsum est, nam Arithmetica de numeris, Geometria de magnitudinibus est. Vel secundo vniuocatione generica, idest, quod conueniant in vno genere, & participēt illam rationem vniuoce, & vniuocam, & hoc verum est, nam omnes vocātur scientiæ Mathematicæ, & omnes agunt de quantitate, quamuis sub diuersis rationibus, vnde dicuntur conuenire in genere, & differre in specie, sicut etiā libri de cęlo, & de generatione, & corruptione, de Meterologicis impressionib. de aīalibus, &c. dicuntur conuenire in hoc, quod omnes sunt scientiæ naturales, & si diuersimode consideretur in eis subiectum eius, quod est ens mobile, vel corpus mobile.

Subalternatio triplex. Quinto notandum est, quod vnā scientiam alteri subalternari stat tripliciter. Primo secundum totum, quia non est considerare aliquid in inferiori scientia. v. subalternata, quod non contineatur formaliter, vel virtualiter in recto, vel in obliquo in subiecto superioris scientiæ, sicut Musica subalternatur Arithmeticæ, nam omnia quæ considerat Musica, considerat sub ratione numeri, quamuis addat ei sonorum. Alio modo vna scientia non totaliter, & secundum totum alteri subalternatur, sed partialiter, vel secundum partes, & est quando pars vna talis scientiæ subalternatur alteri, sicut pars sciētiæ Meteorologicæ, quæ tractat de Iride, videtur subalternari Geometriæ, quia applicat lineam ad nubem roridam, &c. Tertio modo vna scientia alteri subalternatur secundum aliquam conclusionem. v. quando vna conclusio consideratur a duabus scientijs, sed vna dicit propter quid, altera quia, vnde Chirurgia subalternatur Geometriæ quoad hanc conclusionē, quod vlnera circularia tardius sanantur, nam si quærimus a Chirurgo, vtrum hæc conclusio sit vera, respondet maxime, sed rationem non reddet nisi experientiam, sed Geometra reddet rationem dicendo, quia carent angulis, per quos ciro caro coniungitur. Et dum vna scientia alteri subalternata est, primo, secundo, vel tertio modo, licet descendere de genere in genus, quoad id solum in quo subalternantur.

Conclusio. Quoad 1m ponitur talis cōclusio. Sciā subalternās, & subalternata differūt per diuersitatē demōstrationū. Probatur. Scientia subalternans dicit propter quid, & scientia subalternata quia, nam scientia subalternās vtitur demonstratione quid, reddendo causam, subalternata vero quia, credendo, & asserendo, & recipiendo a superiori scientia, igitur demonstratio quid, & quia differunt in eadem scientia, & in diuersis scientijs.

Quoad tertium arguitur. Primo quod demonstratio quid, & quia nō differant in diuersis sciētijs, quia vna dicit quid, idest subalternans, altera quia, v. subalternata. Contra. Cuiuslibet scientiæ siue subalternantis, siue subalternatæ principia sunt immediata, & per se nota, ergo vna non dicit quid, & alia quia.

Secundo. Scientia subalternata, vt verbi gratia, Musica, non solum dicit quia, verum etiam quid, nam duplex est Musica. Quædam practica, quæ dato, quod non dicat propter quid, sed quia, tamen speculatiua dicit quid, vnde Musica reddit rationem a priori consonantiæ sonorum.

Arg. soluuntur. Ad primum respōdetur, quod omnis scientia procedat ex principijs immediatis dupliciter potest intelligi. Primo ex omnino immediatis. Secundo

cundo ex immediatis in tali scientia, mediatis autem in superiori, & sic cõtingit inter scientias subalternantes, & subalternatas, quia principia scientiæ subalternatę, sunt cõclusiones in scientia subalternante. Quomodo autem procedat ex per se notis sufficit, quod mediate, idest ex notitia superioris, & non immediate.

Ad secundum dupliciter (vt opinor) responderi potest. Primo quod aliud est quod scientia subalternata regulariter dicat propter quid, vt subalternata, & aliud, quod per accidens respectu alicuius conclusionis dicat quid. Secundum admittimus, primum negamus. Scdo rñdetur, quod Musica inquantum dicit quid suarum conclusionum non sumitur vt subalternata Arithmeticæ, sed inquantũ induit habitum Arithmeticæ, & sic superiori habitu, v. sciẽtiæ subalternãtis indura, dicit quid. Nec verum est, quod præcise arguar ex proprijs principijs, vt distinguitur ab Arithmetica. Hic autem deducas, aliquem posse habere scientiã subalternatam, sine subalternante, quod patet in Theologia nostra, sed illa scientia erit imperfecta, quia nõ perficitur nisi per continuationem cum subalternante. Nec tamen est fides, quia hæc solum credit, sed vt dixi erit scientia, sed imperfecta, quia non solum habet euidentiam attestantis, sed etiam rei attestatæ per aliquam argumentationem, & demonstrationem quia, quæ est euidentia intellectus, vt intellectus est, est enim rei naturalis, & non diuinę, cui assentit intellectus vt a pia voluntate mouetur, & est doctrina S. D. de Verit. q. 14. art. 9. ad tertium.

Caput XIII.

LECTIO XLI.

Ex Caietano.

POstquam explicuimus ea, quæ spectabant ad tertiũ decimũ cap. superest vt tandẽ explicemus quæ ab Illustrissimo Caietano dicuntur. In hac ergo lectione duo solum tractabo. Primum spectabit ad aliqua notabilia. Secundum erit vnum dubium enucleandum: Summam autem ommittemus, quia de ea satis dictum est in textu.

Quoad primum. Primo notandum est circa hanc conclusionem, nempe quod propter quid, & quia differunt in eadem scientia, quia demõstratio propter quid procedit per causam, demonstratio autem quia ꝑ effectus conuertibiles, qđ effectus sit cũ causa conuertibilis põt dupliciter intelligi. Primo secundum causalitatem, & est quando determinata causa requirit effectum necessarium, & determinatum, & talis effectus determinatus postulat talem causam determinatam. Alio modo potest intelligi, quod sit conuertibilis secundum prædicationem, idest, quod effectus, & causa de se inuicem prædicentur, & sic conuertãtur, & vtroque modo intelligit Aristot. quod demonstratio quia procedit per effectum conuertibiliter cum causa, sed principaliter, & primario secundum causalitatem, minus autem principaliter secundum prædicationem.

Secundo notandum est, quod conuertibilitas secundum prædicationẽ dupliciter intelligi potest. Primo vt in quocunque sit causa, reperiatur etiam effectus, & vbi est effectus, qđ reperiatur etiam causa, sicut in quocunque reperitur rationalitas, reperitur

ritur etiam risibilitas, & in quocunque est risibilitas reperitur etiam rationalitas. Secundo modo, vt de quocunque non absolute, sed de quocunque supposito prædicetur denominatio causæ, prædicetur etiam denominatio causalis sumpta ab effectu, quo ad id, per quod denominatur. Primo modo non est intelligendum, quia in cœlo non est reperibilis eadem ratio causalitatis, & conuersionis, sicut reperitur in inferioribus. Sed secundo modo verum est. Melius autem dicatis, quod valet in effectu, & causa adæquata, nõ in inadæquata, seu excedente, sicut est cœlum respectu effectuum ab eo productorum.

Tertio notandum circa conuertibilitatem medij, quod medium esse conuertibile nihil aliud inferre vult, nisi qđ sit æquale maiori, & minori extremitati, quõ autem fieri possit in prima figura affirmatiua, vel in secunda negatiua, vide in Caietano, multa enim ab ipso dicuntur, quæ vnico verbo ab Aristot. explicata sunt, neque enim Nouitiorum intellectus arduis, & difficilibus est imbuendus, dum doctus est breuibus, & facilioribus.

Quarto notandum, quod scire qa de aliqua re dupliciter contingit. Primo per communia, dum enim scire apprehendimus in communi, & vniuersali, dicimur scire solum quia rei. Secundo per effectus cognoscendo rem, non per causam suam. Vnde elicitur optimã, & peripateticam esse doctrinã S. D. asserentis substantias immateriales cognosci solum quoad quia, vel etiam quoad quid, sed non quidditatiue, vt est videre 2. Metaph. quia cognoscuntur per effectus.

Quinto aduertendum est circa eãdem conclusionem .v. quod quando medium extra ponitur, est demonstratio quia, quod per medium extra positum, siue per causam remotam duo possumus intelligere. Primum omnem causam, quæ non est effectui immediata. Secundo causam commu nem, non conuertibilem cum suo effectu, conuertibilitate causalitatis. Primus sensus non est a Phil. intentus, quia loquitur de illa causa, qua posita non necessario ponitur effectus. multæ autem sunt tales causæ quibus positis, & si non sint immediatæ, necessario ponitur effectus, sicut patet de tertia passione, nam v.g. esse naturæ immaterialis, est causa appetitus intellectiui .i. voluntatis, nõn tamen immediate, sed mediante intellectu, & tamen posita natura immateriali ponitur voluntas, & ea sublata tollitur. Secundus sensus ergo verus est, quia non ponit necessariam connexionem reperibilem inter causam, & effectum, vt verificetur illa propositio, si affirmatio est causa affirmationis, negatio quoque erit causa negationis.

Sexto notandum, quod procedere a causa remota ad effectum stat dupliciter. Primo vt effectus procedens a duab. causis, procedat ab vna tanquam a sibi propria, & adęquata causa, & ab alia tanquam a causa excedente, sicut respirare per se primo emanat ab habere pulmonem, secundo autem tanquam a causa excedente ab anima sensitiua. Secundo modo ut idẽ effectus habeat quidẽ plures causas ordine quodam ordinatas, quæ omnes conuertibiles sint cum eo ordine causali. Dum demonstratio procedit a causis primo modo, procedendo ab immediata constituit demonstrationem propter quid; procedendo autem a causa excedente demonstrationem quia, tunc enim res cognoscitur per communia. Secundo autem modo dummodo habeãt ordinem causandi ordine quodam, & causæ conuertibiles sint tum effectu, constituunt demonstrationem pro

Hhh pter

pter quid, sed non eodem modo, sed per immediatam, potissimam, per secundam, ℱm quid, sed non potissimā, quia etiam in talibus datur latitudo, prout exigit diuersitas passionum, & ordo ipsarum.

Quoad secundum, dubium est. Vtrum liceat a causa demonstratione quia demonstrata, procedere ad demōstrationem propter quid, quod idem est quærere, num circulus in demonstratione admitti pōssit.

Pro parte affirmatiua, primo sunt expressa Arist. verba in textu dicētis, quod demonstrata causa per suum effectum conuertibilem, licet etiam tunc demonstrare econtra.

Secundo, quia est auctoritas Alberti fundata super dicta Philos. in 2. de Physico auditu, quod causæ sibi sunt inuicem causæ.

Tertio, quia Arist. ipse ea vsus est præcipue in 2. cęli, vbi quærens dexteram partem cęli, dicit esse orientalem, quia inde incipit motus cęlestis, deinde inquit, quod ibi incipit motus cęli, quia oriens est dextrum eiusdē.

Pro parte negatiua facit ratio Arist. in 3. cap. quia non licet procedere ab eodem ad idem, sicut accidit in demonstratione circulari, dicendo, si A est, B est, si B est, A est.

Ad hanc dubitationem habes solutionem ex his quæ diximus supra cap. 3. concludunt enim circulum difformem, & oppugnant circulum vniformem.

Caput XIII.

LECTIO XLII.

Ex Caietano.

In hac lectione duo principaliter explicabimus, primo quædam per adnotationes, secundo duo dubia.

QVoad primum, primo notandum est circa illam propositionem. Si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis, quod aliud est dicere. Si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis, & aliud est dicere, si affirmatio infert affirmationem, negatio negationem infert. Primum enim verum est. Secundum falsum, quia secundum hunc sensum fundantur fallaciæ cōsequentis, ad destructionem antecedentis, & a positione consequētis. Primus autem sensus verus est, quia proprie loquitur de causa, & causalitate. Sed & secundum hunc sensum dupliciter intelligi potest. Primo, quod verificetur in omni genere causæ, & causandi, & hoc falsū est, vt patet in textu, & diximus supra. Secundo solum in proprijs causis, & hoc verum est, & explicatum inter dilucidandum verba Arist. & S. D.

Secundo notandum est, quod non superflue dixit Arist. in textu demonstrationem quia procedere per causam remotam in secunda figura, hæc enim omnia necessario apposita sūt, quia nisi in secunda figura contingit syllogizare ex minori negatiua. Videat qui cupit Arist. in prioribus, & Caietanum hic, quia hæc prioristica potius, quam posteristica sunt.

Quoad secundum principale duo dubia emergunt circa aliqua dicta S. D. Nam assignans differentiam, quæ est inter demonstrationem quia, & propter quid in diuersis scientijs ait, quod continetur sub hoc modo, nempe quando demonstratio fit per causam remotam. Dubitatur ergo quid intendat in his verbis. Aut enim per causam remotam in diuersis scientijs intelligit quod demonstratio procedens per causam remotam fit demōstratio quia, & procedens per causam proximam sit demonstratio propter quid. Aut intendit quod demonstratio propter quid dicat causam remotam,

tum; & demonstratio quia, nullam dicat causam, sed solum dicat cognitionem habitam sensu, vel experientia, tunc contra primum sensum arguitur.

Primo ex parte ipsius (quia) quia non est necesse, quod scietia inferior subalternata, cognoscat semp suam conclusionem per causam remotam, sed vel sensu sicut cōtingit de lineis, vel experietia, sicut Chirurgus cognoscit vulnera circularia tardius sanari, nec hoc cognoscit per causam remotam.

Secundo ex parte ipsius quid, quia quid demonstrationis potissimæ est eiusdem generis, sicut & medium. At quid alterius scientiæ est alterius generis, quia scientiæ distinguuntur sicut res, seu genera, igitur demōstratio propter quid non procedit per causam proximam.

Contra fm sensum primo instatur, q. expresse Arist. in textu ait, quod scire aliquid per causam remotam, est scire quia, & non propter quid.

Secundo, quia hoc etiam contra S.D. est, intelligentem, demōstrationem quia procedere per causam remotam, immo distinguit ex hoc scire per causam remotam contra demonstrationem propter quid.

Tertio, quia est contra rationem, quia sic sciens quia, sciret vtrumque, quia .s. & propter quid.

Secundum dubium est. Quomodo intelligendus sit S. D. quod quid continetur sub altero horum duorum modorum.

Pro explicatione horum dubiorū duo agenda erunt. Primo enim ponemus aliqua fundamenta. Secundo respondebimus quæsitis formaliter.

Quoad primum, primo supponimus primum sensum nō esse verum, v. quod demōstratio quia procedat per causam remotā, & propter quid per proximam, nec aliæ rationes adducendæ sunt præter adductas, sola autoritas S. D. sufficiat pro nunc asserentis, quod Chirurgus sciens vulnus circulare tardius sanari, non cognosci per causam rem, sed quia sic experitur .s. per experientiam effectus.

Secundo ergo notandum, quod secundos sensus verus est. s. quod quando quid, & quia pertinent ad diuersas scientias, propter quid est causa remota ipsius quia, quod tripliciter probatur. Primo ex ratione ipsius quid, quia est medium alterius generis, vt supra adduximus. Secundo quia ad tale esse propter quid alterius scientiæ non sequitur affirmatio vniuersaliter, Ad propter quid enim cur vulnus circulare tardius sanetur, non sequitur vniuersaliter, circulare vulnus carens angulis tardius sanari, sicut patet in corporibus cœlestibus, quia circuli cęlestium corporum nec citius, nec tardius sanantur. Tertio quia falsa est ista maior, Omne circulare tardius sanatur.

Tertio ergo notandæ sunt aliquæ distinctiones p̄ solutione dubiorum. Prima est, quod causa remota, seu nō conuertibilis cum suo effectu duplex est. Quedam quæ quidem cū eo cōuertitur, sed non vniuersaliter sumpta, sed per differentias applicata ad talem rationem, sicut respirare vniuersaliter non sequitur rationem animalis, quia sic etiam conchilia, quæ animalia sunt respirarent, sed sequitur naturam determinatam animalis solum habentis pulmonem, quia oē animal habēs pulmonem respirat. Quędam vero ex suo esse habet vt sequatur effectus ex ea, sed nec etiam vniuersaliter, sed vt est posita in tali materia, sicut tardius sanari non sequitur ad omne circulare, sic.n. corporā cęlestia quia circularia sunt, dicerentur tardius sanari, sed in tali

materia, idest in vulnere, & tunc inter has causas remotas triplex differētia potest assignari. Prima est, quod effectus causę remotæ primo modo, vere emanat a causa inferiori, puta ab habere pulmonem, & non ab esse animal nisi radicaliter. Sed causa remota. Secundo modo facit talem effectum, in tali materia tamē. Secunda, quia effectus non resoluitur in causam remotam primo modo, sed sistit in causa proxima, sicut in habere pulmonem sistit, quod aliquis respiret, & non in esse animal reducitur. Sed in causam remotam secundo modo resoluitur, quia nunquam quiescit intellectus in sciendo cur vulnus circulare tardius sanetur, nisi sciat naturam circuli. i. qd caret angulis. Tertia est, qd causa remota primo modo, non assumitur affirmatiue, sed negatiue, & facit solum scire quia; Secundo modo sumit affirmatiue, & facit scire propter quid.

Quarto notandum est, quod causa secundo modo dicta, & sumpta, ex cuius quod quid est, fluit talis effect⁹ in tali materia, dupliciter sumi pōt. Primo modo abstracte, vt dicendo figura circularis. Secundo cōtracte ad materiam, vt dicendo figura circularis in vulnere. Potest etiā scire propter quid dupliciter considerari. Primo solitarie, seu abstracte, vt cognoscens lunam accedere, & recedere a quatuor punctis cęli. v. ab oriente, meridie, occidente, & immo cęli (quę quarta domus dicit secundum Astrologos, comparata ad Horoscopum, seu Orientem) nouit causam fluxus & refluxus maris, non tamen applicans ad mare, nouit quod sit hic accessus, & recessus causa fluxus, & refluxus maris, vt maris est fluentis, & refluentis.

His distintionibus positis quatuor, dicēda sunt. Primum quod causa remota ex cuius quod quid est fluit effectus, si sumatur vniuersaliter, & abstracte, non potest vniuersaliter, & affirmatiue assumi in demonstratione, nam hæc erit falsa, Omne circulare tardius sanatur, quia non conuenit circulari cęlestium corporum. Secundo dicitur, quod cognoscens tamen hanc causam remotam solitarie, cognoscit etiā quod quid est non applicate, sed solitarie, quia Geometra, etsi applicate nesciat vulnus circulare tardius sanari, scit tamen omne circulare ex eo quod caret angulis, non posse cito, & de facile adunari Tertio dicimus, quod causa remota applicata facit scire propter quid in demonstratione vniuersali, vt dicendo, omne vulnus non habens partes de facili appropinquantes, de difficile sanatur, tale est vulnus circulare ergo. Quarto dicimus, qd causa remota vniuersaliter etiam sumpta, etsi non formaliter, virtualiter tamen ingreditur demonstrationem. Patet. Quia non quiescit intellectus donec sciamus causam cur vulnus circulare tardius sanetur.

Ad primum argumentum ergo respondetur, quod Arist: intelligebat per causam remotam ipsam causam solitarie sumptam, nos autem sumimus eam vt contractam, vnde non officiunt verba Arist: Vel secundo dicendum, quod loquitur de quid, & quia in eadem scientia, nos autem in diuersis, nam in eadem scientia demonstratio pp quid est per cām proximam, & quia per remotam, in diuersis autē propter quid est per causam remotam, quia non habet demōstrationis certitudinem, nisi reducatur ad quid explicatum per scientiam subalternantem.

Ad secūdum respondetur duabus responsionibus datis ad primum. Tamen ad auctoritatem S.D. dicendum est, quod quatuor sunt modi demōstrandi. Primus est demōstrare per cau-

causam conuertibilem. Secundus per remotam. Tertius per effectum conuertibilem. Quartus per effectũ non conuertibilem. Secundus autem modus nempe demonstrandi per causam remotam subdiuisus est a S.D. per distinctiones superius positas, nẽpe ex cuius quod quid est fluit effectus &c. vel in eadem scientia, vel in diuersis, vt dictum est.

Ad tertium dicendum, quod inferior accipiens propter quid a superiori, dupliciter considerari potest. Primo vt habet solũ principia inferioris scientiæ, & sic cognoscit solum quia, & scientia superior quæ ostendit causam remotam dicit propter quid. Vel secundo non vt inferior, nec vt superior præcise, sed vt inferior accipiẽs principia a superiori, puta Chirurgus vt accipit principia a Geometra, & sic quia gaudet vtroque habitu, ex hoc scit quid, & q̃a, & nõ præcise vt inferior scientificus, quia sic solũ scit quia, & superior propter quid solum.

Cap. 13.

LECTIO XLIII.

ex Caietano.

In hac lectione explicabuntur duo dicta Caietani per adnotationes, & vnum dubium erit soluendum.

PRimo ergo circa subalternationẽ sciẽtiarum videndũ est q̃d sit vnã scientiam alteri subalternari. Notandum in primis est, Albertum tres posuisse conditiones, quibus vna scientia alteri subalternata gaudere debet Prima est, quod subiectum subalternatæ coarctet subiectum subalternantis per aliquam differentiam, sicut linea quę a Geometra consideratur, contrahitur ad visuale per perspectiuam, nam per spectiua subalternata dicitur Geometriæ. Secunda conditio est, vt illud additum, seu illa differentia addita subiecto superioris scientiæ sit alterius generis, ab eo cui fit additio, sicut visuale est alterius generis a linea, & sonorum a numero. Vnde defectu huius conditionis, scientia de specie non subalternatur scientiæ de genere, quia scientia de genere, & specie vna est, nec differunt scientiæ nisi per diuersa genere. Tertia cõditio est quod illa differentia addita subiecto superioris scientiæ non fluat ex illo subiecto, sicut visuale non fluit a linea vt sic; Vnde defectu huius, scientia de passione non subalternatur scientiæ de subiecto, nam ad eandem scientiam spectat considerare subiectum, & passiones. Quarta conditio tamen additur a S.D. de Verit. q. 14. ar. 9. ad. tertium, quæ maxima est, in qua fundatur etiam doctrina eiusdem Angelici Doctoris, & Thomæ Caiet: p p. q. i artic. 2. quomodo Theologia nostra subalternetur scientiæ Dei, & beatorum, quæ consistit in hoc, quod scientia subalternans dicit propter quid scientiæ subalternatæ, subalternata autem dicit solum quia, vnde non est necessaria euidentia, & ressolutio in sciẽtia subalternata, sed sufficit, quod assentiat (firmiter tamen, & non opinatiue, tantum) principijs sibi traditis, a scientia subalternante, & ab ab ea quærat suum propter quid.

Secundo notandæ sunt diuersę expositiones diuersorum, qui conantur ostendere quomodo subiectum superioris scientiæ contrahatur per differentiam accidentalem, ad subiectum inferioris; Quidam enim intellexerunt illam differentiam accidentalem additam subiecto superioris scientię esse purum accidens, ita vt faciat cum subiecto scientiæ inferioris vnum quoddã aggregatum per accidens

dens; & ideo dicunt, quod linea visualis quæ ponitur subiectum in Perspectiua, est quoddã aggregatum accidentale; Nam si illa differẽtia (hæc enim eorum ratio est) est alterius generis ab illo subiecto scientiæ, & non est passio illius subiecti, accidens esse purum videtur. Quidam vero opinantur illam differentiam esse passionem: vnde eorum opinio consistit in duobus punctis. Primum est, quod illa differentia accidentalis est, sed tamẽ obtinet vim propriæ passionis. Secundum est, quod subiectum potest dupliciter considerari. Primo in sua abstractione, verbi gratia, numerus, vt numerus est. Secundo contracte.v.ad sonorum, & tunc dicunt quod secundo modo.i. contracte obtinet rationem differentiæ accidentalis, & propriæ passionis, & ratio horum videtur; quia inquit Arist. secundo de Anima, quod visibilitas est passio quantitatis, igitur & lineæ &c.

Tertio loco reprehendendæ sunt istę sententię. Primo ergo reprehenditur prima, quia demonstrationes vnius scientiæ oportet esse colligatas ad inuicem quodam ordine, sed aggregatum proprie non potest gaudere hac colligatione, & hoc ordine, igitur. Secundo subiectum cuiuslibet scientiæ debet habere vnam diffinitionẽ, sed aggregati non põt esse vna diffinitio per Arist. 7. diuinorũ igitur. Tertio, quia si de linea visuali vt est quoddã aggregatũ cõstituitur sciẽtia vna, igitur simili erit vna sciẽtia de linea dulci, tangibili, &c & consequentur infinitæ fore erunt scientiæ subalternatæ Geometriæ, hoc autem est falsum, & inconueniens, & contra communem docendi Philos. methodum. Ergo.

Scda opinio ẽt reprehẽtur. Primo quia hi videtur ignorare propriã vocẽ, q̃a illa dñia accidẽtalis, q̃ ab ipsis proprię passio nũcupatur, cõuenit superiori vt contrahens ipsum, & non supponens cõtractum, igitur non est passio vt superius contractum est, & maxime cum vniuersaliter ei non conueniat; nam esse sonorum non conuenit vniuersalitur numero, sicut nec visuale lineæ. Secundo reprehẽduntur in ratione assumpta, quia visibilitas non est passio quantitatis, quia non conuenit quantitati vniuersaliter, quia quantitas matematica nõ est visualis, & in secundo de Anima nihil aliud habetur, nisi quod color sit visibilis per se; Maximum autem discrimen est inter hanc propositionem, color est visibilis per se, & visibilitas est per se passio quantitatis. Tertio quia incidunt in errorem primorum ponentium aggregatum ex subiecto, & passione esse subieçtum scientię subalternatę. Remanet ergo quod differentia accidentalis se habet vt ratio formalis sub qua consideratur subiectum superioris scientiæ, sicut in scientia subalternata. De subalternatione autem scientiarum exacte agimus in 6. Metap. ideo ibi vide.

Caput XIV.

LECTIO XLIV.

Et 45. S. D. 26.

Vsque ad 35.

QVoniam quæ sequuntur parum faciunt ad demonstrationẽ prõ quanto demonstratio necessaria est Philosopho, & Theologo, ideo breuiter percurram quę dicũtur ab Arist. subtilitates omittendo.

Ex lectione ergo 26. S. D. duas elicio conclusiones. Prima est, quod prima figura maxime seruit demonstrationi propter quid, hanc videtur Philos. probare tripliciter. *Prima figura maxime seruit demonstrationi propter quid.*

Pri-

Primo. Nam in illa figura fiunt maximæ demonstrationes, quæ maxime facit scire. Talis est prima. Probatur a signo, qa mathematicę sciētię quæ sunt certissimæ, & demonstrationes Geometriæ, Arithmeticæ, &c. fiunt in prima figura.

Secundo. Prima figura est maxime apta ad quærendum quod quid est, ergo maxime seruit demonstrationi. Sequela patet, quia demonstratio datur ad quærendum, quod quid est. Antecedens probatur, quia in prima figura diffinitio prædicatur vniuersaliter, & affirmatiue de diffinito, & in ea quod quid est conuenit vniuersaliter, & affirmatiue ei cuius est. Secunda autem figura tantum concludit negatiue. Et Tertia particulariter. Prima vero vt diximus vniuersaliter, & affirmatiue, ideo cernitur quod maxime sit apta ad quærendum quod quid est.

Tertio. Aliæ figuræ indigent prima, & ad ipsam reducuntur propter suam ineuidentiam, ergo prima tanquam magis euidens, & nobilior, maxime inseruiet scire. Notandum venit pro efficacia secundæ rationis, qđ prima figura facit scire rem per causam adæquatam, propriam, & applicatam, & ideo maxime facit scire.

Secunda conclusio est. Datur aliqua propositio immediata negatiua. Probatur exemplariter, vt quando dicimus. Substantia non est quantitas, nam tunc nulla est propositio prior; per quam possit probari.

Caput XV.

EX lectione vigesimaseptima vna conclusio elicitur, s. aliquis est syllogismus ignorantiæ affirmatiuus, concludens affirmatiuam falsam, contrariam negatiuæ immediatæ veræ. Probatur exemplo, vt dicendo, Omnis qualitas est substantia, omnis quantitas est qualitas, ergo omnis quantitas est substantia, nam in hac argumentatione concluditur affirmatiua falsa, contraria negatiuę veræ, s. istæ, omnis substantia est quantitas, vel econuerso.

Ex lectione 28. elicitur vna conclusio secundum Phil. v. quod datur syllogismus ignorantiæ negatiuus, concludens negatiuam falsam, contrariam affirmatiuæ veræ, & immediatæ. Probatur exemplo, vt dicēdo Nulla albedo est color (hæc.n. est vera, & immediata, Albedo est color,) Omnis nigredo est albedo, ergo nulla nigredo est color, procedit enim ex ambabus falsis in prima figura, contrarijs, immediatis, veris.

Ex lectione 29. eliciunt duæ conclusiones. Prima est. Aliquis est syllogismus ignorantiæ negatiuus in propositionibus mediatis, qui fit in prima, & secunda figura. In prima figura concludendo negatiuam cōclusionem falsam, oppositam affirmatiuæ veræ, & mediatę. Vide si placet, quia ad rem nostram parum illa faciunt. Nota quod supradictæ tres conclusiones procedunt de ignorantia prauæ dispositionis, quæ fit per syllogismum malum.

Ex lectione trigesima habemus vnā cōclusionē. v. Deficiente in nobis aliquo sensu, necesse est in vt nobis deficiat sciētia de proprijs sensibilibus. Probatur, Nā scientia aquiritur vel per demonstrationem, vel per inductionem, & scire per demonstrationem, dependet in fieri a scire per inductionem, quia cum demonstratio sit vniuersalium, & inductio particularium, necesse est ex cognitione particularium, deuenire ad cognitionem vniuersalium, & consequenter per modum spectantem ad singularia, idest per inductionem deuenire *Sensu in nobis dificiente dificienter et scientia illius sensus.*

nire ad modum vniuersalium, idest ad demonstrationem. Notandum quod ad verificandum hanc propositionem sufficit, vel per se, vel per effectum cadere sub sensu, vnde Deus, & substantiæ separatæ cognoscuntur; quamuis per se non cadant sub sensu, sed tantum per suos effectus. Secundo valet in aquisitione scientiæ, & in sciētia habita per inuentionē, non per doctrinā. Tertio, est hoc necessarium vel in se, vel in alio, quia quamuis discipulus audiens a magistro albedinem esse disgregatiuam visus, hoc ipse non sit expertus, alius tamen, idest Magister, expertus est. Quarto loquendo de proprijs sensibilibus, vt sensibilia sunt, non vt res, quia cęcus tangit colores, sed formaliter non scit differentiam, & immutationem factam a coloribus.

CAPVT XVI.

Primi posteriorum.

EX lectione trigesima prima habemus multa quæ requiruntur ad syllogismum (cum enim intelligat Phil. demonstrare non esse processus in infinitum in demonstrationibus, prius agit de supponendis.) Quinque igitur requiruntur ad demonstrationem.

Primum est. Quod omnis syllogismus sit per tres terminos tantum, scilicet per maiorem, minorem, & medium, ex quibus fiunt duæ præmissæ, vnam conclusionem inferentes, in debita figura, & modo.

Secundum pertinet ad syllogismū affirmatiuum, scilicet, vt concludat maiorem inesse minori extremitati, propter hoc quod maior extremitas inest medio in syllogismo, quæ forma est in prima figura, in qua potest cōcludi affirmatiua vniuersalis, quæ maxime quæritur in demonstrationibus, & talis forma regulariter per dici de omni.

Tertium pertinens ad syllogismū negatiuum est, quod habet vnā propositionem affirmatiuam, aliam autem negatiuā, qa ex ambabus affirmatiuis, non potest concludi negatiua, & ambabus existentibus negatiuis, nihil sequitur.

Quartum quod se tenet ex parte demonstratiui syllogismi est, vt procedat ex vniuersalibus præmissis, & immediatis, vel simpliciter, vel in tali scientia, vel demonstratione.

Quintum, vt demonstrator procedat ex his, quæ sunt per se, & non ex his, quæ sunt per accidens, siue prædicetur subiectum de accidenti, vt dicendo album est homo, siue prædicetur accidens de subiecto, vt dicendo homo est albus.

Mouet etiam Phil. tres quæstiones; prima se tenet ex parte maioris extremitatis, videlicet an sit procedere in infinitum ascendendo, vel sit deueniendum ad vnum primum prędicatum, de quo nullum aliud prædicatum.

Secunda se tenet ex parte minoris extremitatis, v. an dato, primo prædicato sit descendere in infinitum, ita vt nunquam reperiatur vltimum subiectum, vel indiuiduum, verbi gratia, prima quæstio quærit. Vtrū in genere substantiæ (faciendo aliquam demonstrationem) sit deuenire ad vnam primam substantiā ascendendo, idest ad genus generalissimū, & descendendo in eodem genere sit deuenire ad indiuidua, vltra quę amplius non sit diuisio.

Tertia est, vtrum determinatis extremis, sit procedere in infinitum in medijs, idest si inter primum prędicatum, verbi gratia substantiam, & vltimum subiectum, idest Sortes, dentur infinita media, an sicut determi

nata

nata sunt extrema, ita determinata sint etiam media.

Tertio, docet etiam Phil. in quibus habeant locum istæ quæstiones, & tria dicit. Primum quod prædictæ quæstiones pertinent ad materiam, scilicet ad demonstrationem, quia in summa quæritur. Vtrum sit procedere in infinitum in demonstrationibus, siue ascendendo, siue descendendo.

Secundum, quod hæ quæstiones valent etiam in demonstrationibus negatiuis, quia demonstratio negatiua vtitur aliqua propositione affirmatiua, cum ex puris negatiuis nihil sequatur.

Tertium, quod non habent locũ in conuertibilibus, quia cum prædicentur in istis æqua de æquis, in ipsis non est accipere prius, & posterius, vnde dato, quod essent infinita subiecta, vel prædicata, semper æqualiter se haberent.

CAPVT XVII.

Primi posteriorum.

EX Lectione trigesima secunda habemus duas conclusiones Prima responsiua, tertiæ quæstioni, scilicet, quod datis extremis, idest supremo prædicato, & infimo subiecto determinatis, oportet etiam media esse determinata, siue sint iuncta adinuicem, siue non, quia necessarium est, quod si media sint infinita, quod procedatur in infinitum; vel ascendendo, vel descendendo, & si non procedatur in infinitum signum est, quod media sunt determinata.

Notandum autem est, quod ascendere in infinitum potest esse. Primo in non essentialiter subordinatis, vt in actibus intellectus, & voluntatis, qui non sunt actus ordinati adinuicem.

Secundo in potentia, quia inter duo puncta determinata in vna linea, cadunt infinita puncta in potentia, cum linea sit diuisibilis in infinitum in potentia, & non in actu. Demonstratio autem est ex essentialiter subordinatis, & ex his quæ sumuntur in actu. Vnde optime concludit ratio Philos. scilicet, quod si extrema demonstrationis sint determinata, quod media quoque erunt determinata.

Secunda conclusio est, Si est status in affirmatiuis, erit etiam status in negatiuis demonstrationibus, tam ascendendo, quam descẽdẽdo. Probatur. Negatiuæ reducuntur ad affirmatiuas, si igitur affirmatiuæ non procedunt in infinitum, ergo nec negatiuæ, nam semper opus est vt vna propositio negatiua, demonstretur per affirmatiuam.

CAPVT XVIII.

Primi Posteriorum.

EX hac Lectione trigesima tertia, duas elicimus conclusiones. Prima est. In prædicatis quidditatiuis nõ est procedere in infinitum. Probatur, quia sic nihil sciretur. Probatur, quia diffinitio constat ex prædicatis essentialibus, si autem essent infinita, cum infinita sint incognoscibilia, nõ posset notificari aliqua res per diffinitionem.

Nota primo, quod loquimur de prædicatis in quibus potest resolui demonstratio, nam quamuis sit ex prædicatis conuertibilibus, tamen resoluitur in non conuertibilia.

Nota secundo, quod prædicata, quæ conueniunt Deo, & creaturis sunt determinata in proportionalitate, & si non in perfectione, & quod ascendendo deuenimus ad trascendentia, vltra quæ non est procedere.

cedere, & descendendo ad indiuidua, vltra quæ non est ire.

Secunda est, quod in prædicatis per accidens reductis ad substantiam erit status, & hæc faciunt etiam ad lectionem trigesimaquartam, & trigesimaquintam.

CAPVT XIX.

Primi Posteriorum.

EX lectione trigesima sexta, habemus quædam corrolaria deducta a Phil. ex probationibus superioribus, scilicet, quod in demonstrationibus non est procedere in infinitum.

Primum est. Quod si vnum prædicatum inest duobus, non est necesse quod insit semper ratione alicuius communioris, quia sic esset procedere in infinitum.

Secundum est. Quod in demonstrationibus, & prædicationibus in quibus vnum de alio prædicatur, oportet vt propositiones mediatę reducantur ad immediatas, quia aliter esset procedere in infinitum in propositionibus, ex quibus constat demonstratio, & consequenter in demonstrationibus.

Tertium est. Quod quando reducuntur mediatę propositiones ad immediatas, necesse est sumere medium, quod non cadit extra genus terminorum. Probatur in figuris syllogismorum.

Quartum. Propositio immediata est mensura conclusionum demonstratiuarum, quia maxime vnum, & indiuisibile, est mensura aliorum. Talis est propositio immediata, respectu conclusionum, ergo.

CAPVT XX.

Primi Posteriorum.

EX lectione trigesima septima, & cap. 20. Primi Posteriorum, in quo determinat Phil. de demonstratione comparatiue, postquam de ea egit absolute, habemus tres rationes, quibus videtur probatum demonstrationem particularem, potiorem esse vniuersali, sed & habentur responsiones.

Prima ratio est. Quia quod magis facit scire, magis ad demonstrationē spectat. Sed demonstratio particularis magis facit scire vniuersali, quia facit scire rem secundum se, & vniuersalis in alio.

Secunda. Quia demōstratio in alio est magis propinqua errori, nam demonstratio de Isocheli, & de hoc triangulo habere tres, si dicam triangulum in vniuersali habere tres, de facili accidet error. v. vt audiens cogitet præter singulares triangulos dari vnum triāgulum separatum, quod est falsum ex 7. Metaph.

Tertia, quia demonstratio particularis est magis de ente, quia particulare est magis ens, vt existens per se, quam vniuersale, quod existit in singularibus.

Ad primum tamen dicitur, quod falsa est minor. Vnde notandum, quod scire secundum se est scire per rationem adæquatam, & hoc dicitur scire vniuersale, scire vero per rationem inadæquatam, verbi gratia, qđ Isocheles habet tres, est scire particulare, & per aliud, vnde ratio supponit falsum.

Ad secundum dicendum est, quod aliud est scire per rationem vniuersalem adæquatam scibili, & aliud est scire per vniuersale prout est separatum, vel non. Secundum non disputamus

tamus, sed primum, & sic dicimus, quod omnes cognoscentes terminos, sciunt quod ratio vniuersalis non est res separata a singularibus.

Ad tertium dicimus, quod singulare est magis ens quo ad existentiam, non quo ad essentiam, secundum quam sumitur scire, & demonstratio.

Ex lectione trigesima octaua, habemus vnam conclusionem, s. quod demonstratio vniuersalis est potior particulari, probatur multis rationibus.

Primo ex parte finis demonstrationis, quia demonstratio vniuersalis magis facit scire, scilicet per causam, & rationem adæquatam, particularis vero per inadæquatam.

Secundo, quia habita cognitione vniuersalis prædicati adæquati cessat inquisitio, habita vero cognitione per rationem particularem, incipit inquisitio ad vniuersalia.

Tertio ex parte obiecti, quia vniuersale est magis scibile, quam particulare, sicut finitum infinito, sed ascẽdendo imus ad finitum, descendendo ad materiam infinitam.

Quarto ex parte obiecti extensiue, quia sciens vniuersale plura scit, quam sciens particulare, verbi gratia, sciens mulam esse sterilem, magis scit, quam sciens tãtum hanc mulam esse sterilem.

Quinto ex euidentia cognitionis, quia per cognitionem rationis vniuersalis a priori, deuenimus in cognitionem particularis, vt per rationale, quod Petrus, Paulus, &c. sint rationales.

Sexto ex parte certitudinis primorum principiorum, quia vniuersale magis appropinquat primo principio vniuersalissimo, quam particulare.

Septimo ex euidentia intellectus super sensum, quia demonstratio vniuersalis terminatur ad intellectum, qui est vniuersalium, particularis vero ad sensum, qui est particularium.

CAPVT XXI.

Primi Posteriorum.

EX lectione trigesimanona habemus, quod demonstratio affirmatiua est dignior negatiua. Probatur, quia paucioribus, & notioribus vtitur secundum qualitatem, & certitudinem, non secundum quantitatẽ, quia omnis demonstratio est ex duabus propositionibus, & tribus terminis, cum ex duabus affirmatiuis aliquid sequatur, & propositio affirmatiua non reducatur ad negatiuam, ex duabus autem negatiuis nihil sequitur, & negatiua reducitur ad affirmatiuam.

Ex lectione quadragesima elicimus quod demonstratio ostensiua est prior demonstratione ad impossibile. Probatur, quia procedit ex prioribus, & notioribus.

CAPVT XXII.

Primi Posteriorum.

EX lectione quadragesimaprima, habemus tres principales conclusiones, Prima est. Vna scientia est dignior, & nobilior altera. Probatur Quia scientia dicitur dignior, quæ est certior, sed vna est certior altera. Probatur primo. Quia vna scientia facit scire quia, & propter quid, vt subalternans, alia tantum quia, vt subalternata. Secundo. Quia scientia quæ non est de subiecto, idest de materia, est magis certa (vt Metaph. q̃ est de separatis a materia, quã Physica quæ est de coniunctis materiæ, Tertio. Quia scientia de simplicioribus

bus est prior, & dignior illa quæ est de compositis de hac re ago in primo de Anima.

Secunda cõclusio est. Vnitas scien tiæ denominatur ab vnitate generis scibilis, seu subiecti scibilis. Probatur. Ex fine specificatur motus, siue sit motus Physicus, qui est actus imperfecti, seu Metaph. qui est actus perfecti; sed obiectum habet rationem finis potentiæ, & ad ipsum terminatur, ergo. De hac difficultate disputo in 6. Metaphisicæ.

Tertia est. Diuersitas scientiæ sumitur ex diuersitate principiorum. Probatur. Quia quælibet scientia sicut habet proprias conclusiones, ita etiam habet propria principia. Intellige autem ex principijs pendere diuersitatem scientiæ non formaliter, quia sic pendet à ratione formali subiecti, sub qua multa, & diuersa in scientia considerantur, sed à principijs pendet effectiue, & secundario.

CAPVT XXIII.

Primi Posteriorum.

EX lectione 42. eliciuntur duæ conclusiones, & tria corrolaria. Prima conclusio est, De fortuitis, & casualibus non est scientia, neque demonstratio. Probatur. Quia scientia, & demonstratio tantum sunt de necessarijs, vel simpliciter, vel vt in pluribus, inquantum vt in pluribus retinent de necessitate.

Secunda conclusio. Scientia non est sensibilium singularium. Probatur. Quia scientia est vniuersalium, quæ sunt vbique, & semper, non positiue, quia non sunt in omni loco, & tempore, sed negatiue, quia non sibi determinant esse in hoc loco, & tempore, sicut faciunt singularia.

Corrolaria sũt tria. Primum, quod scientia non consistit in perceptione sensus, vt putarunt antiqui non distinguentes sensum ab intellectu. Probatur. Quia scientia est vniuersalium, & sensus particularium.

Secundum est. Cognitio intellectiua est potior sensitiua. Probatur. Quia cognitio per causam præcipuè vniuersalem est potior cognitione sine causa: Prima autem est intellectiua, secunda sensitiua. Intellige hoc corrolarium, si res illa habet causam, quia cognitio Dei, qui non habet causam, est nobilissima.

Tertium est. Quamuis cognitio sensitiua non sit intellectiua, tamen cognitio sensitiua multum iuuat intellectiuam. Probatur. Quia deficiente in nobis aliquo sensu, perit scientia illius sensibilis, igitur signum est quod sensus multum iuuat intellectum.

CAPVT XXIV.

Primi Posteriorum.

EX lectione 43 habemus tres conclusiones. Prima est. Nõ omnium syllogismorum sunt eadem principia. Probatur; Quia quædam procedunt ex veris, quædam ex falsis.


Secunda est. Non omnium syllogismorum falsorum eadem sunt principia. Probatur. Quia quædam sunt falsa, & quædam falsa, & impossibilia.

Tertia. Non omnium syllogismorum verorum eadem sunt principia. Probatur primo logice. Quia per aliqua concluduntur plura de subiecto, & per aliqua minora. Valet autem hæc conclusio de principijs proprijs, non de communibus, quæ pluribus scientijs inseruiunt.

Ex lectione 44 habemus duas conclusiones, & vnũ corrolarium. Conclusio

clusio prima est. Scientia est habitus distinctus ab opinione. Probatur primo. Quia scientia est necessariorum, opinio cōtingentium. Secundo. Quia sciētia est habitus euidens, & certus, opinio dubius, & obscurus. Tertio. Quia scientia est vniuersalium, opinio potest esse singularium. Hinc infert Phil. quod idem materialiter potest esse opinabile, & scibile, quia v. g. in vno erit scientia, in altero opinio, non tamen formaliter idem erunt. i. impossibile est idem sub eadem ratione cognosci vt opinabile, & scibile, sicut quod stent simul certa cognitio, & dubia.

Secunda est. Quod habitus intellectuales distinguuntur, quam explicamus in primo Metap. Et hæc summarie dicta sunt, vt Nouitij non remaneant omnino ieiuni.



F. MI.

F. MICHAELIS ZANARDI VRGNANENSIS, S. THEOLOGIÆ Lectoris in, Secundum Posteriorum Dilucidationes.

LECTIO XLVI. XLVII. & XLVIII.



Vmmarie ēt explicaturi hunc secundum Posteriorum librum, intendo tangere tantū quæ possunt fa cere ad Theologos, & Philosophos. In primo igitur capite agit Phil. de quæstionibus, & vt posse reduci totū ad quatuor cōclusiones. Prima est. Quæstiones sunt æquales numero, his quæ vere scimus. Probatur primo. De omni vere scibili possumus formare quæstionem. Sed hæc tantum sunt quatuor. s. an est, quid est, quia est, propter quid est, ergo tantum quatuor erunt quęstiones.

Quæstiones sunt æquales numero his q uere scimus.

Notandum, quod quæstiones sunt in duplici differentia, Quædam determinabiles per demonstrationem tantum. Aliæ vero etiam per opinionem, fidem &c. nos de primis tantum loquimur, quia secundo modo possunt esse plures aliæ, quamuis etiā ad has reducerentur.

Per se uel reductiue.

Secundo etiam notandum, quod scibile dupliciter sumi potest. Primo generaliter, siue sit conclusio, siue principium, siue diffinitio, siue passio Secundo particulariter pro scibili tātū per cōclusionem. Nō sumitur hic scibile secundo modo, quia per conclusionem cognoscitur tantum quia est .i. inhęrētia passionis in subiecto, sed sumitur primo modo, quia de principijs cognoscitur quia est, de subiecto quia; & quid, de passione an est, & quia est.

Scibile duplex.

Tertio notandum est, quod hæc conclusio, Quæstiones sunt æquales numero his, quæ vere scimus, habet multas expositiones.

Glossa.

Prima, Vt pro scibile intelligamus tantum cognoscibile per demonstrationem, & ista est exclusa.

Secunda, Vt sit sermo de per se scibilibus, & non per accidens, quæ aliter se habere possunt, & sic tot sunt scibilia per se, quot sunt quæstiones per se, & non per accidens.

Tertia est. Vt quęstiones tanquam imperfectum quid, reducantur ad scita ipsarum, ita vt sint tantum tot terminantia quęstiones, quot sunt scibilia, & sic verum est etiam.

Quarta est. Vt sint quæstiones terminatæ ad vnam partem, & non ad duas, sicut sunt interrogationes, & quæstiones Dialecticę, & sic etiam verum est, quod quatuor tātum possunt fieri interrogationes determinate, de rebus ipsis determinatis. s. vel

quo

quo ad existentiam, vel essentiam, vel causam, vel inhęrētiam, & ordinem ad aliud.

Quæstiones sūt quatuor. Secunda conclusio est, Quatuor sunt tātum quæstiones terminabiles per scire.s. an est, quid est, quia est, & propter quid est. Probatur. Vel quæstio quærit de esse rei simpliciter, & sic est quæstio. Si est, vel an est, vel de esse rei quidditatiue, & sic quæstio est, quid est. Vel de inhærentia vnius ad alterum, & sic est quęstio quia est Vel de causa illius inhærentiæ, & sic erit quęstio propter quid est, nec alia videtur quæstio determinata, de re determinabili fieri posse.

Quęstio duplex. Notandum primo, quod duplex est, quæstio, Vna dicit' simplex, quia quærit de esse simpliciter, & hęc componitur ex propositione nominis, & verbi, absque alio apposito; vt dicendo homo est. Secunda dicitur composita, quia aliquod tertium adiacet, v.g. dicendo hō est albus, albedo adiacet homini. Quæstio si est, & quid est sunt simplices quæstiones, qa pos sunt fieri per secūdum adiacens, aliç duæ sunt cōpositę, quia fiunt per tertium adiacens, quia quęrunt de compositione duorum, duę vero priores non quærunt nisi de proprio esse.

Quæ ordinantur ad scire. Secundo notandū est, quod aliud est loqui de quæstionibus, quæ generant scire, & quæ ordinātur ad scire, & aliud de quęstionibus quęrentib^9 de quolibet scire, siue hoc scire sit principiorum, siue existentiæ subiecti Secundo modo etiam de principijs quęrimus quia sunt.s. vera, & de subiecto si est. i. si existat, tamen istæ quæstiones proprie non faciunt scire, quia sunt de presuppositis, & non de quęsitis in scientia. Secūdo modo tantum sunt duæ quæstiones, quę ordinantur ad proprium scire.s. quia est, & propter quid est.

Omnes q. Tertia conclusio est. Omnes quæstiones vere scibiles, reducuntur ad quęstionem quid est. Probatur. Omnes quæstiones quærunt de medio demonstrationis. Sed medium demonstrationis est, quod quid est, ergo ad ipsum reducuntur. Hæc autem reductio non est vnius oppositi ad aliud, sed est vt disparati ad vnum pręcipuum. *stiones reducuntur ad quæstionem quid est.*

Tanquam ad mensurā aliorū. Notandum primo, quod vnum reduci ad aliud stat dupliciter. Primo vt ad vnum cum ipso formaliter, & sic non reducuntur. Secundo tanquam ad mensuram aliorum, & est verum, quia in vnoquoque genere est dandum vnum primum, quod sit mensura aliorum, scito autem quid est rei, scimus etiam propter quid. i. causam, cum sint idem realiter, & sciens propter quid, scit etiam quia, quia non potest sciri causa inhęrentię passionis in subiecto, nisi cognoscatur subiectum, & passio.

An est, & qd est differunt. Secundo notādum, quod quæstio an est, & quia est differunt. Quia prima quęrit de esse simpliciter. s. an res sit, vel nō. Scda vero de esse in parte i. sm aliquam rationem. v.g. an luna sit ecclipsabilis, an non, an homo sit risibilis, an non. Vnde secunda vocatur quæstio composita, prima non.

Tertio notandum non esse inconueniens, quod idem sit pręcognitum, & quæsitum respectu diuersorum v.g. quid nominis subiecti, vel passionis potest esse præcognitū, immo et quid rei subiecti, in ordine ad passionem, immo in demonstratione quia potest supponi passio esse, sed in demonstratione propter quid quæri.

Oēs quæstiones sūt medij. Quarta conclusio est, Omnes quęstiones vere scibiles; sunt quæstiones medij. i. quæstiones quid est. i. diffinitiones subiecti, quia diffinitio dicitur esse medium in demonstratione. Probatur primo. In omnibus quęstionibus vere scibilibus, quæritur causa propter quā res est, cum scire sit rem

per

dens; & ideo dicunt; quod linea visualis quæ ponitur subiectum in Perspectiua, est quoddā aggregatum accidentale; Nam si illa differētia (hæc enim eorum ratio est) est alterius generis ab illo subiecto scientiæ, & non est passio illius subiecti, accidens esse purum videtur. Quidam vero opinantur illam differentiam esse passionem: vnde eorum opinio consistit in duobus punctis. Primum est; quod illa differentia accidentalis est, sed tamē obtinet vim propriæ passionis. Secundum est, quod subiectum potest dupliciter considerari. Primo in sua abstractione, verbi gratia, numerus, vt numerus est. Secundo contracte.v.ad sonorum, & tunc dicunt quod secundo modo.i. contracte obtinet rationem differentię accidentalis, & propriæ passionis, & ratio horum videtur; quia inquit Arist. secundo de Anima, quod visibilitas est passio quantitatis, igitur & lineæ &c.

Tertio loco reprehendendæ sunt istę sententiæ. Primo ergo reprehenditur prima, quia demonstrationes vnius scientiæ oportet esse colligatas ad inuicem quodam ordine, sed aggregatum proprie non pōtest gaudere hac colligatione, & hoc ordine, igitur. Secundo subiectum cuiuslibet scientiæ debet habere vnam diffinitionē, sed aggregati non pōt esse vna diffinitio per Arist. 7. diuinorū igitur. Tertio, quia si de linea visuali vt est quoddā aggregatū cōstituitur sciētia vna, igitur simili erit vna sciētia de linea dulci, tangibili, &c & consequenter infinitæ fere erunt scientiæ subalternatæ Geometriæ, hoc autem est falsum, & inconueniens, & contra communem docendi Philosophi methodum. Ergo.

Scda opinio ēt reprehēdtur. Primo quia hi vidētur ignorare propriā vocē, qā illa dffīa accidētalis, q ab ipsis propriā passio nūcupatur, cōuenit superiori vt contrahens ipsum, & non supponens contractum, igitur non est passio vt superius contractum est, & maxime cum vniuersaliter ei non conueniat; nam esse sonorum non conuenit vniuersalitur numero, sicut nec visuale lineæ. Secundo reprehēduntur in ratione assumpta; quia visibilitas non est passio quantitatis, quia non conuenit quantitati vniuersaliter, quia quantitas matematica nō est visualis, & in secundo de Anima nihil aliud habetur, nisi quod color sit visibilis per se; Maximum autem discrimen est inter hanc propositionem, color est visibilis per se, & visibilitas est per se passio quantitatis. Tertio quia incidunt in errorem primorum ponentium aggregatum ex subiecto, & passione esse subiectum scientię subalternatę Remanet ergo quod differentia accidentalis se habet vt ratio formalis sub qua consideratur subiectum superioris scientiæ, sicut in scientia subalternata. De subalternatione autem scientiarum exacte agimus in 6. Metap. ideo ibi vide.

Caput XIV.

LECTIO XLIV.

Et 45. S. D. 26.

Vsque ad 35.

Qvoniam quæ sequuntur parum faciunt ad demonstrationē pro quanto demonstratio necessaria est Philosopho, & Theologo, ideo breuiter percurram quę dicūtur ab Arist. subtilitates omittendo.

Ex lectione ergo 26. S. D. duas elicio conclusiones. Prima est, quod prima figura maxime seruit demonstrationi propter quid, hanc videtur Philos. pꝛobare tripliciter. *Prima figura maxime seruit demonstrationi ꝑ quid.*

Pri-

Primo. Nam in illa figura fiunt maximæ demonstrationes, quæ maxime facit scire. Talis est prima. Probatur a signo, q̃a mathematicę sciētię quæ sunt certissimæ, & demonstrationes Geometriæ, Arithmeticæ, &c. fiunt in prima figura.

Secundo. Prima figura est maxime apta ad quærendum quod quid est, ergo maxime seruit demonstrationi. Sequela patet, quia demonstratio datur ad quærendum, quod quid est. Antecedens probatur, quia in prima figura diffinitio prædicatur vniuersaliter, & affirmatiue de diffinito, & in ea quod quid est conuenit vniuersaliter, & affirmatiue ei cuius est. Secunda autem figura tantum concludit negatiue. Et Tertia particulariter. Prima vero vt diximus vniuersaliter, & affirmatiue, ideo cernitur quod maxime sit apta ad quærendum quod quid est.

Tertio. Aliæ figuræ indigent prima, & ad ipsam reducuntur propter suam ineuidentiam, ergo prima tanquam magis euidens & nobilior, maxime inseruiet scire. Notandum venit pro efficacia secundæ rationis, q̃d prima figura facit scire rem per causam adæquatam, propriam, & applicatam, & ideo maxime facit scire.

Secunda conclusio est. Datur aliqua propositio immediata negatiua. Probatur exemplariter, vt quando dicimus. Substantia non est quantitas, nam tunc nulla est propositio prior, per quam possit probari.

Caput XV.

Ex lectione vigesimaseptima vna conclusio elicitur, s. aliquis est syllogismus ignorantiæ affirmatiuus, concludens affirmatiuam falsam, contrariam negatiuæ immediatæ veræ. Probatur exemplo, vt dicendo, Omnis qualitas est substantia, omnis quantitas est qualitas, ergo omnis quantitas est substantia, nam in hac argumentatione concluditur affirmatiua falsa, contraria negatiue veræ, s. istæ, omnis substantia est quantitas, vel econuerso.

Ex lectione 28. elicitur vna conclusio secundum Phil. v. quod datur syllogismus ignorantiæ negatiuus, concludens negatiuam falsam, contrariam affirmatiuæ veræ, & immediatæ. Probatur exemplo, vt dicēdo Nulla albedo est color (hæc. n. est vera, & immediata, Albedo est color,) Omnis nigredo est albedo, ergo nulla nigredo est color, procedit enim ex ambabus falsis in prima figura, contrarijs, immediatis, veris.

Ex lectione 29. eliciunt duæ conclusiones. Prima est. Aliquis est syllogismus ignorantiæ negatiuus in propositionibus mediatis, qui fit in prima, & secunda figura. In prima figura concludendo negatiuam cōclusionem falsam, oppositam affirmatiuæ veræ, & mediatę. Vide si placet, quia ad rem nostram parum illa faciunt. Nota quod supradictæ tres conclusiones procedunt de ignorantia prauæ dispositionis, quæ fit per syllogismum malum.

Ex lectione trigesima habemus vnā cōclusionē. v. Deficiente in nobis aliquo sensu, necesse est in vt nobis deficiat sciētia de proprijs sensibilibus. Probatur, Nā scientia aquiritur vel per demonstrationem, vel per inductionem, & scire per demonstrationem, dependet in fieri a scire per inductionem, quia cum demonstratio sit vniuersalium, & inductio particularium, necesse est ex cognitione particularium, deuenire ad cognitionem vniuersalium, & consequenter per modum spectantem ad singularia, idest per inductionem deuenire *Sensu in nobis dificiente dificienter et scientia illius sensus.*

nata sunt extrema, ita determinata sint etiam media.

Tertio, docet etiam Phil. in quibus habeant locum istæ quæstiones, & tria dicit. Primum quod prædictæ quæstiones pertinent ad materiam, scilicet ad demonstrationem, quia in summa quæritur. Vtrum sit procedere in infinitum in demonstrationibus, siue ascendendo, siue descendendo.

Secundum, quod hæ quæstiones valent etiam in demonstrationibus negatiuis, quia demonstratio negatiua vtitur aliqua propositione affirmatiua, cum ex puris negatiuis nihil sequatur.

Tertium, quod non habent locũ in conuertibilibus, quia cum prædicentur in istis æqua de æquis, in ipsis non est accipere prius, & posterius, vnde dato, quod essent infinita subiecta, vel prædicata, semper æqualiter se haberent.

CAPVT XVII.

Primi posteriorum.

EX Lectione trigesima secunda habemus duas conclusiones Prima responsiua, tertiæ quæstioni, scilicet, quod datis extremis, idest supremo prædicato, & infimo subiecto determinatis, oportet etiam media esse determinata, siue sint iuncta adinuicem, siue non, quia necessarium est, quod si media sint infinita, quod procedatur in infinitum; vel ascendendo, vel descendendo, & si non procedatur in infinitum signum est, quod media sunt determinata.

Notandum autem est, quod ascendere in infinitum potest esse. Primo in non essentialiter subordinatis, vt in actibus intellectus, & voluntatis, qui non sunt actus ordinati adinuicem.

Secundo in potentia, quia inter duo puncta determinata in vna linea, caduntinfinita puncta in potentia, cum linea sit diuisibilis in infinitum in potentia, & non in actu. Demonstratio autem est ex essentialiter subordinatis, & ex his quæ sumuntur in actu. Vnde optime concludit ratio Philos. scilicet, quod si extrema demonstrationis sint determinata, quod media quoque erunt determinata.

Secunda conclusio est, Si est status in affirmatiuis, erit etiam status in negatiuis demonstrationibus, tam ascendendo, quam descẽdẽdo. Probatur. Negatiuæ reducuntur ad affirmatiuas, si igitur affirmatiuæ non procedunt in infinitum, ergo nec negatiuæ, nam semper opus est vt vna propositio negatiua, demonstretur per affirmatiuam.

CAPVT XVIII.

Primi Posteriorum.

EX hac Lectione trigesima tertia, duas elicimus conclusiones. Prima est. In prædicatis quidditatiuis nõ est procedere in infinitum. Probatur, quia sic nihil sciretur. Probatur, quia diffinitio coostat ex prædicatis essentialibus, si autem essent infinita, cum infinita sint incognoscibilia, nõ posset notificari aliqua res per diffinitionem.

Nota primo, quod loquimur de prædicatis in quibus potest resolui demonstratio, nam quamuis sit ex prædicatis conuertibilibus, tamen resoluitur in non conuertibilia.

Nota, secundo, quod prædicata, quæ conueniunt Deo, & creaturis sunt determinata in proportionalitate, & si non in perfectione, & & quod ascendendo deuenimus ad trascendentia, vltra quæ non est procedere.

cedere, & descendendo ad indiuidua, vltra quæ non est ire.

Secunda est, quod in prædicatis per accidens reductis ad substantiam erit status, & hæc faciunt etiam ad lectionem trigesimaquartam, & trigesimaquintam.

CAPVT XIX.

Primi Posteriorum.

EX lectione trigesima sexta, habemus quædam corrolaria deducta a Phil. ex probationibus superioribus, scilicet, quod in demonstrationibus non est procedere in infinitum.

Primum est. Quod si vnum prædicatum inest duobus, non est necesse quod insit semper ratione alicuius communioris, quia sic esset procedere in infinitum.

Secundum est. Quod in demonstrationibus, & prædicationibus in quibus vnum de alio prædicatur, oportet vt propositiones mediatę reducantur ad immediatas, quia aliter esset procedere in infinitum in propositionibus, ex quibus constat demonstratio, & consequenter in demonstrationibus.

Tertium est. Quod quando reducuntur mediatę propositiones ad immediatas, necesse est sumere medium, quod non cadit extra genus terminorum. Probatur in figuris syllogismorum.

Quartum. Propositio immediata est mensura conclusionum demonstratiuarum, quia maxime vnum, & indiuisibile, est mensura aliorum. Talis est propositio immediata, respectu conclusionum, ergo.

CAPVT XX.

Primi Posteriorum.

EX lectione trigesima septima, & cap. 20. Primi Posteriorum, in quo determinat Phil. de demonstratione comparatiue, postquam de ea egit absolute, habemus tres rationes, quibus videtur probatum demonstrationem particularem, potiorem esse vniuersali, sed & habentur responsiones.

Prima ratio est. Quia quod magis facit scire, magis ad demonstrationē spectat. Sed demonstratio particularis magis facit scire vniuersali, quia facit scire rem secundum se, & vniuersalis in alio.

Secunda. Quia demōstratio in alio est magis propinqua errori, nam demonstratio de Isochcli, & de hoc triangulo habere tres, si dicam triangulum in vniuersali habere tres, de facili accidet error. v. vt audiens cogitet præter singulares triangulos dari vnum triāgulum separatum, quod est falsum ex 7. Metaph.

Tertia, quia demonstratio particularis est magis de ente, quia particulare est magis ens, vt existens per se, quam vniuersale, quod existit in singularibus.

Ad primum tamen dicitur, quod falsa est minor. Vnde notandum, quod scire secundum se est scire per rationem adæquatam, & hoc dicitur scire vniuersale, scire vero per rationem inadæquatam, verbi gratia, qđ Isocheles habet tres, est scire particulare, & per aliud, vnde ratio supponit falsum.

Ad secundum dicendum est, quod aliud est scire per rationem vniuersalem adæquatam scibili, & aliud est scire per vniuersale prout est separatum, vel non. Secundum non disputamus

tamus, sed primum, & sic dicimus, quod omnes cognoscentes terminos, sciunt quod ratio vniuersalis non est res separata a singularibus.

Ad tertium dicimus, quod singulare est magis ens quo ad existentiam, non quo ad essentiam, secundum quam sumitur scire, & demonstratio.

Ex lectione trigesima octaua, habemus vnam conclusionem, s. quod demonstratio vniuersalis est potior particulari, probatur multis rationibus.

Primo ex parte finis demonstrationis, quia demonstratio vniuersalis magis facit scire, scilicet per causam, & rationem adæquatam, particularis vero per inadæquatam.

Secundo, quia habita cognitione vniuersalis prædicati adæquati cessat inquisitio, habita vero cognitione per rationem particularem, incipit inquisitio ad vniuersalia.

Tertio ex parte obiecti, quia vniuersale est magis scibile, quam particulare, sicut finitum infinito, sed ascēdendo imus ad finitum, descendendo ad materiam infinitam.

Quarto ex parte obiecti extensiue, quia sciens vniuersale plura scit, quam sciens particulare, verbi gratia, sciens mulam esse sterilem, magis scit, quam sciens tātum hanc mulam esse sterilem.

Quinto ex euidentia cognitionis, quia per cognitionem rationis vniuersalis a priori, deuenimus in cognitionem particularis, vt per rationale, quod Petrus, Paulus, &c. sint rationales.

Sexto ex parte certitudinis primorum principiorum, quia vniuersale magis appropinquat primo principio vniuersalissimo, quam particulare.

Septimo ex euidentia intellectus super sensum, quia demonstratio vniuersalis terminatur ad intellectum, qui est vniuersalium, particularis vero ad sensum, qui est particularium.

CAPVT XXI.

Primi Posteriorum.

EX lectione trigesimanona habemus, quod demonstratio affirmatiua est dignior negatiua. Probatur, quia paucioribus, & notioribus vtitur secundum qualitatem, & certitudinem, non secundum quantitatē, quia omnis demonstratio est ex duabus propositionibus, & tribus terminis, cum ex duabus affirmatiuis aliquid sequatur, & propositio affirmatiua non reducatur ad negatiuam, ex duabus autem negatiuis nihil sequitur, & negatiua reducitur ad affirmatiuam.

Ex lectione quadragesima elicimus quod demonstratio ostensiua est prior demonstratione ad impossibile. Probatur, quia procedit ex prioribus, & notioribus.

CAPVT XXII.

Primi Posteriorum.

EX lectione quadragesimaprima, habemus tres principales conclusiones, Prima est. Vna scientia est dignior, & nobilior altera. Probatur Quia scientia dicitur dignior, quæ est certior, sed vna est certior altera. Probatur primo. Quia vna scientia facit scire quia, & propter quid, vt subalternans, alia tantum quia, vt subalternata. Secundo. Quia scientia quæ non est de subiecto, idest de materia, est magis certa (vt Metaph. q est de separatis a materia, quā Physica quæ est de coniunctis materiæ. Tertio. Quia scientia de simplicioribus

bus est prior, & dignior illa quæ est de compositis de hac re ago in primo de Anima.

Secunda cōclusio est. Vnitas scientiæ denominatur ab vnitate generis scibilis, seu subiecti scibilis. Probatur. Ex fine specificatur motus, siue sit motus Physicus, qui est actus imperfecti, seu Metaph. qui est actus perfecti; sed obiectum habet rationem finis potentiæ, quia spiritu mouet, & ad ipsum terminatur, ergo. De hac difficultate disputo in 6. Metaphisicæ.

Tertia est. Diuersitas scientiæ sumitur ex diuersitate principiorum. Probatur. Quia quælibet scientia sicut habet proprias conclusiones, ita etiam habet propria principia. (intellige autem ex principijs pendere diuersitatem scientiæ non formaliter, quia sic pendet a ratione formali subiecti, sub qua multa, & diuersa in scientia considerantur, sed a principijs pendet effectiue, & secundario.

CAPVT XXIII.

Primi Posteriorum.

EX lectione 42. eliciuntur duæ conclusiones, & tria corrolaria. Prima conclusio est, De fortuitis, & casualibus non est scientia, neque demonstratio. Probatur. Quia scientia, & demonstratio tantum sunt de necessarijs, vel simpliciter, vel vt in pluribus, inquantum vt in pluribus retinent de necessitate.

Secunda conclusio. Scientia non est sensibilium singularium. Probatur. Quia scientia est vniuersalium, quæ sunt vbique, & semper, non positiue, quia non sunt in omni loco, & tempore, sed negatiue, quia non ibi determinant esse in hoc loco, & tempore, sicut faciunt singularia.

Corrolaria sunt tria. Primum, quod scientia non consistit in perceptione sensus, vt putarunt antiqui, non distinguentes sensum ab intellectu. Probatur. Quia scientia est vniuersalium, & sensus particularium.

Secundum est. Cognitio intellectiua est potior sensitiua. Probatur. Quia cognitio per causam præcipue vniuersalem est potior cognitione sine causa; Prima autem est intellectiua, secunda sensitiua. Intellige hoc corrolarium, si res illa habet causam, quia cognitio Dei, qui non habet causam, est nobilissima.

Tertium est. Quamuis cognitio sensitiua non sit intellectiua, tamen cognitio sensitiua multum iuuat intellectum. Probatur. Quia deficiente in nobis aliquo sensu, perit scientia illius sensibilis, igitur signum est quod sensus multum iuuat intellectum.

CAPVT XXIV.

Primi Posteriorum.

EX lectione 43 habemus tres conclusiones. Prima est. Nō omnium syllogismorum sunt eadem principia. Probatur; Quia quædam procedunt ex veris, quædam ex falsis.


Secunda est. Non omnium syllogismorum falsorum eadem sunt principia. Probatur. Quia quædam sunt falsa, & quædam falsa, & impossibilia.

Tertia. Non omnium syllogismorum verorum eadem sunt principia. Probatur primo logice. Quia per aliqua concluduntur plura de subiecto, & per aliqua minora. Valet autem hæc conclusio de principijs proprijs, non de communibus, quæ pluribus scientijs inseruiunt.

Ex lectione 44 habemus duas conclusiones, & vnū corrolarium. Conclusio


clusio prima est. Scientia est habitus distinctus ab opinione. Probatur primo. Quia scientia est necessariorum, opinio cõtingentium. Secundo. Quia sciẽtia est habitus euidens, & certus, opinio dubius, & obscurus. Tertio. Quia scientia est vniuersalium, opinio potest esse singularium. Hinc infert Phil. quod idem materialiter potest esse opinabile, & scibile, quia v.g. in vno erit scientia, in altero opinio, non tamen formaliter idem erunt. i. impossibile est idem sub eadem ratione cognosci vt opinabile, & scibile, sicut quod stent simul certa cognitio, & dubia.

Secunda est. Quod habitus intellectuales distinguuntur, quam explicamus in primo Metap. Et hæc summarie dicta sunt, vt Nouitij non remaneant omnino ieiuni.



F. MICHAELIS ZANARDI VRGNANENSIS, S. THEOLOGIÆ Lectoris in, Secundum Posteriorum Dilucidationes.

LECTIO XLVI. XLVII. & XLVIII.



Vmmarie et explicaturi hunc secundum Posteriorum librum, intendo tangere tantū quæ possunt facere ad Theologos, & Philosophos. In primo igitur capite agit Phil. de quæstionibus, & vt posse reduci totū ad quatuor cōclusiones. Prima est. Quæstiones sunt æquales numero, his quæ vere scimus. Probatur primo. De omni vere scibili possumus formare quæstionem. Sed hæc tantum sunt quatuor. s. an est, quid est, quia est, propter quid est, ergo tantum quatuor erunt quęstiones.

Quæstiones sunt æquales numero his q uere scimus.

Notandum, quod quæstiones sunt in duplici differentia, Quædam determinabiles per demonstrationem tantum. Aliæ vero etiam per opinionem, fidem &c. nos de primis tantum loquimur, quia secundo modo possunt esse plures aliæ, quamuis etiā ad has reducerentur.

Per se uel reductiue.

Secundo etiam notandum, quod scibile dupliciter sumi potest. Primo generaliter, siue sit conclusio, siue principium, siue diffinitio, siue passio Secundo particulariter pro scibili tātū per cōclusionem. Nō sumitur hic scibile secundo modo, quia per conclusionem cognoscitur tantum quia est. i. inhętētia passionis in subiecto, sed sumitur primo modo, quia de principijs cognoscitur quia est, de subiecto quia; & quid, de passione an est, & quia est.

Scibile duplex.

Tertio notandum est, quod hæc conclusio, Quæstiones sunt æquales numero his, quæ vere scimus, habet multas expositiones.

Glosa.

Prima, Vt pro scibile intelligamus tantum cognoscibile per demonstrationem, & ista est exclusa.

Secunda, Vt sit sermo de per se scibilibus, & non per accidens, quæ aliter se habere possunt, & sic tot sunt scibilia per se, quot sunt quæstiones per se, & non per accidens.

Tertia est. Vt quęstiones tanquam imperfectum quid, reducantur ad scita ipsarum, ita vt sint tantum tot terminantia quęstiones, quot sunt scibilia, & sic verum est etiam.

Quarta est. Vt sint quæstiones terminatæ ad vnam partem, & non ad duas, sicut sunt interrogationes, & quæstiones Dialecticę, & sic etiam verum est, quod quatuor tātum possunt fieri interrogationes determinatæ, de rebus ipsis determinatis. s. vel

quo

quo ad existentiam, vel essentiam, vel causam, vel inhęrētiam, & ordinem ad aliud.

Quæstiones sūt quatuor. Secunda conclusio est, Quatuor sunt tātum quæstiones terminabiles per scire.s. an est, quid est, quia est, & propter quid est. Probatur. Vel quæstio quærit de esse rei simpliciter, & sic est quæstio. Si est, vel an est, vel de esse rei quidditatiue, & sic quæstio est, quid est. Vel de inhærentia vnius ad alterum, & sic est quęstio quia est Vel de causa illius inhærentiæ, & sic erit quęstio propter quid est, nec alia videtur quæstio determinata, de re determinabili fieri posse.

Quęstio duplex. Notandum primo, quod duplex est, quæstio, Vna dicitur simplex, quia quærit de esse simpliciter, & hęc componitur ex propositione nominis, & verbi, absque alio appositio; vt dicendo homo est. Secunda dicitur composita, quia aliquod tertium adiacet, v.g. dicendo hō est albus, albedo adiacet homini. Quæstio si est, & quid est sunt simplices quæstiones, qa possunt fieri per secūdum adiacens, alię duæ sunt cōpositę, quia fiunt per tertium adiacens, quia quęrunt de compositione duorum, duę vero priores non quærunt nisi de proprio esse.

Quæ ordinantur ad scire. Secundo notandū est, quod aliud est loqui de quæstionibus, quæ generant scire, & quæ ordinātur ad scire, & aliud de quęstionibus quęrentib^9 de quolibet scire, siue hoc scire sit principiorum, siue existentiæ subiecti Secundo modo etiam de principijs quęrimus quia sunt.s. vera, & de subiecto si est. i. si existat, tamen istæ quæstiones proprie non faciunt scire, quia sunt de presuppositis, & non de quęsitis in scientia. Secūdo modo tantum sunt duæ quæstiones, quę ordinantur ad proprium scire.s. quia est, & propter quid est.

Omnes q. Tertia conclusio est. Omnes quæstiones vere scibiles, reducuntur ad quęstionem quid est. Probatur. Omnes quæstiones quærunt de medio demonstrationis. Sed medium demonstrationis est, quod quid est, ergo ad ipsum reducuntur. Hæc autem reductio non est vnius oppositi ad aliud, sed est vt disparati ad vnum pręcipuum. *quæstiones reducuntur ad quæstionem quid est.*

Tanquam ad mensurā aliorū. Notandum primo, quod vnum reduci ad aliud stat dupliciter. Primo vt ad vnum cum ipso formaliter, & sic non reducuntur. Secundo tanquam ad mensuram aliorum, & est verum, quia in vnoquoque genere est dandum vnum primum, quod sit mensura aliorum, scito autem quid est rei, scimus etiam propter quid. i. causam, cum sint idem realiter, & sciens propter quid, scit etiam quia, quia non potest sciri causa inhęrentię passionis in subiecto, nisi cognoscatur subiectum, & passio.

An est, & qd est differunt. Secundo notādum, quod quæstio an est, & quia est differunt. Quia prima quęrit de esse simpliciter. s. an res sit, vel nō. Scda vero de esse in parte i. s̄m aliquam rationem. v.g. an luna sit ecclipsabilis, an non, an homo sit risibilis, an non. Vnde secunda vocatur quæstio composita, prima non.

Tertio notandum non esse inconueniens, quod idem sit pręcognitum, & quæsitum respectu diuersorum v.g. quid nominis subiecti, vel passionis potest esse præcognitū, immo et quid rei subiecti, in ordine ad passionem, immo in demonstratione quia potest supponi passio esse, sed in demonstratione propter quid quæri.

Oēs quæstiones sūt medij. Quarta conclusio est, Omnes quęstiones vere scibiles; sunt quæstiones medij. i. quæstiones quid est. i. diffinitiones subiecti, quia diffinitio dicitur esse medium in demonstratione. Probatur primo. In omnibus quęstionibus vere scibilibus, quæritur causa propter quā res est, cum scire sit rem

per

per causam cognoscere, ergo sunt quæstiones medij.

Secundo. Quæstio quid est, supsupponit quæstionem an est. Sed quæstio quid est, est quæstio medij, ergo & quæstio si est. Quæstio aút propter quid est, reducitur ad quæstionem quid est, quæstio vero quia est, præsupponit quæstionem quid est, ergo quælibet quæstio erit quæstio medij.

Tertio probatur a signo. Si cognosceremus quid est per sensum, nulla alia remaneret quæstio, v.g. si videremus stando supra lunam, quod luna ecclipsatur, quia ingreditur vmbrã terræ, nõ quęreremus nec an luna sit ecclipsabilis, nec si ecclipsis inhæreat lunæ, nec propter quid, ergo signum est quod quæstio medij.i. quid est, est illa, quæ præualet.

Notandum quod ordine generationis quęstio an est, prima dicitur, secũda quid, tertia quia, quarta propter quid, sed ordine perfectionis, quæstio quid est, realiter est prima, quia etiam quæstio propter quid continetur in quæstione quid est, sed quæstio an est, non habetur de illis quæ sensu cognoscuntur, quia sic supponuntur nota.

Secundo notandum, quod quæstio quid est, quærit de essentia rei, & de diffinitione, propter quid vero, non quærit de essentiæ causa, sed de causa inhærentiæ passionis in subiecto; vnde sunt quidem idem realiter, sed distinguuntur secundum diuersos respectus, quia vnus est ad essentiam, alius ad inhærentiam passionis.

Tertio notãdum est, quod omnes quęstiones sint quęstiones medij, stat dupliciter. Primo terminatiue, & hoc est falsum, quia omnes terminantur ad concludendam in conclusione inhærẽtiam passionis in subiecto. Secundo tanquam causæ propter quam concluditur passio inhærere subiecto, & sic est verum.

Causatiue.

Quæstiones circa supradicta.

MVltipliciter autem dubitatur circa supradicta, sed primo vtrum tot sit numerus quæstionum, quot scibilium. Videtur enim quod non.

Nam vere scita, sunt tantum duo, sed quæstiones sunt quatuor, ergo nõ tot sunt quæstiones, quot scita, & econuerso. Minor est nota. Maior probatur, Nam per scitum, vel intelligemus certitudinarie cognitum, aut per demonstrationem notum Non primum, quia sic esset maior numerus scitorum, quã quęstionum, cum prima principia sint certitudinaliter cognita, & tamen de eis nulla formetur quæstio, quia nullo pacto sunt dubitabilia. Si secundum, quod quid est non scitur per demonstrationem. Primo, quoniam immediate inest diffinito. Secundo, quia pertinet ad primam operationem intellectus. Tertio, quia pręsupponitur in demonstratione.

Secundo. Quia an est nõ quęritur, sed supponitur de subiecto, & secũdũ veritatem, & secundum Commentatorem.

Secundo principaliter dubitatur circa declarationem quæstionum positam a S. D. quia dicit duo ambigua. Primum, quod quæstio quid, est de enuntiatione secundi adiacentis. Contra. Quia vel quæstio quid quærit de complexo, aut de incomplexo. Si de complexo, erit de tertio adiacẽte, sicut est quando diffinitio prædicatur de diffinito, vt dicendo homo est animal rationale. Si de incomplexo, non spectabit nec ad secundum, nec ad tertium adiacens, quoniam cõplexum abstrahit abesse, & non esse.

Secun-

Secundum dubitabile est, quod quæstiones quid, & quia ponunt in numerum, quia quærunt de compositione duorum. s. subiecti, & prædicati. Contra. Etiam quæstio an est, quærit de compositione subiecti, & prædicati, quærẽdo an existentia, v. g. insit Centauro, vnde sic quæstio quoque an est, ponit in numerum.

Tertio principaliter dubitatur, quid quærat quæstio an est: Si enim dicatur quod quærit de an est existentiæ, erit falsa, quia demonstratio est ex necessarijs, existentia autẽ non est necessario coniuncta cum re, cum sine ea intelligi possit, excepta prima causa: Si dicatur quod quærit de esse veritatis propositionis, sic quæstio erit de propositionibus. s. an sint veræ, & non de rebus, & sic frustatur omnis intentio quærentium res ipsas esse, an non.

Quarto dubitatur, quod nam esse quærat quæstio an est, Non subiecti, quia supponitur esse; si passionis, frustra erit quęstio quia, q̃ quærit de esse passionis, quod esse cum sit accidens consistit in inherere: Non passionis, & subiecti, quia eiusdem quæsiti non debent esse plures quæstiones, tum quia Arist. in textu dedit exempla de an est subiecti, s. de Deo, de Centauro, de terra, de luna.

Quinto dubitatur, an quærere de prædicatis quæ sunt partes diffinitionis, v. g. an animal sit, substantia sit, substantia animata, &c. pertineat ad quæstionem quid, vel quia, Quod enim sit quæstionis quia videt᷑, quia quæstio quia, est de prædicatis de tertio adiacẽte vt est ista, Animal est substantia. Quod vero sit quid, videtur, quia ad interrogationem factam per quid respondetur per quid. v. g. quid est genus si quis interroget, recte respondebitur, quod prædicatur de specie in quid.

Sexto dubitatur circa quæstionem quid est, si quęrit de complexo, an de incomplexo, Videatur enim quod quærat de complexo, quia quęrit de scibili, sola autem ennuntiatio est scibilis, per S. D. Quod vero de incõplexo videtur, quia quęrit de diffinitione, quę est quoddam incomplexum.

Septimo quæritur, quomodo quæstiones inter se, et a præcognitionibus differant.

Octauo quæritur, Vtrum Omnis scientia supponat suum subiectum esse, & non probet. Videtur quod sic, quod saltem possit illud probare a posteriori esse; Quia omnis causa a posteriori potest probari per suum effectum, sed subiectum est causa aliquorum in illa scientia, ergo per ea poterit probari.

Secundo. Quia in libris elenchorũ probatur syllogismus sophisticus esse, & Priscianus lib. Constitutionum ostendit, orationem constructam esse.

Nono dubitatur, Quod nam sit medium demonstrationis, an diffinitio subiecti, an passionis. Videtur quod sit diffinitio passionis. Primo Nam Phil. hic docet demonstrare passionem de subiecto per diffinitionem passionis, vt de defectu lunæ, de consonantia &c. Patet ergo.

Secundo. Infra dicit Phil. quod medium in demonstratione est ratio idest, diffinitio primi termini, maior autem extremitas, quæ est primus terminus, est passio subiecti ergo.

Tertio. Infra probat aliquos esse longæ vitæ, quia non habẽt calorem, quod est diffinitio passionis illius. s. longæ vitæ.

Quarto. Demonstrationes Mathematicæ, quæ sunt potissimæ, assumut diffinitionem passionis, ergo.

Quinto. Medium demonstrationis potissimæ videt᷑ quid dicere, & pro-

pter quid passionis. Sed diffinitio passionis est illa quæ exprimit causam propter quam inest passio subiecto, vt innuit Phil. in præsenti cap., ergo.

Sexto. Demonstratio potißima procedit per propriam, & immediatam causam passionis. Sed talis est eius diffinitio, & non solum quidditas subiecti, ergo.

Septimo. Medium demonstrationis potißimæ, quæ est in prima figura dicitur esse medium positione, Talis est diffinitio paßionis, quæ prior est paßione, & postea sequitur subiectum, ergo.

Octauo. Si demõstratio potißima haberet pro medio diffinitionem subiecti, sequeretur quod posset esse ex ignotis, & in ea peteret petitio principij, nam põt esse qđ paßio sit æque nota de diffinitione subiecti, sicut & de subiecto, diffinitio enim subiecti, & ipsum subiectum sunt idem realiter.

Nono. In primo de Anima habet Arist. quod diffinitio non est vtilis ad cognoscẽdas paßiones, immo qđ accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est subiecti, ergo non est causa, & medium ad probandum paßionem inhærere subiecto.

Decimo. Diffinitio paßionis accipit principia essentialia, & effectiua paßionis. Sed diffinitio subiecti non accipit principia paßionis, ergo.

Ad primum dubium dupliciter respondere possumus. Primo, qđ p scitum non intelligimus nec scitum certitudinaliter, nec per demonstrationem, sed alio tertio modo. s. per inuestigationem certam. Diximus per inuestigationem, vt excludamus cognitionem principiorum, quæ non est per inuestigationem, sed naturaliter habetur, Diximus certam, propter opinata, & non scita, & sic ly per inuestigationem notam comprehendit, & per certitudinalem inuestigationem, & non simplicem, & per demonstrationem cognoscere, vnde remanet exclusa instantia de principijs Excluditur etiam illa de an est, quia falsum est vniuersaliter, qđ oĩs demõstratio supponat suũ subiectũ esse, nã subiectũ dupliciter sumi põt. Primo vt significat existentiam seu esse. v.g. cum dicimus rosa est, & sic supponitur quo ad esse existentiæ, de secundo adiacente. Secundo prout significat tale esse. v.g. quod rosa sit flos, & sic tale esse quæritur, & demonstratur de subiecto, & potest concludi in conclusione, vnde scitum erit per inuestigationem scitum, nec sic immediate inest diffinitio ex parte nostri, nec apprehẽditur prima operatione intellectus.

Secundo possumus respondere, quod per scitum intelligimus per demonstrationem notum, sed hoc duplex est. Primum proprie notum per demonstrationem, & sic non principia, sed conclusio proprie dicitur per demonstrationem nota. Secũdo communiter, pro quanto etiam quæ assumuntur in demõstratione, dicuntur nota per demonstrationem. s. inquantũ applicata sunt ad talẽ conclusionẽ, & sic dicuntur etiam principia nota esse per demonstrationem.

Ad secundum dicendum, quod ali quæ dicantur quæstiones simplices, vel compositæ, ponẽtes in numerũ, vel nõ, dupliciter intelligi potest. Primo ex parte rei quæsitæ, & sic quæstio an est dicitur simplex, quia quærit simpliciter de esse, & non de esse tali, vel tanto; quæstio vero quid est dicitur simplex, quia quærit tantum quid. i. essentiam rei quæsitæ, & non paßiones, vel accidentia. Quęstio vero quia dicitur composita, quia quærit de compositione, & vnione duarum

rum rerum.v.g. eclipsis cum luna, Quæstio autem propter quid dicitur composita, quia quærit causam compositionis.v.g. quare luna eclipsetur. Secundo intelligitur ex parte modi quærendi, & sic quæstio an est dicitur simplex, quia proponit ennuntiationem simplicem.v.g. an Centaurus sit. Quæstio vero q d est dr̄ simplex], quia proponit incomplexum.v.g. hominem, quærendo enim solum quid est homo, quæro solum de termino incōplexo. s. de homine, sed quæstio quia dicitur complexa, quia quærit de compositione duorum.v.g. vtrum homo sit perfectissimus animalium, & quæstio propter quid est, quia quærit de causa compositionis horum duorum.s. perfectissimę rationis animalitatis cum homine. Idem dicim⁹ de ponētibus in numerum, quia quæ ponunt in numerum quærunt de compositione duorum, vel de causa compositionis horum duorum, non ponentes vero in numerum quærunt de simplici esse, vel existētiæ, vel q ditatis rei. Respondetur ergo ad primum, quod quæstio quid quærit de incōplexo. v.g. de homine, & quamuis faciat propositionem quandoque de secundo, & tertio adiacēte.v.g. q̄rendo an homo sit animal rationale, tamē dicitur propositio incomplexa, prout distinguitur contra complexam, quæ est de duob. in vnū coeuntibus. Nam dum quæro si homo est albus, quæro duo.v. albedinem, & inhærentiam eius cum subiecto, ab ea disiuncto, homo autem idem est realiter, & secundum rem significatam cum animali rationali, vnde tantum est dicere homo, quantum animal rationale.

Ad secundum dicitur, quod simplex existentia nō dicitur facere compositionem, sed talis, vel tanta, simpliciter .n. per existētiā apprehēditur res esse, & non hoc, vel illo modo.

Ad tertiam difficultatem dicimus, quod quæstio an est quærit de existentia rei, & de esse veritatis propositionis, sed diuersimode, nam esse veritatis quærit primo, & initiatiue, v.g. dum dico Deus est, Decima sphera est, genus animalis est, primo quæro an hæc propositio sit vera, deinde terminatiue quæro de existētia, quia intellectus non quiescit cognita veritate propositionis, nisi pergat tandem ad existentiam, ex qua dicitur vera propositio. Discrimen tamen est, quod quædam possunt cognosci quo ad veritatem propositionis, & quo ad existentiam in se, vt sunt oīa quę sunt nota nobis, & naturæ, & aliqua cognoscuntur solum quo ad veritatem propositionis, sed non quoad existentiam in se, sed prout significatur per propositionem, vt patet in ista. Deus est, cognita enim hac propositione, non cognoscimus esse existentiæ Dei, vt in re est .i. in Deo, sed prout est importatum per propositionem. In primis quæstio an est quærit de vtroque esse, s. existentiæ, & veritatis, in secundis autem quærit de esse veritatis, supponendo tamē in rebus esse, vnde quamuis per suppositionem non cognoscatur propria existentia, tamē supponitur vt cognita, quia aliter non quiesceret intellectus.

Ad argumētum ergo patet, quod simpliciter non quęritur de esse veritatis, sed etiam de esse existentiæ, vel cognito, vel supposito. Et ad argumentum, quod existentia non sit necessaria respondetur primo, quod sit necessaria stat dupliciter. Primo absolute, & sic non est necessaria, quia ex simplici liberalitate primæ causæ fuit, vt res essent. Secundo data creatione vniuersi, & eius perfectione, & sic vniuersum non esset perfectum, nisi species existerent in suis singularibus. Secundo dicitur quod talis exi-

existentia indiuidui non est necessaria, nec directe demonstrata, sed existentia in communi bene est necessaria, & demonstrata de rebus ipsis, quia res reales necessario existere habent.

Ad quartum dicitur, quod quæstio an est quærit de esse passionis, & subiecti, sed quod quærat de esse passionis potest dupliciter intelligi. Primo vt passio res est, v. g. vt risibilitas est accidens. Secundo vt passio est huius subiecti. s. hominis, cui intrinsece inhæret. Primo modo quæstio an est quærit de esse passionis, & secundo modo quæstio quia est. Vnde ad argumentum dicitur, quod eiusdem quæsiti, vel rei possunt esse plures quæstiones si materialiter considerētur, non vero si formaliter. i. sub eadem ratione, & Arist. in textu dedit etiam exemplum de esse passionis, cum dicit si vox est. Secundo dicitur, quod cum quæstio an est non inquirat de esse passionis vt passio sit, sicut facit de subiecto, sed tantum vt passio res est, ideo omisit exempla de passione, quæ essent obscura, & addidit de subiecto, quæ erant manifesta.

Ad quintum dicendum, quod prædicata quæ sunt partes diffinitionis pertineant ad quæstionem quid, vel quia stat dupliciter. Primo vt partes sunt diffinitionis formaliter, & sic ad quæstionem quid est spectant. Primo, quia idem artifex considerat totum, & partes. Secundo, quia ad ipsum reducuntur, & partes, & totum. Tertio, quia habent, & retinent naturam diffinitionis, quia prædicantur essentialiter de diffinito. Secundo possunt considerari, vt faciunt complexionem, & concluduntur de diffinito, & sic pertinent ad quæstionem, quia est. Primo, quia complexa ad illam quæstionem pertinent. Secundo, quia hoc non est esse simpliciter, quod quærit diffinitio simpliciter. Tertio, quia per quæstionē quid est, non terminatur cognitio nisi diffinitionis, & per assignationem partium, non assignatur, quid est, complete. Ad rationē, ergo dicitur, quod duplex est quid, scilicet prioristicum, & posterioristicum. Quid posterioristicum est tantum diffinitio, vnde si interrogetur quis per quid posterioristicum, respondendum erit per diffinitionem, quia posterioristicum quid, est tantum quid per propria, intrinseca, & essentialia adæquata. Prioristicum vero est per propria, & communia, vnde prioristice si interrogeris quid est homo? poteris respondere per commune, scilicet est animal, quod est commune brutis, & rationalibus, si autem interrogeris, & velis respondere posterioristice, necesse est dicere, est animal rationale.

Ad sextum, dicendum, quod quid quærat de incomplexo bifariam intelligi potest. Primo formaliter, & sic verū est, quia diffinitio abstrahit a complexione veri, & falsi. Secundo virtualiter, & sic dicitur facere cōplexionem cum vero, quia non potest esse diffinitio, nisi sit vera, & verum dicat, & importet. Dicimus ergo ad argumentum, quod quid dicitur scibile virtualiter, quia importat verum scitum virtualiter. Vel secundo dicendum, quod duplex est scibile. Primū per demonstrationē, & hoc quidem erit simplex, in conclusione cōclusum, spectans ad quæstionem an est, & quia est. Aliud dicitur scibile vt causa conclusionum, & medium, & sic poterit esse incomplexum, vel complexum, verbi gratia quæstio quid est, & propter quid est.

Ad septimum dicendum, quod quæstiones conueniunt in hoc, quod omnes quærunt medium, siue a priori in demonstratione potissima, siue

a po-

a posteriori in demonstratione quia, siue in essendo, quærendo causam quando res habet causam; siue in cognoscendo, quã solũ eam habet in cognoscendo, vt est an esse Dei. Differunt vero, quia an est quærit de an est simpliciter, & quid de esse essentiali, & intrinseco. Quia autẽ quærit de qualitate, verbi gratia, qualis sit homo, si inquam sit risibilis, & pp quid quærit de causa, quã dicitur homo qualis, idest risibilis, & in hoc stat essentialis earum differentia. Quæstiones verò differunt a præcognitionibus. Primo, quia quid præcognitiuum, est quid nominis, quod est variabile, & potest esse maxime notum. Quid vero quæstionum est quid rei, & ideò habito q̃d nominis præcognitionis, non quiescit intellectus, sed per quæstionem quærit de quid rei. Secundo differunt, quia præcognitione quia, cognoscitur veritas principiorũ euidens, & esse simpliciter subiecti quid sit, sed in quæstione, & demonstratione quia, quæritur veritas occulta inhærentię passionis in subiecto, & etiam quid rei passionis.

Ad octauum antequam respondeamus formaliter, oportet quædam supponere. Primum quidem est, quod aliud est loqui de subiecto sciẽtiæ, verbi gratia Metaphysicæ, Phisicæ, &c. & aliud de subiecto demonstrationis, quod assumitur in demonstratione. In primo sensu subiectum non potest probari, neque a priori, neque a posteriori, quia absolute, & omni modo supponitur de subiecto quia est, nam Metaphisica omnino supponit ens esse, sic Phisica ens mobile esse; neque demonstrant suum subiectum a priori, vel a posteriori ex necessitate, & ad facienndam notitiam. Nec valet arguere, ergo nulla scientia concludit quæstionem an est de suo subiecto; quia hoc bifariã intelligi põt. Primo de subiecto absolute, & sic verum est. Secundo de partibus subiectiuis subiecti, & sic de subiecto, vt sit quoad aliquam partem subiectiuam concluditur. Si vero loquamur de subiecto demonstrationis, aliqui dicunt, quod etiam supponitur vt facit propositionem de secundo adiacente, verbi gratia Centaurus est, quæritur vero, & concluditur in conclusione per propositionem de tertio adiacente, scilicet ergo Centaurus est animal, & sic etiam differt a quæstione quia, quia quæstio an est, non concluditur per tertium adiacens per se, sicut quæstio quia concluditur. Caietanus tamen hic tenet subiectum demonstrationis etiam vt terminat quæstionem secundi adiacentis probari posse, quoniam omne habens causam potest per eam probari, sed rem esse, vel subiectum esse habet causam, ergo per eam poterit probari. Dicerem aũt ego, subiectũ demonstrationis posse probari stare dupliciter. Primo absolute, & sic potest esse verum, quia habet causam saltem in superiori scientia. Secundo in tali sciẽtia, vel demõstratione, & sic videtur falsum. Primo, q̃a subiectum supponitur esse, & consequenter formaliter idem non potest esse suppositum, & probatum. Secundo, quia habetur, vt medium in demonstratione quoad quid est, ergo & quoad an est, medium autem vt medium nequit probari, sicut nec demonstrationis præmissæ immediatæ. Tertio, quia habetur tanquam propositio immediata & secundum se, & quoad nos. Quarto, quia sic vana esset demonstratio, & superflua, quia notum est an est subiecti, aliter si non esset notum, non assumeretur, vt notificans.

Ad primum ergo dicitur, quod cum demonstratio etiam a posteriori

detur

detur causa innotescendi, & faciendi scire, & subiectum supponatur notum, sicut & effectus, immo & magis notum esse respectu nostri, ideo de eo nullo modo potest dari demonstratio, neque a priori, neque a posteriori.

Ad secundum dicendũ, quod aliud est demonstrare subiectum esse, & aliud ipsum notificare ex aliquo simili, vel probare alia probatione fere extranea. Primum negamus, quia subiectum debet esse notum, & præsuppositum. Secundum cõcedimus, & factum dicimus esse, vt probatur ex argumento. Secundo respondetur, quod quando traduntur principia scientiæ, notificari potest, & subiectum, cum sit connumeratum inter principia, non autem post, ita vt deinde demonstretur.

Ad nonam difficultatem respondendo. Primo notãdum venit, quod circa præsentem difficultatem sunt duæ opiniones. Prima est Aegidij dicentis, quod diffinitio passionis est medium in demonstratione potissima. Secunda est S.D. dicentis, quod diffinitio subiecti est medium in demonstratione potissima.

Secundo ergo notandum venit, quod duplex est demonstratio, vna dicitur potissima, & simpliciter, in qua fit ressolutio ad primam causam passionis, & inhærentiæ eius cum subiecto. Alia dicitur potissima tali modo, scilicet in genere passionis. In prima medium non potest esse nisi diffinitio subiecti, quia tandem ad hanc oportet reducere quod quid est passionis, cum a subiecto sit, & per subiectum fiat. In secunda autem potest esse diffinitio passionis, verbi gratia, quando probatur secunda passio per primam.

Conclusio igitur est. Mediũ in demonstratione potissima simpliciter, est quod quid est subiecti. Probatur. Primo. Demonstratio potissima procedit per primam causam in illo genere. Sed prima causa passionum, non est passio, sed subiectum, a quo fluunt passiones, prima immediate, aliæ mediate, ergo.

Secundo. Passio est demonstrabilis de subiecto, ita & diffinitio passionis. Sed non potest demonstrari per diffinitionem passionis, aliter idem probatur per idem, ergo.

Tertio. In primo huius dicitur, quod per diffinitionem subiecti, probamus inhærentiam passionis, cũ subiecto, verbi gratia, ex eo quod homo est rationalis, ideo probamus eũ esse risibilem, ideo vt notiore vtitur demonstratio quid subiecti, ad probandam passionem inhærere, & hoc est, quod concluditur.

Quarto. Quia quod habet rationem propter quid, assumitur vt mediũ. Tale est quod quid est subiecti, propter rationalitatem enim, homo dicitur risibilis, ergo.

Ad primum dicimus, quod talis demonstratio est potissima aliquo modo, sed non simpliciter, sicut quando assumitur quod quid est subiecti.

Ad secundum dicendum, quod primus terminus, seu maior extremitas ratione subiecti dicitur primus virtualiter, & causaliter, quamuis non sit secundum ordinem subiecibilis, & prædicabilis.

Ad tertium dicimus, quod est demonstratio potissima talis, & non simpliciter.

Ad quartum dicendum, quod in Mathematicis secundę passiones probantur per primas, sed primæ, & secundæ, per diffinitionem subiecti.

Ad quintum dicendum, quod simpliciter primum, est quod quid est subiecti, & non passionis, neque aggregati, quia non habent rationem primæ causæ vt subiectum.

Ad

Ad sextum dicendum, quod demonstratio in qua assumitur pro medio diffinitio passionis est causa immediata, sed non prima, at demonstratio est ex primis, & causis.

Ad septimum dicendum, quod positione secundum ordinem prius est passio, sed ordine causalitatis subiectum.

Ad octauum dicendum, quod subiectum, & diffinitio eius quamuis sint idem secundum rem, distinguuntur tamen secundum rationem, idest secundum confuse, & distincte concipi, & ideo tollitur nugatio.

Ad nonum dicendum, quod diffinitio subiecti sit vtilis ad cognoscendas passiones, & accidentia est verum a priori, a posteriori vero accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est, & sciendas passiones esse accidentia talia, non vt passiones, quia sic iuuantur diffinitione subiecti.

Ad decimum dicendum, quod primum principium effectiuum passionum est subiectum, & ideo per eius diffinitionem debet procedere demonstratio.

Caput II.

LECTIO XLIX.

EX lectione secunda S. D. secundi Posteriorum, habemus tres conconclusiones, & solutiones trium dubiorum motorum a Philosopho. Prima est. Non omnium quorum est demonstratio, est diffinitio. Probatur.

Primo. Diffinitio prædicatur affirmatiue, & vniuersaliter de diffinito. At non in omni demonstratione concluditur demonstratum de demonstrato affirmatiue, sed negatiue, vt in secunda figura, neque vniuersaliter, vt in tertia, ergo non omnium quorum est demonstratio, est diffinitio. Maior est vera, quia quod quid est affirmatiue, & vniuersaliter prædicatur de eo cuius est, vt etiam probatur in 7. Metaphisicæ.

Nota pro minori, quod demonstratio aliqua sit particularis, est verum prioristice, idest quod concludat particulariter, vt in tertia figura, non posterioristice, quia tantum est vniuersalium. Vel dicas, quod posterioristice etiam particularium est nō per se primo, sed prout continentur sub aliqua ratione communi, quibus ipsa applicatur, verbi gratia dum rationalitas concluditur de Sorte.

Secundo hoc probatur, quia scire per diffinitionem est distinctum a scire per demonstrationem, aliter omnis qui haberet diffinitionem, haberet, & demonstrationem formaliter.

Nota quod diffinitio, & demonstratio possunt esse de eadem re, maxime de re necessaria, vnde diffinitio dicitur demonstratio sola posititione differens, idest, est mediū, & vis demonstrationis, differunt tamen formaliter, quia demonstratio, quid amplius importat.

Tertio. Diffinitio notificat essentiam, demonstratio inhærentiam passionis in subiecto, quia ad hoc principaliter datur, ergo differunt. Intellige diffinitionem. Primo dari de essentia, secundario de passionibus, & accidentibus subiecti, sed demonstratio primo datur ad concludendam passionem inhęrere subiecto, & ideo differunt.

Quarto, quia diffinitio est incomplexi per se, demonstratio per se complexorum, idest, duorum vnitorum. Habes ergo, quod diffinitio, & demonstratio quadrupliciter differunt. Primo, quia diffinitio est vniuersalium, & affirmatiua, demonstratio quandoque particularium, & negatiua.

ua. Secundo, quia separatim scire generant. Tertio, quia definitio est de essentia, demonstratio de inhærentia. Quarto, quia diffinitio est incomplexorum, demonstratio complexorum.

Secunda conclusio Philosophi est, Non omnium quorum est diffinitio, est demonstratio, idest aliqua sunt diffinibilia, quæ non sunt demonstrabilia. Probatur.

Primo. Quia sic habens diffinitionem, haberet etiã demonstrationẽ, quod est falsum, quia vnum, vt vnũ non est nisi vno modo scibile, idest necessario non inter aliud scire.

Secundo. Principia demonstrationis possunt diffiniri definitione quid nominis, & per modum incomplexi. At principia demonstrationis non possunt demonstrari, aliter demonstratio non esset ex immediatis. Intellige sensum Philosophi esse, quod diffinitio est principium demonstrationis, quia est propositio immediata, & tamen non potest demonstrari.

Tertia conclusio. Vnius, & eiusdẽ, secundum idem, non est diffinitio, & demonstratio. Probatur.

Primo. Quia diffinitio notificat quod quid est esse rei, sed demonstrationes hoc supponunt, verbi gratia volo demonstrare hominem esse risibilem, necesse est, quod supponam eum esse rationalem, quod explicat diffinitio hominis.

Notandum, quod diffinitio dicitur demonstratio. Primo materialiter, idest vnius, & eiusdem rei potest dari diffinitio, & demonstratio, sed non formaliter, idest secundum eandem rationem. Secundo dicitur demonstratio, vt principium eius, quia est medium in demonstratione, non tamen est demonstratio formaliter, idest vt eius, quod demonstratur.

Secundo probat idem Philosophus. Quia diffinitio dicit quid, id est essentiam rei, demonstratio quia, idest concludit accidens proprium inesse subiecto. Ex his deducit, quod genus non prædicatur per se de differentia, neque econuerso. Intellige nisi differentia sumatur pro specie, nam animal prædicatur de rationali, si sumatur pro homine.

Cap III. IV. V. VI. VII. VIII.

LECTIO L.

Ex tertia, & quarta, & quinta, lectione S. D. præcipue habemus cũ Philosopho quod quodquid est, idest diffinitio, non potest probari de eo cuius est .i. de diffinito. Probatur. Si probari potest, aut per syllogismũ reduplicatiuum, aut diuisiuum, vel diffinitiuum. Non primum, idest reduplicatiue, quia idem sunt. Poterit igitur quid est passionis, demonstrari de subiecto diffinito, sed si diffinitio sit essentialis, & totalis, non est possibile, quia idem probaretur de eodem. Nec potest probari per syllogismum diuisiuum. Primo, quia syllogismus diuisiuus non datur, cum syllogismus diuisiuus oporteat vt reducatur ad vnum membrum in conclusione, nam potest bene syllogizans negare, Corpus est animatum, vel inanimatum, sed in cõclusione oportet tantum vt concludat, ergo erit tantum vel animatum, vel inanimatum, vnde formaliter non licet arguere diuisiue, nisi inductiue, & nisi argumentum reducatur ad vnum, v. g. dicendo omne animal est rationale, vel irrationale, homo est animal, ergo rationale, vel irrationale, non irrationale, ergo rationale. Nec etiam potest probari per syllogismum diffinitiuum, quia non datur vt supra tactum est, quia est assumere

mere id quod debet probari. i. diffinitionem diffinitionis.

Generaliter autem Philosophus immoratur in quinto, sexto, septimo, & octauo capite, ad probandũ quod, quod quid est, potest probari de eo cuius est in diuerso genere causarum, verbi gratia, diffinitio materialis potest passionis probari de eodem diffinito per formalem, verbi gratia, quod domus sit composita ex cemento, & lapidibus & tecto cooperta, vt nos protegat a pluuia, calore, &c.

Caput IX.

EX lectione duodecima S. D. habemus duas conclusiones. Prima est, quod in his quæ fiunt secundum generationem circularem valet demonstratio circularis, a posteriori ad prius, & econuerso. Probatur inductiue. Nam bene sequitur, si terra est pluta, necesse est vt ex ea vapor ascendat per actionem solis, & ressoluatur, quo ascenso, necesse est vt generetur nubes, qua generata, necesse est quod generetur pluuia, qua generata cum sit grauis, necesse est vt cadat deorsum super terram, qua cadente necesse est vt terra sit cõpluta, quod erat quod primo accipiebatur.

Notãdum, quod circulus detur in his quæ fiunt secundum generationem circularem est verum. Primo, si cõnexa sunt ista necessario adinuicẽ, ita vt vnum inferat aliud, vnde non valet in causis subordinatis, & per accidens. Secundo, vt regressus non sit respectu vnius & eiusdem, secundum numerum, sed secundum speciem, nam vapor primo atractus a sole non est idem numero vapor qui secundo ascendit ex secunda complutatione terræ, vnde non sequitur, idem esse notius, & ignotius, causa, & effectus, non secũdum numerum, etsi secundum speciem. Tertio vt sit in conuertibilibus, quia vnum determinatum, nõ potest fieri ex quolibet indeterminato. Quarto vt in regressu aliqd noui acquiramus, vel cognitionem rei, vel maiorem cognitionem, vel firmiorem. sicut diximus in primo. Secunda conclusio est, Ad probandum ea, quæ fiunt vt frequenter necessario est accipere medium quod fiat vt frequenter, sicut ad probandum ea quæ fiũt semper, necessarium est accipere medium qđ sit semper. Probatur. Quia si assumeretur mediũ qđ fit semper, vel in minori parte, assumeretur falsũ Nota aũt qđ iste demõstrationes nõ sunt ex necessarijs absolute, & simpliciter, sed suo modo. i. vt frequẽter, & consequenter non habent tantam euidentiam, sicut primę, quæ procedunt ex necessarijs simpliciter.

Caput X.

EX lectione decimatertia habemus, quod ad constituendũ quod quid est, seu diffinitionem, tria sunt necessaria. Primum quod diffinitio vniuersaliter prædicetur de diffinito. Secũdo affirmatiue. Et tertio conuertibiliter, ita vt diffinitio essentialis in plus non se habeat quam diffinitum, v. g. rationale quã homo: Hoc autem verũ est de diffinitione quidditatiua, quæ datur per verũ genus, & per veram differentiam non de descriptiua, quæ datur per aliquid quod in plus se habet, vel pluribus conuenire potest.

Ex quartadecima habemus. Quod quod quid est recte venamur per diuisionẽ. Probatur. Quia diffinitio cõstat ex gñe, & dña. At vera differẽtia nõ potest haberi nisi prius deuentum sit ad verũ genus, deinde genus diuidatur per veras, & essentiales differentias, v. g. ad sciendum quod homo sit animatus, oportet prius vt di-

 uida-

uidamus corpus in animantum, & inanimatum, deinde animatum in rationale, & irrationale, & tunc habebimus proprium genus, & propriam differentiam.

Ex lectione decimaquinta elicimus tres cōclusiones. Prima est. Non oportet diffinientem, & cognoscentem quod quid est scire omnia. Probatur primo. Quia non oportet vt sciat differentias accidentales Secundo, quia non oportet vt sciat omnes species a quibus diffinitum differt. Intellige distinctè, in confuso, & in potentia vtrque.

Secunda conclusio est. Quærens quod quid est, oportet si per diuisionem illud quærat, quod diuisum diuidatur per opposítas, & immediatas differentias, euacuantes totum diuisum. Probatur Quia non recte diuideretur animal per pennatum, & non pennatum, cum hæc diuisio sit animalis pennati, & non animalis vt sic, quia animal vt sic primo diuiditur in rationale, & irrationale. Hinc elicimus tres esse conditiones bonæ diuisionis. Prima quod diuisio debet esse bimembris. Secunda debet esse per opposita, & primo diuidentia. Tertia, quod euacuet totum posse diuisi superioris.

Tertia conclusio est, Tria requiruntur venāri diffinitionem per modum diuisionis. Primum, quod ea quæ accipiuntur in diffinitione, prædicentur in quid. Intellige non substantialiter, sed essentialiter, eo modo quo etiā omnia genera accidentium prædicantur in quid de suis inferioribus, vt qualitas de omni quali. Secundum est, vt partes diffinitionis congrue ordinentur, ita vt magis cōmune præcedat, & minus commune sequatur, vt animal præcedat rationale, in diffinitione hominis. Tertiū, quod nihil prætermittatur eorum quæ spectant ad quod quid est. Intellige de essentialibus, & in diffinitione essentiali, non de accidentalibus, & in diffinitione descriptiua.

Ex lectione decimasexta deducimus, quod recte venatur quod quid est per viam similitudinis, vel resolutionis, vel ascensus, quæ in idem redeunt. Probatur.

Primo. Diffinitio datur de aliquo secundum quod consideratur in vniuersali, & non in hoc, vel in illo. Sed ad vniuersale peruenimus ascendendo a singularibus, ad vniuersale, ergo.

Secundo, quia minus vniuersalia sunt magis nobis nota, quam magis vniuersalia, quia in illis latent æquiuocationes, ergo recte quęritur quod quid est, ascendendo a particularib, ad vniuersalia. Nota quod antecedens procedit de magis noto distinctè.

Tertia, quia si volumus diffinire magnanimii, vel magnanimitatem, oportebit ascendere ad vnum, quod habeant omnes magnanimi. s. non sufferre iniurias, vnde Hercules, Achiles, & Aiax dicti sunt magnanimi, quia Hercules ne sufferret iniurias dimicauit, Achiles propter iram insanus factus est, & Aiax se occidit, vel deueniendum erit ad vnam veriorem rationem magnanimitatis .i. vt magnanimi non mutentur, nec propter fęlicitatem fortunæ, nec propter aduersitatem.

Notandum quod similitudo est duplex. Quædam quæ dicitur Metaphora, & hęc non est apta secundum Philosophum ad diffinitiones, quia simile in vno, non est simile in alio, nec proprie. Alia dicitur similitudo conuenientiæ in vna propria ratione communi, & sic dicimus quod talis similitudo est bona ad habendum quod quid est .i. ratio vna communis, ex qua res ipsa diffinitur.

Caput

Cap. 11.

LECTIO LI.

Ad hoc autem quod habeamus problemata, &c.

EX lectione decima septima duas etiam conclusiones habemus. Prima est. Ad hoc vt habeamus propter quid alicuius quæstionis, possumus procedere accipiendo commune genus triplicitet.

Primo accipiendo genus commune vniuocum nominatum, verbi gratia, si quæratur quare somnus, & vigilia insunt equo, & homini, recte respondebitur per genus vniuocum, quia scilicet sunt animalia, & conueniunt in animali. Secundo accipiendo commune genus vniuocum, sed innominatum, verbi gratia, si quis quærat quare Ceruus, & bos habeant duos ventres, & in vtroque recipiant herbam, in vno ponant herbam non mansam; & in alio ponant herbam extractam a primo ventre, & deinde mansam. Vel quare non habeant dentes in superiori mandibula, recte respondebitur per commune innominatum, quia sunt animalia cornuta, & ideo natura materiam, quam debebat conuertere in dentes, conuertit in cornua, vt possint se defendere. Tertio accipiendo commune non vniuocum, sed analogum, verbi gratia, si quis quærat quare sepionem habent vermes, spinam pisces, & ossa animalia. Respondebitur conuenienter per quandam rationem anologam, scilicet ad sustinendam mollitiem carnis, quæ primo conuenit ossi, secundo spinę, tertio sepioni. Loquimur autem hic de, õi gñe subiecti causantis talẽ rationẽ, & nõ de gñe Logice, vt importat tantum communem rationem secundæ intentuotionis Logicam.

Secunda conclusio est. Multa problemata demonstrabilia possunt habere vnum propter quid dupliciter. Primo propter identitatem medij, verbi gratia, si quæratur quare echo fiat, & idolum appareat in speculo, & quare appareat Iris in nubibus, bene respondebitur per vnam rationem communem, scilicet propter antiparistesim, idest contrariam percussionem.

Notandum, quod hæc ratio dicitur vna genere, sed diuersa specie, & causa, nam echo fit ex percussione aeris moti a corpore clamantis, vel sonantis, repercussio imaginis in speculo, propter hoc quod immutatio medij repercutitur ad speculum, & irridis, quia radij solares repercutiuntur ad vapores humidos. Secundo, possunt habere hoc propter medij subordinationem, in quibus necessaria est conuenientia in vna ratione, non disparata.

CAPVT XII.

De causa autem, & de re cuius causa &c.

EX lectiune decima octaua habemus vnam cõclusionem, v. quod causa, & causatum semper sunt simul secundum consequentiam. Probatur. Quia causatum nõ potest esse sine causa, ergo si est causatũ, habebit causam, verbi gratia, si Luna ecclipsatur, oportet vt habeat causam, scilicet, quia ingreditur vmbram terræ. Quando autem demonstramus effectum per causam, est demonstratio propter quid, quando econuerso, quia.

Ex lectione decimanona, elicimus quod vnius effectus possunt esse plures causæ, & plures diffinitiones, intellige partiales, si sint eiusdem ordinis, vel totales si sint diuersorum ordinum.

dinum. Idem dico de diffinitionib. datis per vnum genus causæ, quia si darentur per omnia genera, vna tantum posset esse diffinitio.

CAPVT XIII.

De principijs vero, &c.

EX lectione vigesima, & vltima S.D. habemus duas conclusiones. Prima est. Habitus primorum principiorum non sunt nobis naturaliter innati. Probatur. Quia non omnes cognoscunt prima principia. Secundo, quia fiunt nota lumine intellectus agentis. Intellige quod non sunt naturaliter nota, idest sine aliqua operatione intellectus. Quia primo indigent lumine intellectus agentis. Secundo etiam simplici operatione intellectus, nam intellectus intelligendo terminos, illico cognoscit principia, conclusiones vero nõ cognoscit, nisi discurrendo ex principijs ad conclusiones.

Secunda conclusio est. Alio habitu cognoscuntur principia, & alio conclusiones. Probatur primo. Quia principia sunt notiora conclusionib. Secundo, quia cognoscuntur intellectu, conclusiones scientia. Tertio, quia cognoscuntur vt principia, & causæ, conclusiones, vt deductæ ex principijs.

Et hæc dicta superficialiter sufficiãt ad habendã tantã cognitionẽ Logicæ doctrinæ, pro quanto facere potest ad verum Philosophum, & verum Theologum, cætera enim quæ frustratoria iudicaui omisi, ne his quidem intellectus intentus, retraheretur a cognitione, & perscrutatione magis necessariorum. Melius est enim nescire aliqua, quam scire, quando ex illo scire nobilius scire impeditur secundum Phil. 12. diuinorum. Agamus gratias Sanctissimę Trinitati, ac Deiparæ Virgini, & sanctis ombus, quorum ope, & auxilio hæc omnia scripsi in Conuentu S. Mariæ de Barella, Territorij Vrgnanensis, anno 1598. dum ibi essem Lector Nouitiorum. Aucta autem hæc fuere, & modernorum doctorum dictis locupletat, Venetijs in Conuentu Sancti Dominici anno 1616.

FINIS.